HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA
AUCTORE
GASPARE SACCARELLO
TAURINENSI
CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO
TOMUS VIGESIMUS QUARTUS.
AB ANNO JESU CHRISTI 1135. USQUE AD AN. 1162.



ROMÆ MDCCXCIV.
EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.
SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

ADPROBATIONES.

IN Ecclesiastica pertexenda Historia usque ad duodecimum seculum, cujus in hoc volumine finem pene attingit clariss. auctor Gaspar Saccarellus Oratorii Romani Presbyter, ea præbuit doctrinæ prudentiæ, saniorisque critices specimina, ut jam censorum approbatio superflua esse videatur. Sed quoniam hæc obtinet consuetudo, ac ita jubeat Reverendissimus S.P.A. Magister, & hunc vigesimum quartum Tomum perlustravi, in eoque nihil inveni quod cum fidei bonisque moribus non concordet. Quare &c.

Joseph Canonicus Reggi
Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus.

Ita censeo, & ego.

Joseph Teoli S. Th. Doctor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sac. Palatii Apostolici Magistro.

F. Xav. Passari Archiep. Lariss. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Pane Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 1135. INNOCENTII II. AN. 6.

LOTHARII IMP. III. JOANN.S COMNENI IMP. XVIII.

Innocentius Papa ab Lothario Imp. auxilium postulat.

1. INter plurima, quæ hoc volumine continentur, præclara S. Bernardi Clarævallensis Abbatis gesta, in ipso voluminis exordio se offerunt, præsertim in schismate, quod jamdiu Romanam turbaverat Ecclesiam extinguendo, cujus opera, & zelo Gulielmus Aquitaniæ Dux schismatis in Gallia Princeps ad Rom. Ecclesiæ unitatem, & communionem revocatus est. Interea cum Rogerii Regis potentia in Apulia, & Campania augeretur, Innocentii ad urbem reditus difficilior reddebatur, atque confirmabatur Anacleti schisma. Quare ab Innocentio Papa Pisis subsistente, *Crebris litteris monitus Lotharius, ut Romanum Imperium ab hostium jugo defenderet, Ecclesiam concussam, & laceratam ad unitatem concordiamque revocaret, Cæsar clementissimus, anno Domini 1135., coacto ex omni orbe Romano immenso exercitu, cum uxore Augusta intravit in Italiam*, ait Petrus Diaconus in chronico Cassinensi; hæc tamen vix anno 1136., & sequenti 1137. effectum sortita sunt, quo Lo-

Pet. Diac. in Chron. Cassin. lib. 4.

JASU CHR. AN. 1135.

tharius cum exercitu in Italiam, deinde in Apuliam transiit.

Innocentius Papa legatos pro pace ineunda ad Lotharium mittit.

2. Nec litteris solum, sed legationibus missis Lotharium ad ferendam sibi opem adversus Anacletum Antipapam, & Rogerium schismatis fautorem Innocentius Papa excitavit, Bernardum Claraevallensem Abbatem, in Germaniam misit, ut pacem inter Lotharium, & Conradum qui hactenus de Italiae Regno certabant, conciliaret, quam hoc labente anno cum iis, ceterisque Germaniae Principibus firmatam fuisse narrat Annalista Saxo his verbis. *Anno Domini Incarnat.* 1135. *Lotharius Imp. Natale Domini Aquisgrani celebravit*, ubi Colonienses in suam gratiam recepit, deinde Friderico Sveviae Duce in gratiam recepto. *Dominica ante mediam Quadragesimam scilicet*, 16. *Kalend. Aprilis*, *sicut promiserat*, *cum totius fere Principum regni Conventu Babenberch eum valida manu electorum militum*, *& armorum venit*, *& Fridericus eum suis*, *licet aliquamdiu retineretur gratiam Imperatoris publice provolutus pedibus illius humiliter exquisivit*, *& mox impetravit*. *Qui etiam se profecturum cum Imperatore in Italiam proximo anno spopondit*, *& pacem per totum Sveviam*, *sicut decretum fuit*, *firmiter observari praecepit*, de Conrado etiam fratre ejus sibi reconciliato paulo post haec subdit auctor. *Imperator post festum S. Michaelis Mulchusen venit*, *ubi Conradus Usurpator Regii nominis*, *frater Frederici Ducis*, *coronae*, *ac totius regalis ornamenti oblitus*, *humiliter per Conradum Episcopum Magdeburgensem ab excommunicatione solvitur*, qua ob affectatum, seu usurpatum Italiae Regnum mulctatus saepe fuerat, ut alibi diximus, *ac per intercessionem Imperatricis pedibus Imperatoris provolutus*, *gratiam illius promeretur*; His addit Imperatorem Paschatis festum in Quindelingeburg celebrasse. Pentecostem vero Magadeburg, ubi Principes Regni firmissimam pacem per decennium se servaturos spoponderunt, quo etiam loco dissidia inter Bohemiae Ducem, & Hungariae Regem sopita sunt, ac legati Bolislavi Polonorum, Godefridi Ducis Lotharingiae, Ungarorum etiam, & Danorum, nec non Slavorum adfuerunt, nec defuere, ut subdit *legati Graecorum Imperatoris*, Joannis Comneni, *honorifica secum munera ferentes*, *pacem ab Imperatore*, *& amicitiam*, *ac auxilium contra Rakkerum*, seu Rogerium *tirannum poscentes*, *qui partem Romani Imperii*, *& terram Graecorum nimis vexaverat*.

Lotharius Imper. cum Germaniae Proceribus pacem init. *apud Eccard. to. 1. p. 668.*

3. Tot

3. Tot stimulis excitatus, paceque in Germania composita, ad Italicam expeditionem tandem Lotharius necessaria paravit, ut anno sequenti dicturi sumus. Bernardus interea tamquam Innocentii, & Rom. Ecclesiæ sollicitator præcipuus, & defensor, nullum non movebat lapidem, ut undique auxilia compararet, ac imprimis Lotharium data epistola, ne ultra differret, admonuit, eique quod Imperialem coronam in urbe recepisset in memoriam revocans; *Quod si ante tantillum exercitum*, subiit, *terra tremuit*, *& quievit*, *quantus putamus horror hostium invadere corda habeat*, *cum cœperit Rex procedere in magnitudine brachii sui? Animabit insuper honestas causæ*, *immo duplex provocabit necessitas*. *Non est meum hortari ad pugnam: est tamen (securus dico) advocati Ecclesiæ arcere ab Ecclesiæ infestatione schismaticorum rabiem: est Cæsaris propriam vindicare coronam ab usurpatore Siculo. Ut enim constat Judaicam sobolem sedem Petri in Christi occupasse injuriam: sic proculdubio omnis qui in Sicilia regem se facit*, *contradicit Cæsari*, cumque nescio qua de causa, Lotharius contra Pisanos commotus esset, epistola altera, ne iis, utpote Rom. Ecclesiæ defensoribus adversaretur, enixe rogavit. *Miror cujus instinctu vel consilio vigilantiæ vestræ surripi potuerit*, *ut homines digni certe duplici honore*, *& gratia*, *contraria a vobis audirent*: *Pisanos dico*, *qui primi & soli interim adhuc erexere vexillum adversus invasores Imperii*. *Quam justius in eos regia incanduisset indignatio*, *qui populum strenuum*, *& devotum quacumque occasione offendere ausi sunt*, *eo præcipue tempore*, *quo accincti in multis millibus suis exierant oppugnare tyrannum*, *ulcisci injuriam domini sui*, *& Imperialem defensare coronam*. *Ut enim congruentissime assignem huic genti*, *quod olim de sancto David dicebatur*: *Quænam quæso*, *in omnibus civitatibus sicut Pisa fidelis egrediens*, *& regrediens*, *& pergens ad imperium Regis? Nonne hi sunt*, *qui nuper regni illum unicum ac potentissimum hostem ab obsidione Neapolis fugaverunt? Nonne hi sunt*, *qui etiam (quod pene incredibile dictu est) uno impetu suo expugnaverunt Amalfiam*, *& Rebellum*, *& Scalam*, *atque Atturinam*, *civitates utique opulentissimas*, *& munitissimas*, *omnibusque qui antehac tentaverunt*, *usque ad hoc tempus (ut ajunt) inexpugnabiles? Quam dignum*, *quam æquum*, *quam plenum ratione*, *& justitia fuerat*, *ut fidelium terra*

JESU CHR. AN. 1135.

Bernardi epist. & sollicitudo pro Italica expeditione adversus Rugerium.

epist. 139.

epist. 140.

Jesu Chr. an. 1135. *interim saltem dum hæc agitarent, ab omni hoste secura consisteret, tum pro præsentia Summi Pontificis, quem jamdudum exulem Pisani apud se cum summo honore servabant, & servant, cum pro servitio Imperatoris, pro quo & ipsi tunc temporis exulabant?* Quos proinde omni gratia, & favore dignos esse adnotat, his verbis epistolam claudens. *O quantum meruere Pisani, quantum adhuc mereri possunt! Sat est dictum Sapienti.*

Bernardi epist. 129. ad Januenses eadem de causa.

4.° Epistola altera Januenses, quos Rogerius ut sibi auxilium ferrent, rogaverat, ut in fide Innocentio data perseverarent, excitavit, ac cum plura de benevolentia sibi exhibita, cum apud eos fuisset, hæc subdit. *Servate proinde vos pacem fratribus vestris Pisanis, fidem Domino Papæ, fidelitatem Regi, vobis honorem, hoc enim expedit, hoc decet, hoc justitia requirit. Audivimus venisse ad vos Nuntios Ducis Rogerii: quid attulerint, quidve retulerint, nos nescimus. Verum ego juxta illud Poetæ (ut verum fatear) semper timui Danaos, & dona ferentes. Si quis forte in vobis (quod Deus avertat) rem tam fœdam committere deprehendatur, extendere videlicet manum ad turpe lucrum: hunc protinus notate, & judicate hostem nominis vestri, civium proditorem, ac venditorem communis honoris, & honestatis. Si quis item susurro in populo, diaboli sibi assumens vicem, jurgia seminare, & pacem turbare velle reperiatur, quemadmodum ille discordiæ semper est amator, auctor: huic rigidæ censuræ remedio citius obvietur, eo quippe pessimæ, quo intimæ pesti &c.* Hæc, & alia ibidem Bernardus.

Adalberonis Trevir. Episc. epist. ad Innocentium.

Bernardi epist. 176.

5. Dum autem ab Sede Romana exul esset Innocentius Papa Pisis ab Lothario auxilium expectans, ut æquiori animo ab urbe absentiam, & exilium ferret, litteris suis, per Tullensem Archidiaconum missis eum hortatus est Adalbero Trevirensis Archiepiscopus, seu potius Bernardus ejus nomine, ac quanta esset tum Germaniæ, quam Galliæ Ecclesiarum in eum reverentia, & obedientia his verbis exponit. *Citramontanam Ecclesiam tam in nostro, quam in Francorum regno noveritis fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in vestra obedientia, promptam ad servitium. Nequaquam nos Beneventi, non Capuæ, non ipsius Romæ terret (Deo sic judicante) amissio, scientes Ecclesiæ statum non armis æstimari, sed meritis. Ipsius quippe, non alterius agnoscimus voces*

ces illas in Psalmo: Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Propterea, & nos qui de Ecclesia sumus, non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Glorietur tyrannus Siculus, quantum vult, glorietur in malitia, quod potens est in iniquitate: nostra autem virtus in infirmitate perficitur &c. Lotharium deinde eidem opem mox allaturum addit. *Hæc pauca vobis consolandi gratia, de quibus certus fui, fideli attestatione intimandum esse putavi, ad revelandam vel ex aliqua parte eam, quæ viscera vestra incessanter affligit sollicitudo omnium Ecclesiarum. Hoc quoque addo, dominum Regem*, nempe Lotharium, *Deo eum confortante, fervere, & accingi ad liberationem Ecclesiæ, & parare sibi exercitum multum nimis. Nos quoque fideliter ad hoc ipsum pro viribus laborare, exhortari, & sollicitare quod possumus. Et cum tempus advenerit, non expensis, non personæ propriæ parciturum.* Hæc Adalbero ad Innocentium.

6. Cumque ab Innocentio Papa ex malignantium suggestione rescriptum extortum fuisset, quo sententiam ab eodem Adalberone Trevirensi lata, irritabatur, S. Bernardus, ea qua pollebat spiritus libertate, ad eumdem Innocentium litteras pro eo dedit, in quibus inter alia hæc habet de ira Dei, super Romanam Ecclesiam ob injustitias invigilante. Ait enim: *Pro his ac similibus nec dum avertitur furor Domini, sed adhuc brachium extentum, & virga illa apud Jeremiam vigilans super peccata nostra. Et quidem iratus est Deus schismaticis, sed Catholicis nequaquam propitius, &c.* Recenset plura quæ indigerent in Galliis correctione, rursumque, additis ad istas aliis litteris, hæc ait observatione digna de revocandis judiciis perperam factis, & rescriptis surreptione emissis: *Hoc*, inquit, *solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate, & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam, & summam Sedem.* Hæc, & alia Bernardus cujus in eamdem rem duæ aliæ extant epistolæ, quibus Trevirensis Episcopi causam agit, injuriasque eidem illatas deplorat, ut ibidem videre est.

Bernardi admonitio ad Innocentium Papam.

epist. 178. & 180. 177. & 179.

7. Ab Italico itinere in Claram vallem reversus Bernardus, ibique a suis monachis cum gaudio receptus, ut plu-

Bernardus novum monasterium in

Jesu Chr. an. 1135. Claravalle ædificat.. *lib. 2. c. 5.*

pluribus auctor vitæ ejus Eraldus narrat, post mutua inter filios, & patrem benevolentiæ signa, Bernardo suggesserunt monachi angustiora jam esse sui monasterii spatia, ut tot homines, qui illuc confluebant, continere posset, ideoque in vicinam spatiosam fertilemque vallem, alterum ibidem ædificari posse; Horum postulationi etsi aliquamdiu restiterit, aut anceps saltem fuerit Bernardus, cui durum, ac vix ab hominum invidia, aut detrectatione alienum videbatur, post lapideas domos ibidem constructas, post traductos aquæ ductus, novum eadem in regione monasterium extruere, cessit tamen desiderio aut importunitati monachorum; Cumque manus operi admovisset, opem Theobaldus Campaniæ Comes maximam tulit, ejusque exemplo Episcopi, aliique Proceres, ut cito perficeretur opus liberalitate sua effecerunt, et ut ait supracitatus auctor. *Surrexit domus & quasi animam viventem atque motabilem haberet, nuper nata ecclesia in brevi profecit, & crevit.*

Bernardus cum Gofredo Episc. & legato Apost. Sedis in Aquitaniam transiit.

8. De reditu Bernardi in Claram vallem, ac de amantissimi patris præsentia gaudium monachorum per breve fuit, nam inde in Aquitaniam, quæ tota pene schismaticorum factione laborabat, transire coactus fuit, in Galliam quippe ex Pisano concilio reversus Gofredus Carpotensis Episcopus, & Apostolicæ sedis legatus, cum litteris scriptis vix profecisset, ad sopiendum ibidem schisma, cui Gulielmus Aquitaniæ Dux, seu Comes impense favebat, ac Girardus Engolismensis Episcopus qui & Burdigalensem quoque ecclesiam invaserat, totis viribus tuebatur, illuc inquam transire Gofredus censuit, ut præsens cum Gulielmo, ceterisque schismaticis ageret, & ut facilius optata exequeretur, Bernardum cui nil difficile hactenus fuerat, Comitem sibi in eo itinere delegit. Rem gestam præ ceteris narrat auctor vitæ Bernardi, *Audiens hæc* quæ scilicet in Aquitania ab schismaticis peragebantur; *vir venerabilis Gofredus Carnotensis Episcopus, cui a Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata: vehementer indoluit, & succurrendum periclitanti Ecclesiæ, post positis aliis negotiis, sine ulla dilatione decrevit. Abbatem igitur Claravallensem,* S. Bernardum videlicet, *petit & obsecrat, ut sibi ad tanta eliminanda succurrat. Assensit vir Dei, & se in proxime congregationem monachorum in Britanniam in locum, quem juxta Nannetum Comitissa Ermengardis paraverat, ducturum inti-*

lib. 2. c. 6.

intimat, & promittit, dispofita illa domo fecundum genus & fpecies fuas, fe cum eo in Aquitaniam profecturum. Subjicit his autem admirabilem curationem mulieris, incubum dæmonem patientis, per fanctum Bernardum Dei virtute operatam, & ea quæ præcefferant in priori congreffu fancti Bernardi cum Comite Aquitaniæ, cum Innocentius effet in Galliis.

Bernardi cum Gulielmo congressus.

9. Cum illuc cum Apoftolico legato adveniffet Bernardus, Gulielmum fchifmatici admonuerant ut colloquium vitaret; At ab religiofis viris ei tandem perfuafum eft, ut tam illuftres viros in fuam præfentiam admitteret; *Itaque apud Pertiniacum hinc inde conveniunt, & in primis de divifione Ecclefiæ, & de fciffuræ obftinatione, quæ intra Alpes in fola Aquitania, quafi nebulæ corruptela confederat, multis modis & rationibus a Dei fervis Comiti intimatum eft. Quod Ecclefia una eft, & quidquid extra eam eft, quafi extra Arcam, judicio Dei neceffe eft interire, & dilui &c.*

S. Bernardus sacramentum tenens Comitem interpellat.

10. *His auditis Comes ex parte fano ufus confilio, refpondit fe in obedientiam Innocentii Papæ poffe dare confenfum, fed in reftitutionem Epifcoporum, quos de fedibus expulerat, nulla ratione induci, quoniam implacabiliter eum offenderant, & juraverat, fe eorum pacem nullo tempore fufcepturum. Diu per internuntios protractus eft fermo, & dum viciffim verbis fe mutuo occupant: vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare fanctum oblaturus & fupplicaturus accedit. Intraverant ecclefiam, quibus licebat divinis intereffe myfteriis: Comes fuftinebat pro foribus. Peractis igitur confecrationibus, & pace data & diffufa in populum: homo Dei jam fe non agens ut hominem, corpus Domini fuper patenam ponit, & fecum tollit, atque ignea facie, & flammeis oculis, non fupplicans fed minax foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem: Rogavimus te, inquit, & fprevifti nos: Supplicavit tibi in altero, quem jam tecum habuimus, conventu fervorum Dei ante te adunata multitudo, & contempfifti. Ecce ad te proceffit Filius Virginis, qui eft caput & Dominus Ecclefiæ, quam tu perfequeris*, atque cum in eam rem alia ad terrorem Comiti incutiendum addidiffet, ad eum cum facramento corporis Chrifti acceffit, quem ut Comes vidit, *In fpiritu vehementi procedentem, & facratiffimum Domini corpus ferentem in manibus, expavit & diriguit, membrifque tre-*

Villelmus schisma abjurat.

Jesu Chr. an. 1134. *tremebundis metu & dissolutis, quasi amens solo provolvitur. Elevatus a militibus, rursum in faciem ruit, nec quidpiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, salivis per barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum vir Dei ad eum propius accedit, & pede pulsans, acclivem surgere jubet, & stare supra pedes, & Dei audire sententiam. Præsens est, inquit, Pictaviensis Episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti: vade & reconciliare ei, & in osculo sancto pacis cum eo jungito fœdera, & ipse ad sedem suam eum reducito, & satis faciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in universo Principatu tuo divisos, & discordes ad charitatis revoca unitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei universa obedit Ecclesia, tu quoque electo a Deo tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus Sancti, & sanctorum sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere, nec poterat; sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum, & eadem qua eum abjuraverat manu, cum totius exultatione civitatis ad propriam sedem reduxit. Sed & deinceps Abbas cum Comite jam familiarius, & suavius loquens, paterne eum monuit, ne ad tam impios & tam temerarios ausus ultra exurgeret, ne Dei patientiam tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret.* Hæc præsens S. Bernardus.

Bernardi epist. ad Villelmum Comitem.

11. Nec multo post cum eum in proposito suo nutare audiisset S. Bernardus, ne tam cito a recto tramite declinaret, iterumque ecclesiam turbaret; his litteris admonuit; *In eo animo, & in ea voluntate memini me discessisse dudum a te, Princeps eximie, ut totis affectibus bene tibi tuisque cuperem, totis nisibus salutem vestram, & honorem vestrum ubicumque possem, juvarem, eo quod non redirem fraudatus fructu adventus mei ad vos, sed lætus præter spem multorum reportarem mecum pacem Ecclesiæ cum exultatione universæ terræ. Miror autem quo, cujusve consilio mira illa mutatio dexteræ Excelsi tam subito in deterius est mutata, ut rursum ad injuriam Ecclesiæ, clericos S. Hilarii de civitate expelleres, & iram Dei in te gravius quam primum excitares. Quis te fascinavit tam cito recedere a via veritatis, & salutis? Profecto judicium portabit quicumque est ille. Utinam & abscindantur qui vos conturbant. Revertere quæso, revertere, ne & tu (quod absit) abscindaris. Revertere, inquam, & revo-*

revoca amicos tuos ad pacem, & clericos ad ecclesiam, antequam irrecuperabiliter reddas tibi adversum terribilem, & eum qui aufert Principem, terribilem apud Reges terræ; his autem acceptis facti pœnitens Gulielmus cito paruit, quin usque dum vixit, non obscura christianæ pietatis indicia dedit, ut quæ de eodem inferius dicturi sumus, abunde probabunt.

Jesu Chr. an. 1135.

epist. 128.

12. Interea præcipuus in Galliis schismatis auctor, & propugnator, in obstinatione sua perseverans non multo post in schismate infelici exitu obiit. Unde auctor vitæ S. Bernardi, ait. *Pace itaque omni Aquitanicæ Ecclesiæ reddita, solus Gerardus perseverat in malis. Sed non multo post, adveniente die iræ, in domo sua miserabiliter extinctus est. Et cum dicat Scriptura: Est peccatum ad mortem, pro eo non dico ut roget quis: impœnitens, & subito mortuus sine confessione, viatico, de corpore egredientem Spiritum ei reddidit, cujus minister usque in finem extiterat. Corpus ejus a nepotibus suis, quos in Ecclesia illa honoribus sublimaverat, inventum in lectulo suo exanime, & enormiter tumidum, in basilica quadam humatum est. Sed postea a Gaufredo Carnotensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato inde extractum est, alioque projectum. Nepotes quoque ejus ab eadem Ecclesia postea eliminati sunt, & omnis progenies, & plantatio a radice evulsa, per extera regna tanti judicii circumferens querimonias, exulavit. Tanto igitur malo obruto, & schismate Gerardi redacto in cineres: vir Dei cum gaudio magno in Claramvallem revertitur*; auctor tamen de gestis Pontificum Cenomanensium, de Gerardi obitu loquens ait. *Die proximo mortis suæ accepimus, quod in confessione sua Sacerdotibus dixerit, si partem Petri Leonis contra voluntatem Dei ignorante manu tenuerit, se confiteri, & pœnitere etsi sequenti die migravit a seculo anno* 1135. An revera vel in vitæ exitu resipuerit, incertum est, at in schismate obstinatum obiisse Erardus in vita Bernardi scribit.

Gerardi schismatici Epis. Engolism. infelix obitus.

apud Labb. biblioth. t. 2.

13. Post gesta in hac Aquitanica peregrinatione a Bernardo, de ejusdem peregrinationis, & legationis Comite, & socio Gofredo scilicet Carnotensi Episcopo, & Apostolicæ Sedis legato, nonnulla in ejus laudem ab ipso Bernardo posteritati tradita addimus: *O mihi*, inquit, *locum suavem, ubi incidit occasio memorandi, & nominandi suavissimi odoris vi-*

Bernardus Gofredum Carnot. Episc. laudat, eo quod munera recusaret.

JESU CHR. AN. 1135. *virum (Episcopum loquor Gaufredum Episcopum Carnotensem) qui legationem in partibus Aquitaniæ propriis sumptibus strenue administravit, idque annos plures. Rem loquor, quam vidi ipse. Eram cum eo in terra illa, cum a quodam presbytero præsentatus illi est piscis, quem vulgo vocant sturgionem. Percontatus Legatus quanti venderit: non accipio, inquit, nisi receperis pretium, & resignavit solidos quinque invito, & verecundo. Item cum essemus in quodam oppido, domina illius oppidi obtulit ei pro devotione cum manutergio duas vel tres paropsides pulchras, ligneas tamen, quas aliquamdiu intuens homo scrupulosæ conscientiæ, laudavit eas, sed non acquievit accipere. Quando argenteas recepisset, qui ligneas refutavit? Non fuerunt qui possent Legato dicere: Ditavimus Abraham &c.* ac multa in eamdem rem addit, ac Ecclesiam felicem fore adnotat: *Si talium daretur virorum copia &c.* nec ea ætate alii defueruut Gofredi imitatores, ex quibus Martinum quemdam idem Bernardus commemorat, eodem loco, & libro de consideratione ad Eugenium: *Is Cardinalis Presbyter*, ait, *functus aliquando legatione in Dania, tam pauper remeavit, ut pene expensis, & equis deficientibus, vix perveniret Florentiam. Ibi Episcopus loci donavit ei equum, quo Pisas usque, ubi eramus tunc, perductus est. Postridie, credo, secutus Episcopus (erat enim illi causa cum adversario, & agendi aderat dies) cœpit requirere suffragia amicorum. Cumque per singulos sollicitarentur, ventum est ad Martinum: fiducia erat major in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficii. Tum Martinus: Decepisti me, inquit, nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, ecce in stabulo est: & hora eadem resignavit illi. Quid dicis, mi Eugeni? Nonne alterius sæculi res est, redisse Legatum de terra auri sine auro? transisse per terram argenti, & argentum nescisse? donum insuper quod poterat esse suspectum, illico rejecisse?* Hactenus de his Bernardus.

Bernardi de considerat. lib. 4.

de consider. lib. 4.

14. Interea ab Aquitanica legatione in suam Claramvallem reversus Bernardus, aliquod quietis tempus nactus, se totum divinis meditationibus dedit: *Cum ei occurrunt amatoria Cantica, & spiritualium fercula nuptiarum*, ait auctor vitæ, & rogatus ab altero Bernardo priore Chartusianorum expositionem in Cantica Canticorum suscepit, cui operi variis distractus negotiis, sæpe manum admovit, sæpius-

S. Bernardus Canticorum librum exponit.

epist. 154. 155.

piusque retraxit, quod etiam imperfectum post annos octodecim, quibus supravixit, reliquit, cum monachis suis sermones in eam rem octoginta sex habuisset, ac in caput tertium ad ea verba. *In lectulo meo quæsivi per noctem, quem diligit anima mea*, finem fecit, quod postea Gilebertus de Holandia, & ipse Cisterciensis monachus continuavit usque ad versum: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, sermonibus quadraginta octo, vir sane dicendi gravitate, & pietate Bernardo fere comparandus; Huic alteram breviorem Canticorum libri expositionem Gulielmo S. Theodorici Abbati dictavit, uti idem Gulielmus in ejus vita lib. 1. cap. 12. testatur, de quibus præceteris plura adnotat Mabillonius, operum S. Bernardi editor, tom. 3. 4. 5.

Jesu Chr. An. 1135.

15. Hoc eodem anno Henricus Rex Angliæ cum annos 37. menses quatuor regnasset; *Post confessionem, absolutionem, & pœnitentiam, quam a Sacerdotibus accepit, oleique sacri unctione delinitus, & sancta Eucharistia refectus Deo se commendavit, sicque Kal. Decemb. Dominica incipiente nocte hominem excessit*, seu exuit; ait Ordericus lib. 13. eademque Malesburiensis, Gemmetensis, ceterique scriptores: defuncti cadaver Cadomum perductum, illicque servatum fuit, ait Ordericus, *Donec* post Natale Domini missis illuc monachis *impositum navi, & transvectum est, atque a successore Regni & Episcopis ac Principibus terræ in Radingensi basilica honorifice sepultum est*: vix defuncto Rothomagensis Episcopus litteris suis Innocentium Papam certiorem fecit, hæc ad eum scribens. *De Domino meo Rege non sine dolore memorando piæ paternitati vestræ notificandum duximus, quia subita præventus ægritudine, nos, missis quam citissime Legatis suis, ægritudinis suæ solatiis voluit interesse, venimus ad ipsum, & cum ipso plenum mœroribus confecimus triduum. Prout ei dicebamus, ipse ore proprio sua fatebatur peccata, & manu propria pectus suum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei & nostro & Episcoporum emendationem vitæ suæ observaturum sese promittebat. Sub ista promissione pro nostro officio, tertio eum, & per triduum absolvimus. Crucem Domini adoravit; Corpus & sanguinem Domini devote suscepit; eleemosynam suam disposuit, ita dicendo: Solvantur debita mea, reddantur liberationes, & solidate, quæ debeo: reliqua in-*

Henrici Regis Angliæ obitus.

JESU CHR. AN. 1135.

digentibus distribuantur. Utinam sic fecissent, qui thesauros ejus tenebant & tenent. Tandem illi auctoritatem de unctione infirmorum, quam Ecclesia a B. Jacobo Apostolo suscepit, studiose proposuimus, & ipsius pia petitione oleo sancto eum inunximus: sic in pace quievit, pacem det ei Deus, quia pacem dilexit.

Stephanus Comes Henrico succedit.

16. Henrico mortuo *Stephanus Poloniensis Comes*, ait Ordericus loco citato, *audita morte avunculi sui*, filius quippe sororis Henrici, seu Adelæ is erat, *protinus transfretavit a Gulielmo Cantuariensi Archiepiscopo, aliisque Præsulibus terræ susceptus regale fastidium ascendit, & decimooctavo Kal. Januarii*, seu potius ut ait Pagius octavo Kal. *coronatus Rex quartus de stirpe Nortmannorum regnavit &c.* Malesburiensis vero, *Coronatus est in Regem Angliæ Stephanus undecimo Kal. Januarii Dominica, vigesima secunda die post excessum avunculi:* de die, & loco coronationis Stephani Regis variæ occurrunt scriptorum sententiæ, ut ad hunc annum adnotat Pagius, quæ sane desinente anno peracta fuisse certum est.

Malesbur. lib 1. histor. Novellæ.

Concilia in Anglia pro Ecclesiæ libertate celebrata.

17. His autem gestis, ut narrat auctor coævus de gestis Stephani Anglorum Regis post Oldericum a Duchesnio editus: *Omnibus summatibus Regni, fide & jurejurando cum Rege constrictis, Edicto per Angliam promulgato summos Ecclesiarum ductores cum primis populi ad Concilium Londonias conscivit. Ibique in unum convenientes se ingerente, plura Regno, & Ecclesiæ profutura ut salubriter pertractata sunt, de Ecclesiæ siquidem statu melius componendo, de ejusdem libertate restauranda, ibique Præsules in ipsa Regis præsentia conquesti sunt eo quod in Regis Henrici temporibus Ecclesia velut ancilla dejecta, & conculcata fuerit*, iisque expositis, patienterque ab Rege auditis: *Quæcumque postularunt Rex gratuito eis indulgens Ecclesiæ libertatem firmam, & inviolabilem esse, illius statuta rata & inconcussa, ejusque ministros cujuscumque professionis essent vel ordinis omni reverentia onorandos esse præcepit &c. iisque firmatis, In una omnium pace & concordia concilium est solutum &c.* subdit auctor, adnotatque tamen vix ac ne vix quidem ad exitum perducta hæc fuisse etsi convocatis iterum paulo post Episcopis, & Proceribus Regni Oxfordii, hæc eadem Rex ab Villelmo Cantuariensi Episcopo, & Apostolicæ sedis legato consecratus Ecclesiæ privilegia se ser-

Ecclesiæ leges, & privilegia Rex servare jurat.

Jesu Chr. an. 1135.

servaturum esse jurejurando promisisset cujus juramenti formulam ex Malesburiensi recitat Baronius, ampliorem, emendatioremque refert Ricardus prior Hagustaldensis in historia de gestis Regis Stephani ubi inter cetera hæc Rex Henricus congregatis Episcopis promisit. *Ego Stephanus dei gratia assensu cleri, & populi in Regem Angliæ electus, & a Villelmo Cantuariensi Archiepiscopo, & S. R. E. legato consecratus, & ab Innocentio S. R. Sedis Pontifice confirmatus &c.* ac Ecclesiæ libertatem, eique reverentiam exhibiturum, electiones ministrorum Clero relicturum, ac bona, & possessiones Ecclesiis ablatas se restituturum promisit, ac injustas hactenus exactiones & injurias Ecclesiis illatas *funditus extirpo*, ait Rex; *bonas leges & antiquas, & justas consuetudines observabo, & observari præcipio, & constituo. Apud Oxenefrod*, seu Oxfort, *anno Incarnat. Domin.* 1136., *Regni mei primo*, eique rescripto Episcopi, Proceresque adstantes subscripserunt anno sequenti, cum jam Innocentius Papa Pisis subsistens electioni ejus ac consecrationi consensum suum præbuisset, at ut subdit Malesburiensis, malis consiliariis usus Stephanus fidem datam promissionesque juratas, non multo post idem Rex violavit.

Innocentius Papa Stephani Regis electionem confirmat.

Hist de gestis Stephani Regis pag. 313. Labb. Concil. noviss. edit. tom. 21.

18. Extant apud Ricardum Hagustaldensis monasterii priorem Innocentii Papæ litteræ, quibus se Stephani Regis electionem confirmare testatur, ubi post plurima ait se ex Episcoporum, & Regis Francorum, nec non illustris viri *Comitis Theobaldi* Stephani Regis fratris didicisse, quod *Communi voto, & omnium assensu tam Procerum, quam etiam populi, te in Regem eligere, et a Præsulibus regni consecrari providit. Nos cognoscentes vota tantorum virorum in personam tuam, præeunte divina gratia, convenisse, pro spe etiam certa & B. Petro in ipsa consecrationis tuæ die obedientiam & reverentiam promisisse, & quia de præfati Regis prosapia prope posito gradu originem traxisse dignosceris, quod de te factum est, gratum habentes, te in specialem B. Petri & sanctæ Rom. Ecclesiæ filium affectione paterna recipimus*; Hactenus Innocentii litteræ in novissima tantum editione conciliorum insertæ.

Bellum ab Rogerio in Campania, & Apulia instauratur.

19. Hoc anno Campania, & Apulia bellorum tumultibus iterum afflicta est, nam etsi totum pene Regnum Ro-

Roge

JESU CHR. AN. 1135.

gerius, ut anno proximo diximus, suæ potestati subjecisset. Hujus anni initio, dum adhuc in Sicilia esset, *Gravi morbo corripitur* ut narrat Telesinus Abbas, quo etsi convaluisset; *Alberia Regina conjux ipsius mox infirmitatis tacta incommodo ad extrema pervenit. Qua defuncta Rex ipse ita mœroris contritus est amaritudine, ut multis se diebus intra cameram recludens, exceptis ejus privatis obsecutoribus non apparuerit, unde accidit, ut fama paulatim diffusa, non solum iis qui longe, verum etiam qui prope erant, vere obiisse existimaretur. Quo videlicet rumore princeps Robertus, qui Pisam aufugerat, sollicitatus cum immensa belligerorum Pisanorum manu navigio advectus in Neapolis urbe excipitur, favente sibi Sergio ejusdem civitatis Magistro militum: qui jam cum eo præmissis alterutram nunciis conspiraverat.* Fulco vero scribit: *anno* 1135. *Dom. Incarnat. & sexto anno* Pontificatus Domini Innocentii, mense Martio, Indict. XII. *Hoc anno Princeps ipse septimo die stante mensis Aprilis* (idest die XXIV. mensis Aprilis juxta ejus supputandi modum) *cum viginti navigiis Neapolim venit, & comprehendit Aversam, & Cuculum, quibus comprehensis Neapolim Princeps ipse revertitur, & ibi moratus est cum Pisanis ipsis. Eodem anno præfatus Comes Rainulphus venit Neapolim cum quadringentis militibus, & civitates suas, & oppida dimisit.* Fusius hæc refert Alexander, aitque, vulgato falso Rogerii Regis mortis rumore, Rainulphum bellum renovasse: *Comes autem Ranulphus, & ipse eodem rumore deceptus Regis obitum vere contigisse credebat, Qui cum Principem cum ingenti armatorum multitudine reversum comperisset corde respirans lætabatur valde, quod Rege defuncto tempus jam accidisse opportunum videretur, quo & idem Princeps Capuam Principatus amisit honorem, & ipse* (*sc. Rainulphus*) *terras, quibus diminutus fuerat, recuperare posset*, sique cum Rogerium obiisse fama vulgasset, in unum sociati Robertus Capuæ Princeps, Rainulphus Comes, & Sergius Neapolitanorum Magister militum pristinam libertatem recuperare conati sunt. Ex his Robertus cum Pisanorum classe Aversam delatus, ea potitus, inde Capuam adgreditur, cum tamen eo Rogerius advenisset, omnes eorum conatus evertit, ac Aversam præcipue semel & iterum diripuit, incendioque penitus destruxit, Pisanosque fugavit, ut idem Telesinus

lib. 3. c. 1. 2. seqq. Murat. to. 5.

lib. 3. c. 6. 7.

sinus Abbas ac Fulco Beneventanus fusiori stylo exponunt, iisque historiæ suæ de gestis Rogerii libris tribus distincte idem Abbas finem imposuit.

JESU CHR. AN. 1136.

JESU CHRISTI AN. 1136. INNOCENTII II. PAPÆ AN. 7. LOTHARII IMP. AN. 4. JOANNIS COMNENI 4.

1. Post Quadriennalem moram Pisis factam, fatigatus Innocentius Papa, litteris, & repetitis legationibus tandem obtinuit, ut Lotharius exercitu in Italiam transiret ut Romanam Ecclesiam ab Anacleti schismate, & Rogerii tyrannide, liberaret, quam causam cum Riccardo Cardinali, Robertus Capuæ Princeps, cum Riccardo Rainulphi fratre Lotharium adiit, quos benigne Lotharius excepit eisque *promisit se ipso anno venturum ad Rom. sedis libertatem, & ejusdem Principis restitutionem*, in Ducatum Capuanum, *& sic Princeps ipse reversus Domino Papæ Innocentio cuncta narravit*, ait Fulco Beneventanus, ac subdit *Anno Dominicæ Incarn.* 1136., *& septimo anno Innocentii præfatus Imperator Apostolico Innocentio mandavit, ut eum præstolaretur, quia domino favente sicut promiserat, in festivitate S. Jacobi venire disponebat*, & sane habito Vigburgi generali Episcoporum, Procerumque conventu in festo Assumptionis Virginis Italicum cum exercitu iter ingressus est, ut pluribus narrat Annalista Saxo Lotharii gesta per singulos menses memorans, ac iis adnotatis, quæ in Natale Domini, in media Quadragesima, in Paschate, Pentecoste, in Natalitiis Apostolorum Petri, & Pauli gessit, addit. *Assumptionem Sanctæ Mariæ Visceburg habita generali curia gloriose celebravit, unde in Italiam proficisci destinavit ad componendum illic statum Imperii, maxime adversus Rokkerum quemdam*, seu Rogerium, *Siciliæ tirannum qui plerasque Apuliæ civitates invaserat &c.* & cum maximo exercitu, in Italiam transisse scribit comitantibus Brunone Coloniensi, Adalberone Trevirensi, Conrado Magdeburgensi Archiepiscopis cum aliis pluribus Episcopis, & Abbatibus, quem etiam sequebantur, *Henricus Dux Bavariæ, Conradus Dux Frater Frederici Ducis de Suevia, Conradus Marchio Saxoniæ cum frequentia reliquorum Principum & Procerum.*

Lotharius Imp. in Italiam transit.

Murat. to. 5. pag. 120.

apud Eccard. tom. 1. pag. 671.

2. Tanto igitur apparatu Italiam ingressus, *Prospero cursu, transcensis Alpium jugis Imperator Veronam honorifice su-*

Lotharii gesta in Italia.

sce-

Jesu Chr. an. 1136. *sceptus*, ac castra *secus Mintum metatus*, Longobardiæ Principes excepit, qui debitam eidem obedientiam promiserant. Mantuanum vero Episcopum resistentem, ad requirendam gratiam coegit, ac inde Guastallam vi cœpit, progressus inde in planitie Runcalia placitum ibidem habuit, ubi a Mediolanensibus exceptus, cum iis Papiam, & Cremonam transiit, quas urbes sibi subiici vi coegit, ut idem prosequitur Annalista Saxo. Fusiori etiam stylo eadem, aliaque in Longobardia gesta prosequitur in historia Mediol. Landulphus junior his præsens, qui etiam historiæ suæ cujus initium ab anno 1097. duxerat, finem imposuit; Lotharius interea Vercellas usque, & Taurinum progressus ut prosequitur Otto, *& terram Humadani Principis ingressus*, seu Amædei Sabaudiæ Ducis qui regionem Pedemontanam obtinebat, ut coniicit Muratorius, eum quoque *sibi subiici compulit*. Quibus gestis Placentiam, inde Parmam transiit, sicque totum hunc annum ibidem exegit, itaut anno tantum proximo adstante ex Bononia progressus, Romam usque, & Apuliam anno sequenti transiit ut ibidem dicturi sumus.

Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 568.

Rogerius Cassinense monasterium invadere conatur.

3. Dum hæc in Longobardia agerentur, timens Rugerius Siciliæ, Apuliæ, & Campaniæ Princeps, ne adveniente in Campaniam Lothario, Cassinenses monachi, qui hactenus cum eo sociati, Anacleti quoque partes, seu schisma sectati fuerant, timens inquam, ne adveniente Lothario, aut religione ducti, aut timore, vel necessitate adacti, in Innocentii partes transirent, Abbatem monasterii ejusdem in suam potestatem redigere, Guarini Cancellarii sui opera, & fraude conatus est, ut pluribus rem gestam narrat Petrus diaconus in chronico, ac in primis adnotat, quod Lotharius ut ecclesiæ pacem & unitatem restitueret, *Anno Domini Incarn.* 1135. seu potius 1136. *immensum valde nimis totius Rom. Imperii exercitum congregans, una cum Richisa Augusta uxore sua intravit Italiam, ingens interea pavor, & hebetudo mentis corrupit Ausoniam*, seu corripuit, Ausoniam sive Campaniam, *& quid dicerent, vel facerent unus ab alio inquirebat*, cum tantum exercitum contra se paratum viderent.

lib. 4. c. 97. 98. 99. 100.

Santioretus Abbas Cassinen. insidias Guarini vitat.

4. *Inter hæc* addit auctor, *Regis Cancellarius Guarinus, qui tum Capuæ præerat mandat, Abbatem uti ad se advocet, utque capiat venientem. Erat tunc Abbas Cassinensis nomine Senioretus, Abbas ire illuc jam exploratis insidiis noluit.*

luit. Cancellarius commotus mandat denuo Abbati, ut sibi Capuam pergenti festinus occurrat, ut una de regni negotiis tractetur. Abbas tunc gravi morbo laborans distulit; *duos tamen Fratres ante nativitatem Domini Cancellario Beneventi constituto direxit, morbi aperiens causam*; cum redeuntibus monachis jussisset Guarinus, ut Natalitia festivitate transacta ad se veniret, Monachi vero Abbatem admonuissent: *Si eo pergat capiendum, Abbas morbum ibidem simulat, Cancellarius assumpto secum novo Electo Capuano, Cassinum (ut disposuerat) venit: Aquinensis interea Electus diaboli stimulis incitatus, Cancellario mandat, Cassinensem Abbatem ad Imperatorem, Innocentiumque suscipiendos se præparare: ejus rei ut periculum faciat, Cassinense ab eo monasterium petat. Videat, quæ mandat, vera esse non dubitet. Tabellarius Abbati omnia pandit, epistolam tradit. Abbas ea resignata, vera esse quæ ille dixerat, reperit. Cancellario itaque apud S. Germanum Electus* Aquinensis *occurrit. Abbati mandant, omni mora postposita, uti ad illos ob regni negotia simul tractanda descendat. Ille morbi causam iterum allegat. Missis tamen senioribus monasterii, Aquinensis Electi falsissimam calumniam juste redarguit & confutavit. Cum id Electus negaret, ostendunt epistolam, patefaciunt indices, confusus ille quid ad hæc responderet, ignorabat.*

Cancellarius dolo monasterium invadit, monachos vexat.

5. His gestis benevolentiam Cancellarius simulans, Cassinenses blande allocutus, eorum erga Regem fidem satis perspectam sibi esse dixit. *Sed paulo post quid animi habuerint pandunt*, ut scilicet sibi monasterium, dispersis alibi monachis una cum monasterii thesauro traderent, ut fusius narrat auctor: in his angustiis positus Abbas, *Seniores monasterii convocat, verba Cancellarii aperit, quid cuique videatur interrogat*; cum omnium una sententia esset, potius extrema pati, quam monasterium tradere, Abbas ab Cancellario inducias petiit, usque dum totius Congregationis fratres ex proximis etiam monasteriis convocaret. At Cancellarius ira commotus; *Nullam se deliberationi moram, nullas inducias dare, sed ex Regis parte, ut quid statuissent, responderent, Imperatorique dicerent. Tum Abbas percontari pergit hujus jussionis regiæ causam. Ille protinus simulatam edicit causam: se os esse & linguam Regis, illum per se loqui, & sua jura disponere. Scire*

Jesu Chr. an. 1136. re se Lotharium cum Papa venturum. *Explorare in hoc velle fidem ad Regem, constantiamque monachorum*. His plura invicem transacta addit auctor, dum Cancellarius monasterium sibi tradi, alioquin vi se capturum minitabatur, jamque scalas idoneas paraverat, ut illud invaderet, quare monachi cum Abbate animo consternati inducias petebant, humilibusque precibus rogabant, ne sibi vim inferret, Deumque eodem tempore supplicationibus, jejuniis, precabantur, ut tanto periculo eos eriperet, quorum tandem hæc sententia fuit; *vitam potius fundendam esse, quam monasterium laicis dandum:* sicque ut ad hunc locum adnotat Baronius, Cassinenses monachi, humana prudentia ducti, ne damnum ab Rogerio Rege sustinerent, Anacleti factioni, seu schismati, cui Rogerius impense favebat, adhœserant, Deo vindice, ab eodem Rogerio quem sibi conciliare hactenus curaverant, graviora sustinuisse addit. *cap. 101. et 102.*

Quanta passi sint Cassinenses monachi. 6. Nam ut subdit auctor, sicuti a fratre quodam prædictum fuerat, dum morti proximus esset, *Omnis ferme thesaurus Ecclesiæ Rogerii factione sublatus est, facta sunt hæc in vigilia Epiphaniæ*. Post hæc duodecim monachos nudis pedibus supplices iterum ad Cancellarium Abbas misit, ut inducias ad consultandum de tanto negotio peterent, at *Cancellarius elatus superbia multum contra monachos fremens minari cœpit, incisurum se illis & nares & labrum, vestesque medias usque ad nates. Sicque alter Rabsaces sive Nicanor blasphemiæ verba in Deum, & Sanctos ejus vomens; cassam fore spem, quam in beatis Benedicto & Mauro habebant, asserebat, perniciemque illis potius, quam salutem allaturam. Post hæc vehementi indignatione concitatus, litteras omnibus per Campaniam, Samnium, Apuliam, Lucaniam, atque Calabriam scripsit, mandans, ut ad capiendum Casinense monasterium quamprimum variis instructi telis & machinis pergerent*. Et inferius de nisibus Cancellarii: *Omnes, inquit, de hinc cellæ monasterii per Apuliam, Campaniam, Picenum, Samnium, Lucaniam, atque Calabriam captæ, & a nostro jure subductæ sunt &c.*

Divina ultio in Cancellarium, & Notarium. 7. Cumque eo jam res deducta esset, ut extrema pericula sibi instare cerneret Abbas *Legatos ad Landulphum, de sancto Joanne, qui tunc Imperatori favebat, direxit, mandans, ut*

ut veniret, & Casinense Monasterium sub cura sua susciperet, & contra eos, qui illud capere quaerebant, defenderet, verum quia hoc per diem agi non poterat, per noctem impletum est, atque ex utraque parte factis Sacramentis, tertia die post festivitatem Epiphaniae feria sexta, milites Landulphi jam dicti in Monasterium inducti, munitiones eidem traditae sunt. Casinum autem deveniens Landulphus Abbati, & monachis constantiam, inimicis vero perturbationem contulit; Quin Cancellarius cognoscens Landulphum Casinum venisse, Civitatem Aquinum, quo commorabatur relinquens, per Sanctum Angelum in Majalisi Lirim fluvium transiens, Minianum perrexit, ubi infirmitate gravissima tractus, Notario praecepit, ut litteras scriberet, quatenus omnes, qui in Regno Regis Rogerii morabantur, ad Casinense Monasterium capiendum venirent. Quod dum ille implere satageret, subitanea morte defunctus est, quem paulo post Cancellarius ipse subsequtus est, ut subdit auctor; *Cancellarius vero qui tanti mali caput, & auctor fuit, septimodecimo die postquam huc in pervigiliis Epiphaniae pervenit, apud Salernum ad extrema perveniens, Clamabat, Benedicte, & Maure cur me interficitis, cumque haec crebro repeteret, vita decessit,* quem eodem momento ad ima seu inferos perduci, frater quidam nomine Crescentius natione Romanus vidit, ait ibidem auctor.

JESU CHR. AN. 1136.

8. *Tertia vero die postquam haec facta sunt supradictus Abbas languore depressus vitam finivit,* qui moriens jusserat, ut Landulphi milites illuc ad monasterii tuitionem vocatos dimitterent, ac Abbatem eligerent: at dum de successoris electione agitur graves iterum turbae excitatae sunt, nam imprimis Canzolinus Capuani Principis camerarius milites misit, *ut nullus eo absente de Abbatis electione tractare praesumeret,* quod cum regulae eorum, privilegiisque adversari dixissent monachi, respondit nil ad praesens, haec valere, *Sed differre usque ad Domini mei Rogerii notitiam, sin autem tradite arcem Bantrensem, & eligite quem vultis, ita tamen, ut prius fidelitatem,* Abbas electus, *Regi faciat,* cumque ex monachis alii Rainaldum Colementanum alii vero Rainaldum Hetruriensem eligendum esse dicerent, ac inter se certarent, qui Colementano Rainaldo favebant, eum in Benedicti sedem collocarunt, qui ut securius Abbatiam teneret, *Cum Canzolino*

Senioresti Cassin. Abbatis obitus, turbae ibidem iterum excitatae.

cap. 103. et 104.

Jesu Chr. an. 1136.

aliisque Regis fidelibus paciscitur, eique fidelitatem faciens Abbatiam illi confirmant &c., at qui eidem adversati fuerant, legatos ad Lotharium Imp. miserunt, qui anno proximo Cassinum adveniens, aliqualem ibidem tranquillitatem restituit, ut anno proximo dicturi sumus.

Concilium Burgense ejusque gesta.

9. Hoc anno mense Octobri, Guido Cardinalis legatus Apostolicus Burgis Concilium celebravit, ut refert Sandovalius in Alphonso VII., addens hujus Legationis scopum fuisse, ut ritum Romanum in Hispaniarum Ecclesias introduceret, ac Reges Navarræ, Aragoniæ & Alphonsum Castellæ invicem proeliantes conciliaret. Hujus Concilii mentionem facit idem Alphonsus in Privilegio Ecclesiæ Astorgæ concesso, cui præter Berenguellam uxorem, & Sanciam sororem quinque Præsules, & multi ex proceribus subscripserunt.

De Anselmo Episc. Havelbergensi ejusque scriptis. *apud Eccard. pag. 671.*

Dach. spicil. tom. 13.

10. De gestis hoc anno ab Lothario Imp. agens auctor chronici Saxonici, inter cetera prodit, quod cum Glossariæ esset, ad eum redit ex CPolitana legatione Lotharii jussu inita ad Joannem Comnenum Imp. Anselmus Havelbergensis Episcopus in Brandeburgico tractu, sub Archiepiscopo Magdeburgensi cujus extat egregia collatio Cpoli cum Nechita Nicomediensi Archiepiscopo habita, ab Dacherio vulgata in qua hæc præcipue scitu digna occurrunt; In primo libro seu collatione prima, de unitate Ecclesiæ catholicæ agit, deinde de ordinum religiosorum institutione, eorumque fundatoribus a S. Benedicto ad S. Bernardum, qui nuper etsi Cisterciensem non fundaverat, verbo & exemplo illustraverat, de quo hæc post plurima adnotat. *Inter quos*, ait, *nostris fere temporibus apparuit quidam Abbas in loco, qui dicitur Claravallis, nomine Bernardus, vir religiosissimus, virtute miraculorum insignis, ab occidente usque in orientem pro sui sanctitate famosissimus, quem venerabilis Papa Eugenius, quondam sui monasterii monachus, in conciliis multorum Episcoporum condigna reverentia plerumque honoravit*. Postremo agit Anselmus de Militibus Templi recens exortis, & de monachis Græcis, quorum se Constantinopoli vidisse ait *in monasterio, quod dicitur Pantocrator, septingentos ferme, sub regula S. Antonii militantes*, & in alio monasterio, quod dicitur Philoantropon, *non minus quam quingentos, sub regula beati Basilii militantes, & quam plures congregationes sub regula S. Basilii Magni*.

11. Li-

11. Libro secundo, collationem exhibet, quæ habita fuit in vico, qui dicitur Pisanorum juxta Ecclesiam Ageirene, seu pacis die decima Aprilis, ibique de processione Spiritus Sancti quæstio contra Græcos habita est, cui adfuere non pauci latini, inter quos tres viri sapientes in utraque lingua periti, Jacobus scilicet, ortu Veneticus, Burgundio Pisanus, & Moyses Italus ex civitate Pergamo, ab universis electus collationis interpres. Principio Anselmus præfatur, se non ad contentiones venisse, sed ad conferendum simul de Græcorum fide & sua. Ad quod Nechites Archiepiscopus Nicomediæ dixit: *Placet quod dicis, & humilitas tua nobis placet, nam in colloquendo, & humiliter conferendo citius elucescit veritas, quam si superbe, & ad vincendum avidi contendamus*, ac tota hæc collatio modeste & civiliter peracta est; in cujus fine Nechites, verba hæc addidit, *Spiritus Sanctus procedit a Filio*, quoniam in Ecclesiis Græcorum insolita sunt, non subito posse induci absque scandalo: sed ad hoc aliquod generale celebrari oportere concilium occidentalis & orientalis Ecclesiæ *auctoritate sancti Romani Pontificis*, ubi id aliaque definirentur; quod iterum in libro tertio repetit. Altera collatio, quæ tertio libro continetur, habita fuit in ecclesia sanctæ Sophiæ: ubi actum est de diversis ritibus utriusque ecclesiæ in sacramentis, in primis de usu azymi, & fermenti in sacrificio. Nechites Anselmo objecit decreta Melchiadis, & Siricii Romanorum Pontificum de fermento: quod Anselmus *non de fermentata hostia, sed de eulogiis interpretatur*. Denique Nechites optat, ut tollatur de medio utriusque gentis perniciosum discordiæ hac de re scandalum, cum nullum in offerendo azymo, sive fermento sit fidei periculum. In quæstione de baptismo Anselmus censet, Constantinum prius in Lateranensi basilica baptizatum a Silvestro, denuo ab Eusebio Episcopo Nicomediæ fuisse rebaptizatum. Sed satis superque de illis collationibus Anselmi Episcopi, qui eas Eugenii III. jussu in scripta redegit occasione cujusdam Episcopi Græci ab Imperatore ad sedem Apostolicam missi, qui de suis ritibus contra Romanos disceptabat; Hujus Anselmi Episcopi Havelbergensis mentio occurrit in libris de Bernardi miraculis, a Philippo monacho vulgatis, ubi eumdem Spiræ a gravi morbo a Ber-

Jesu Chr. an. 1136.

Collatio de Spiritu Sancto.

Jesu Chr. an. 1136.

Bernardo sanatum fuisse refert, ait Mabillonius lib. 76. Annalium n. 94.

Bernardi Antioch. Episc. obitus, cui Rodulphus succedit. *Gulielm. Tyr. lib. 13. c. 10.*

12. Gravior adhuc quæstio in Oriente hoc tempore agitata est, cui tumultuaria ne dicam schismatica Rodulphi cujusdam natione Franci ordinatio in Antiochenum Episcopum occasionem dedit; cum enim ut narrat Gulielmus Tyrius, primus latinorum Patriarcha Antiochenus Bernardus postquam per annos 36. eidem Ecclesiæ præfuerat hoc anno successor eidem absque consensu Cleri ejusdem Ecclesiæ, vel Episcoporum Metropolis, in eam sedem homo militaris Rodulphus, cognomento Mamistanus, natione Francus, Diœcesis Cenomanensis favore populi, quem largitionibus demeruerat, intruditur: *Cujus favore*, ait Gulielmus, *Ecclesiam, & Palatium occupans, statim sine mora pallium de altari B. Petri, nulla ad Ecclesiam Romanam habita reverentia, sibi assumpsit*. Qui igitur ita cum schismate cœpit exordium, in schismate pariter perseveravit, detrectans omnino subjici Ecclesiæ Romanæ Pontifici, quem diceret non sibi superiorem, sed parem, *quod diceret* (inquit Tyrius) *utramque Petri esse Cathedram* Antiochenam, & Romanam, *eamque quasi primogenitam, insignem prærogativa*. Ne autem ita temere præsumpta insania invalesceret, Innocentius Papa simul ac ista cognovit, ad curandum istiusmodi hominem tanta phrenesi laborantem, decernit Legatum a latere in Orientem Albericum Episcopum Ostiensem, de cujus legatione infra sermo occurret.

Rodulphus Antioch. Patriarc. Romam venire cogitur. *Gulielm. Tyrius lib. 15. 12.*

13. Nunc quæ legati adventum præcesserint, ex eodem auctore adnotamus, cum scilicet, mutato Principis animo, ac ex benevolo exasperatus Romam Rodulphus supplex pergere, & Pontificis gratiam, & profectionem implorare coactus est. Nam *æmuli ejus* subdit Tyrius cooperatorem Principem habentes *animosius ejus impugnationibus insistentes Romam proficiscuntur. Erant autem adversarii ejus Lambertus vir quidam litteratus, ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus, & honestæ conversationis, sed sæcularium modicam aut nullam habens experientiam: & Arnulphus quidam Calaber natione, nobilis genere, litteratus, & in sæcularibus plurimum circumspectus. Hi interpositis appellationis vocibus, consentiente & favente Principe, Romam profecti, eum etiam invitum, sed*

sed per Principem compulsum, eamdem viam arripere coegerunt. Factum est itaque, quod Arnulphus praecederet, & in Siciliam compendioso itinere profectus, conjunctis sibi de amicis, & consanguineis, quia de Calabria erat oriundus, ubi postmodum fuit Consentinus Episcopus (erat enim valde nobilis, ut diximus) dominum Rogerium Apuliae Ducem, cui notus erat, convenerat, dicens: Ecce Princeps egregie, in manus tibi optato, sed & gratis datur hostium tuorum immanissimus, Antiochenorum Patriarcha qui tibi & haeredibus tuis in perpetuum Antiochiam abstulit, sublimato in ea viro ignoto, contra juris ordinem, eo quod Bohamundi Antiochiae olim Principis Rogerius, utpote affinitate conjunctus, haeres fuerat, & ut Antiochenum Principatum, seu haereditate, *tibi legitimo successionis jure debitam*, iterum vindicaret, hortati sunt. Ea oratione excitatus Rogerius in maritimis urbibus insidias posuit, ut quocumque Patriarcha adveniret, detentus, in Siciliam captivus mitteretur; Quare cum Rodulphus Brundusium appulisset, ibidem detentus; *sublatis omnibus quae detulerat, sed & dispersa familia vinctus traditur Arnulpho in Siciliam ante Ducem pertrahendus &c.* At in Principis conspectum admissus, facta eidem spe de Antiocheno Principatu recuperando, libertatem obtinuit, cui etiam ablata restituta sunt ut idem Gulielmus testatur. JESU CHR. AN. 1136.

14. Romam itaque progressus, *prima facie*, ait auctor, *difficiles habuit ad dominum Papam introitus tamquam Romanae persecutor Ecclesiae, & qui singularem Sedis Apostolicae primatum comminuere, & infringere voluerit, sed aemulam contra Romanam erigens, & pacificans Ecclesiam, tamquam laesae majestatis reus ab ingressu sacri arcendus Palatii, & a domini Papae colloquio suspenditur. Porro tam dominus Papa, quam universa Ecclesia procliviores erant ad hoc, ut dominum Patriarcham sumpta qualibet honesta occasione gravarent: ejusque adversariis plurimum exhibebant favorem. Suspectus enim eis habebatur, eo quod vir dives esset, & magnificus, & sedem cui praeerat, Antiochenam videlicet, Romanae subjicere dedignabatur, sed ei eandem in omnibus parificare contendebat, dicens: Utramque Petri esse Cathedram, eamque quasi primogenitam, insignem praerogativa. Unde multipliciter ad ejus gravamen nitebuntur. Tandem quorundam amicorum usus* De gestis Romae cum Patriarcha Antioch. *lib.* 15. *c.* 12. 13.

offi-

Jesu Chr. an. 1136.

officio, interventibus tam domini Papæ, quam suis familiaribus semitas dirigentibus, admissus est ad domini Papæ, & Curiæ solemniter congregatæ præsentiam, & cum multa susceptus est magnificentia. Porro semel & secundo eo in Consistorium ingresso, sumpta opportunitate, ejus adversarii prodeunt in publicum, & oblatis libellis accusatoriis, parati erant cum omni juris solemnitate ad accusandam procedere. Verum cognoscens tota Curia, quod qui ad accusandum prodierant, non erant eatenus instructi, ut domino Papæ, & ejus assessoribus plenam de objectis possent ibi fidem facere: significatur ambobus, quod interim quiescant, quousque dominus Papa aliquem de latere suo ad partes dirigat Antiochenas, qui ibi habita testium, instrumentorum copia, de causa plenius possit cognoscere.

Rodulphus Antioch. Patriar. Antiochiam redit.

15. Quare *resignato pallio, quod idem Patriarcha de Altari Antiochenæ Ecclesiæ suæ sibi sumserat auctoritate in injuriam (ut dicebatur) Sedis Apostolicæ, & Cardinalibus tradito, aliud ei* pallium *sumptum de corpore B. Petri, more solemni per priorem diaconorum traditur. Sic itaque mora, quantum negotium ejus exigere videbatur, Romæ habita, cum plenitudine gratiæ, salva tamen quæstione, sumpta licentia, ad Ducem Rogerium in Siciliam reversus est. Qui redeuntem honorifice suscipiens, postquam mutuis colloquiis sæpe, & multum ad invicem plura, & quæ sufficere videbuntur, familiariter contulerunt, datis eidem a domino Duce galeis quotquot ad iter remeandum habuit necessarias, secundis usus flatibus, in Syriam devectus, fauces Orontis attigit, qui fluvius Antiochiam præterfluit, qui locus vulgari appellatione, Portus S. Simeonis dicitur. ab Antiochia decem plus minusve modicum distans milliaribus. Postquam ergo, sicut dictum est, dominus Patriarcha Cœlesyriam advenit, & suæ ita vicinus factus est civitati, scribit Ecclesiæ suæ, ut die statuta ei extra civitatem in loco prænominato cum processione solemniter occurrant*; Clerus tamen Antiochenus, obviam eidem ire, aut obedire recusavit; *Sed & introitum civitatis per Principis violentiam penitus interdicunt*, sicque Antiochia exclusus compulsus est in monasteriis extra urbem degere, usque dum placatus cum eo Princeps, ut in urbem rediret, facultatem obtinuit; uti ab eodem auctore traditum.

16. Cum

16. Cum tamen sic ab urbe dimissus esset, ut eum Apostolicæ Sedis legatus sequeretur, qui accusationes adversariorum reciperet, causamque judicaret, ac Petrus Lugdunensis Episcopus legatus in Syriam ea de causa ab Innocentio Papa missus, illuc pervenisset, & Hierosolymam orationis causa profectus, indeque digressus, ut Antiochiam pergeret, cum Accon pervenisset, *Gravi correptus ægritudine antequam procederet veneno (ut dicitur) in potu ministrato, subito deficiens, in fata concessit. Prænominati autem Patriarchæ adversarii Antiochiam properantes, omnimodo destituti auxilio, spe quam de adventu Legati conceperant, frustrati, viæ, & laborum, quæ per tot pertulerant tempora, tædio fatigati: per interventores, quos ad hoc reputabant idoneos, pacem supplices postulant, accusationi renuntiare, & parati fidelitatem exhibere. Lambertus in Archidiaconatum restituitur: Arnulphus vero nihil humanitatis inveniens, Principis iterum fretus auxilio, solita longanimitate rursus ad labores, & iter accingitur, Romamque proficiscens, iterum opportune, & importune pulsat. Tandemque precibus proterve insistens, obtinet, ut prædictus Legatus, de quo nobis in præsenti sermo est, in Syriam dirigatur*, nempe Cardinalis Ostiensis; At de altera Alberici Ostiensis Episcopi. legatione in eamdem causam, deque Antiochena synodo, ejusque exitu infra ad annum 1141. sermo fiet, hanc Antiochenam synodum conciliorum editores alligaverunt; ad Lotharium Imperat., & ad Innocentium Papam legatione, de injuria sibi illata conquesti sunt, & ne Rainaldi electioni consensum præberent, hortati sunt; At Rainaldus facta Rogerio Regi fidelitate, pactisque conventis, monasterii possessionem iniit; Interea *Henricus Dux gener Imperatoris intravit Campaniam*, ait auctor, *cum Papa Innocentio ab Imperatore transmissus. Igitur cum in planicie Cassini contigua castra posuissent: Richardum Pontificis memorati capellanum, & Casinensis Cœnobii monachum ad monasterium mittunt; mandantque si se suscipere velint, & Innocentio Papæ obedire, se illos ut filios, ut fratres, ut socios dilecturos, monasteriumque sub custodia, & protectione Imperatoris habituros*. At Rainaldus in Anacleti obedientia, & Rogerio fide servanda obstinatus, oblatam ab Lothario, & Innocentio pacem, & amicitiam respuit.

JESU CHR. AN. 1136.

Petrus Lugdun. Episc. legatus in Orientem mittitur ibique obiit.

Villel. Tyr. lib. 15. c. 15.

Jesu Chr. an. 1136.

Lotharius ad Cassin. monachos scribit, Rainaldum Abbatem ad se vocat.

c. 106. 7. 8.

17. Paulo post tamen cum in Campaniam Lotharius advenisset, eamque sibi subjugasset, dum adhuc Barii vel Siponti esset, rogatus ab Cassinatibus monachis, bona quædam iis ablata restitui fecit, ac litteris ad Abbatem, & ad monachos Cassinenses, quibus etiam Rachiza Imperatrix suas addit, Abbatem æque ac monachos, de obedientia, reverentiaque ab Cassinensibus monachis Caroio Magno, Pippino, Ludovico, aliisque Imperatoribus exhibita, sibique etiam debita, admonitos fecit, iisque Imperator, uxorque protectionem suam, incolumnitatemque promittentes, ac ut sibi, occurreret, Abbati præcepit, quod cum semel, & iterum jussissent, *Tandem Abbas coactus in nativitate S. Joannis Baptistæ iter arripuit*, cum monachis nonnullis ex quibus Petrus Diaconus Cartularius, Bibliothecarius, Scriniarius, ac Chronici Cassinensis continuator, *quem nominatim Lotharius Imp. vocaverat*, ait auctor: Tranam itaque progressus Abbas cum suis, quatuor dies ibi transegit, indeque Capuam progressi, ab monachis ibidem degentibus hospitium iis negatum est; *Nam Innocentius Papa secundus litteras per omnia Cassinensis Ecclesiæ adjacentia monasteria, ne supradicto electo, vel fratribus obedirent, mandaverat*. Quare acceptis quidem, quæ ad victum erant necessaria, iter suum per Furcas Caudinas, Beneventum Abbas Cassinensis transit.

David Scotiæ Rex bellumStephano infert.

18. Angliæ Regnum vix Stephanus obtinuerat anno superiori cum duos sibi adversarios sustinere coactus fuit, Mathildes quippe Imperatrix, Henrici Angliæ Regis filia, & secundis nuptiis Godefrido Andegavensi Comiti copulata, Davidis Scotiæ Regis implorato auxilio, Angliæ Regnum sibi potius, utpote filiæ, quam Stephano agnato debitum invadere tentavit, ad quod Robertus quoque Glocestriæ Comes, & Henrici ex concubina filius aspirabat; hinc civile bellum exortum est, ut auctor Anonymus, & coævus, qui Stephani Regis gesta narravit, pluribus exponit, inter cetera, *Erat Rex in Scotia*, inquit, David scilicet, qui *vehementer indoluit Stephanum Regni Anglorum gubernaculum suscepisse*; cum tandem ab Mathilde excitatus, *exercitum in Angliam duxit, & in provincia Northumbria, quæ lata & populosa erat omniumque necessariorum copia referta, castra metatus est*, ait auctor, ac ibidem gesta hinc inde describit, ac Davidem Scotiæ Regem

gem inde post cladem acceptam, ad sua rediisse addit, ut infra dicturi sumus.

JESU CHRISTI an. 1137. Innocentii II. Papæ an. 8.
Lotharii Imp. an. 5. Joannis Comneni Imp. an. 20.

Lotharii adventus ad Innocentium Papam.

1. Compositis anno elapso in Longobardia rebus, eaque vel sponte, vel armis subjugata, in Bononiensi agro Lotharius cum exercitu hyemaverat, *ac tandem capta Bononia venit Cassan pacifice, seu Cæsenam, ubi celebravit Purificationem Sanctæ Mariæ*, ait Annalista Saxo ad hunc annum, Lotharii gesta per singula exponens. Hinc Otto Frisingensis in chronico ad hunc annum *Bononienses, & Omilienses, qui priori eum expeditione despexerant, supplices, ac multum servitii afferentes, ultro occurrunt*; inter ceteros Dux Ravennæ Cesenæ occurrit, ac inde Henricum Bavariæ Ducem in Tusciam misit, *ut Eygelbertum Marchionem a suis expulsum, priori dignitati restitueret*. Imperator vero Ravennam veniens honorifice ab Gualterio, & Clero, & Populo exceptus fuit, ac progressus inde in Marcam Anconitanam transiit, ac *Vanam* Fanum fortasse, *& Senogalliam obsedit, & expugnavit, deinde Avennam civitatem obsedit*, seu Anconam, quam terra, marique circumdatam, ad deditionem *compulit*; cum *Facto in eos impetu amplius duobus millibus peremptis, reliquos fugavit*; ait Annalista Saxo; iisque peractis omnes ejusdem regionis Principes, ultro se se Imperatori dederunt, *ac suis stipati agminibus obsequio ferventes Imperatorem comitabantur*, quælibet ad victum exercitus, vel ad bellum necessaria afferentes. Imperator interea Pascha Firmi celebravit, ac Apuliam ingressus, totam regionem excurrendo fere in suam redegit potestatem, cujus gesta ibidem cum Annalista Saxone fusiori stilo narrat Fulco Beneventanus in chronico.

apud Eccard. to. 1. p. 674.

Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 120.

Innocentius Papa Viterbium Henricum adit.

2. Henricus vero Dux Bavariæ Lotharii Imp. gener, & in expeditione Italica socius ex Cæsena per Thusciam profectus, ut supra diximus, ut eam Engilberto Marchioni traderet, cum Vidonem Comitem in planitie Mugellæ devicisset, *Florentiam ad deditionem compulit, ac ejusdem civitatis Episcopum injuste expulsum, sedi suæ restituit. Unde transiens Pistorium venit ad S. Cassianum*, ac Lucam adire, & obsidere

Annalista Saxo p. 675.

JESU CHR. AN. 1137. dere cogitabat; *Sed mediantibus quibusdam Episcopis, & Abbate Clarevallensi*, Bernardo scilicet, qui ab Innocentio Papa rogatus in Italiam redierat; *data magna pecunia placaverunt. His ita compositis*, subdit auctor, *Dux castra movit Hunsiens, quam* expugnavit; Inde Grossetum subegit, quo cum Innocentius Papa convenisset eum *honorifice suscipiens, & contra adversarios patenter per civitates circumducens venit Biterviam*, seu Viterbium, *cujus major pars Innocentio, firmior autem*, seu nobilium, *favebat Petro Leonis: Inde venientes Sutrenem*, seu Sutrium *Episcopum Petri Leonis fautorem deposuerunt, et loco ejus Joannem Abbatem*, (Valdensem scilicet vel Fuldensem, *Capellanum subrogaverunt. Sic ergo per Romanam intrantes Campaniam aditum* Montis Cassini Henricus Dux obsedit, Rogerius autem Calabriæ & Campaniæ Princeps, ut ab finibus suis tantum hostem everteret, *Missis nunciis gratiam Imperatoris quæsivit*, ait idem Annalista, *& infinitam pecuniam, filiumque suum obsidem illi promisit, si Apuliæ Principatum alteri filio traderet, Imperator autem paci Ecclesiæ magis consulens, quam pecuniæ, semipagano tyranno tradere provinciam omnino recusavit &c.*

Innocentius Beneventum recuperat.

3. Eadem fere de Innocentii, & Lotharii gestis hoc anno narrat Fulco Beneventanus in chronico: *In anno octavo Pontificatus Innocentii, mense Martio XV. Indict. præfatus Apostolicus Innocentius, qui tunc Pisis morabatur, consilio communicato de civitate Pisana exivit, & apud civitatem Viterbium advenit præfatum Imperatorem Lotharium allocuturus. Imperator igitur Henricum generum suum cum tribus millibus Equitum ad Pontificem destinavit Innocentium, addens se facturum, ut Romanos fines teneat, & Principi Roberto* (Capuano) *Principatum suum restituat. Ipse vero Marcas adire disposuit* (per Marchiam Anconitanam). *Apostolicus autem continuo Romanos fines advenit, & civitatem Albanum, & provinciam totam Campaniæ suæ obtinuit fidelitati. Romam quidem ingredi noluit, ne in Romanorum negotiis impediretur* (quia nempe Anacletus, & ejus parentes ibi prævalebant). *Præfatus autem Imperator flumen Piscariæ adveniens, Pascha Domini ibi celebravit. Inde flumen illud transiens, civitatem Termulensem, & illius provinciæ Comites obtinuit, & inde amoto exercitu Apuliam ingreditur, & civitatem Sipontum, & Mon-*

Murat. to. 5. p. 120.

Montem S. Angeli octavo die intrante mensis Maii comprehendit. Tantus itaque timor totam invasit Apuliam quod universus populus usque ad civitatem Barum ad ejus Imperium alligatus est. Hinc Innocentius ad civitatem S. Germani transiit, inde Capuam, quam Roberto Principi restituit, Beneventum postea profectus cum resistentem plebem invenisset, vi adhibita Henricus ad deditionem compulit, ac pugnas ibidem inter cives gestas narrat, quibus idem ipse Falco interfuit, ab exilio post triennium reversus; Unde subdit. *Cum aliis Beneventanis similiter exulibus, licentia praedicti Pontificis ad propria reversi sumus &c. Praefatus autem Apostolicus*, addit Falco Innocentii iter, & gesta prosequens, *nominatum Giraldum Cardinalem ad civitatem mandavit, ut a civibus universis fidelitatem acciperet quod & factum est*; iisque gestis *octavo Kal. Junii, ut ad Imperatorem nominatum festinaret, Innocentius iter arripuit*; Ac Beneventum veniens relicto ibidem Geraldo Cardinale hortatisque civibus ut pacem concordiamque foverent, se cito rediturum promisit, interea; *Ad praedictum Imp. Lotharium tetendit, quem super civitatem Barensem eam acriter obsidentem invenit*, ibique *cum honore mirabili, & gaudio ab Imperatore suscipitur*, cum quo hinc inde progressus, Salerno jam capta, tota Campania cum Apulia, & Calabria in Lotharii potestatem transiit, ut fusiori stylo prosequitur auctor.

Innocentius ad Lotharium in Apulia transit.

4. Quibus ita peractis, *Praefatus Imperator, & Apostolicus castra inde amoventes Abelinum venerunt, deinde Beneventum. Cum autem Abellinum venisset Apostolicus ipse Innocentius Ducem ad defensionem Apuliae ordinare nomine suo satagebat, Imperator vero nomine suo contra voluntatem Apostolici ordinare volebat. Unde factum est, ut per triginta fere dies* (per quas Abellini castra metati sunt) *ad invicem discordatum sit, sed Sapientum consilio communicato, discordia talis destructa est. Quid multa? Divina favente clementia, & ipso Imperatore favente, omnibusque suis Apostolicus nomine suo ad B. Petri fidelitatem Comitem Rainulphum, virum utique prudentem & discretum* (qui Mathildem sororem Rogerii uxorem duxerat) *in Ducem elegit, & eo electo vexillum ad honorem Ducatus Apostolicus, & Imperator in conspectu omnium ei tradiderunt, & confirmaverunt &c.*

Innocentius Papa Rainulphum Apuliae Ducem creat.

5. Be-

Jesu Chr. an. 1137. Innocentius Beneventi Episc. ordinat.

5. Beneventum cum uxore Kal. Septemb. reversus Imperator, magnifica dona Ecclesiæ S. Bartholomæi *Imperatrix nomine Florida* obtulit, ait Falco, ac immensa lætitia tunc affectos ibidem cives fuisse addit; *Quia quod Patres, Avi, Proavi videre non potuerunt, temporibus nostris vidimus*, idest Imperatricem: *Triduo autem post Imperatoris adventum præfatus Apostolicus Beneventanam civitatem intravit, & a Clero, & Populo universo honorifice susceptus est; Altera autem die adveniente in sacro Beneventano Palatio sedens in conspectu Cleri, & Populi Beneventani, clamavit, ut si quis contra personam, sive electionem Gregorii Beneventani Electi canonice, & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponerent: sed clementia divina opitulante, & quia Electus vitam suam religiose custodierat, nemo civium contra ejus electionem objecit. Apostolicus itaque hoc aspiciens gratias Deo egit, & ipse de persona, & vita Electi testificatus est honeste, & religiose, & eidem Electo præcepit, ut de peccatis suis confiteatur, & die Dominico adveniente, Spiritu Sancto cooperante, consecrationem acciperet. Quid multis? Die adveniente Dominico Apostolicus ipse Ecclesiam Episcopi descendit quinto die videlicet intrante mensis Septembris Electum ipsum consecravit, ad cujus consecrationem Patriarcha interfuit Aquilejæ, & complures alii Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Theutonicorum viri religiosi &c.* His peractis Beneventani judices Innocentium precati sunt, ut apud Imperatorem ageret, ut liberarentur, *De Vinearum Fidantiis, & Angariis, Terratico*, ait auctor, quorum precibus motus Pontifex, Aquilejensem Patriarcham, aliosque Cardinales, & Giraldum specialiter suum Cardinalem Presbyterum ad Imperatorem, qui extra urbem in castris degebat, direxit, ut Rogerio de Ariano, ceterisque Baronibus præciperet, *Ut Fidantias*, & omnes redditus, quos de hæreditatibus Beneventanorum habere soliti erant dimitterent, quorum votis annuens Lotharius, vocatis ad se Regni Baronibus, ut iis Angariis renunciarent, jussit, quod & factum est; Unde *Salvatori Deo, & Innocentio Papæ gratias egimus*, ait auctor, qui his omnibus interfuit, *cujus virtute, & gratia tantam consecuti sumus libertatem &c.*

Innocentius Romam, Lotharius in Germaniam redit.

6. *His ita peractis Imperator de prædicto loco castra movens viam Romam redeundi arripuit, & prædictus Apostolicus cum*

cum illo festinavit nono die intrantis Septembris, & Capuam petens Romam transierunt; Quid plura? Imperii sui altitudinem & Palatia ille repedavit, Apostolicus autem Innocentius Palatium Lateranense adivit &c. seu ut ait Cardinalis de Aragonia in vita Innocentii. *Tanto triumpho suffragantibus Beati Petri meritis habito, Imperator ad Alemanniam, & Pontifex ad urbem cum gloria redierunt &c.* Annalista quoque Saxo Lotharii vestigia sequens usque ad anni hujus exitum, quo Lotharius obiit, & scribendi finem fecit, ac Preneftem, Tiburim, ac Faram transiisse adnotat, eaque oppida subjecisse, ac Innocentio tradidisse addit. *Post data, & accepta honorifice ab Imperatore, & Principibus licentia, Papa remeavit in sua, Imperator autem Narniam pertransiens,* ac Æmiliam, seu Ameriam, & Urbemveterem recepit, Bononiam postea rediens exercitus partem maximam dimisit; *Denique Lotharius Imperator Tridentum veniens, ibique festum S. Martini,* cum gaudio celebrans, *infirmari cœpit, quo languore quotidie ingravescente amore magno revisendæ patriæ nec ob hoc iter suum remorari patiebatur. Sed prævalente mortali ægritudine desperatus, cum Episcopi, qui aderant, exitum ejus, unctione sacri olei, & vivificis sacramentis munissent, tandem apud Breduvam villam, in faucibus Alpium constitutam, ille heu multis lamentabilis, ut pote pax Ecclesiæ, amator religionis, & justitiæ, III. Nonas Decembris a seculo migravit;* Fulco etiam Beneventanus ad hunc annum. *Prædictus Imperator cum ad Imperium suum revertebatur, mortuus est, in partibus Thusciæ,* seu potius ut Annalista Saxo, & Otto Frisingensis in Tridentina valle, *& eo defuncto Conradus ad Imperium unanimi voto sublimatus est* anno sequenti. Lotharii corpus ad monasterium Luterense in Saxonia delatum honorifice sepultum fuit, ut Dodechinus, Uspergensis, aliique scriptores tradunt; unde Moguntiam nequaquam delatum fuit, ut scribit Baronius num. 12. anni sequentis. De Lotharii obitu duæ extant Petri Diaconi epistolæ ad Richisam Augustam uxorem ejus consolatoriæ, ab Mabillonio in appendice ad tomum 6. Annal. pag. 672. insertæ ut ibidem videre est.

JESU CHR. AN. 1137.

apud Eccard. to. 1. p. 679.

Lotharii iter in Germaniam, ejusque obitus.

Murat. to. 5. p. 125.

7. In hac Italica expeditione, ut narrat auctor chronici Saxonici, dum Tranæ esset Imperator *Quarta feria post Pentecostem Bruno Coloniensis Archiepiscopus sanguinem sibi minui*

Brunonis Colon. Archiep. obitus.

Jesu Chr. an. 1137. *minui fecit, & tertia die repentina morte obiit, eique Hugo subſtituitur*, in Epiſcopatu ſcilicet, *qui Pontificalem benedictionem, & pallium a Papa ſuſcepit*, ut paulo poſt is auctor ſubdit.

Adalbertus Mogunt. Archiep. obiit.

8. *Eodem tempore ad Germaniam obiit Adalbertus Mogontiacenſis Archiepiſcopus, & magna pars ejuſdem civitatis, igne cremata eſt, Archiepiſcopatum autem Adalbertus junior ſuſcepit*; Dum *Melphiæ* eſſet Lotharius *in feſto Apoſtolorum* Petri, & Pauli, *Hugo Colonienſis Achiepiſcopus ſanguinem ſibi minui faciens quarto die, ideſt ſecundo Kalend. Julii obiit, & in Abbatia ſepultus eſt*. Potentiam inde profectus Lotharius *Ratiſponenſem Epiſcopum pro Colonienſi Archiep. Cancellarium inſtituit*; Cum Caſſinum montem adiiſſet; *Ibi Concordiæ Epiſcopus defunctus, & ſepultus eſt, apud Præneſte defunctus ac ſepultus eſt Giſſo Comes Haſſiæ*; Ab urbe excedens, cum jam Tiberim prope Orbemveterem tranſiiſſet, in Aricia *Adalbertus Baſileenſis Epiſcopus obiit*, atque his alii plurimi addendi eſſent, qui in ea expeditione, ſeu excurſu Lotharii Italico vel gladio, vel morbo e vivis exceſſerunt, ſed hæc de primoribus adnotaſſe ſufficiat.

Innocentii epist. ad PetrumCluniac Abbatem. *Inter epist. Petri Clun. lib. 4. ep. 26.*

9. Innocentius interea Papa antequam ad Urbem reverteretur, dum cuncta ſibi, & Lothario cederent ac totam ferre Apuliam ſibi ſubjeciſſet, datis ad Petrum Cluniacenſem litteris, tantæ felicitatis participem fecit. *Super ſollicitudine atque diligentia*, inquit, *quam erga nos, & Beati Petri negotia te exhibere cognovimus, Omnipotenti Deo, & tuæ devotioni gratias agimus. Benedictus igitur Dominus Deus Iſrael, qui viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ; Qui etiam ita nobiſcum magnificare dignatus eſt miſericordiam ſuam, ita fecit proſperum iter noſtrum, ut ab Urbe Roma uſque Barim vix aliqua civitas, caſtrumve remanſerit, quod beato Petro & nobis ſubjectum, & obediens non exiſtat &c.* se ejus præsentiam exoptare addit; *Sed quoniam* ſubdit, *Æſtivi fervores, & aeris intemperies, nec non fragilitas complexionis tuæ id minime patiuntur, ſe ejus orationibus commendat, ac data eſt in territorio Potentienſi* 13. *Kal. Auguſti*.

Cassin. Abbas cum honore ab Lothario susceptus.

10. Inter cetera ab Lothario in Campania pro ſchiſmate extinguendo geſta, Rainaldum Caſſinenſem Abbatem in ſchiſmate pertinacem depoſuit. *Imperator Campaniam tranſiens*

siens venit in montem Cassinum, cujus Abbate reprehensibili deposito, & alio in locum ejus subrogato, plurima Ecclesiæ prædia & castella perdita partim ei, partim judicio restituit; ait Annalista Saxo. Rem gestam Petrus Diaconus coœvus & præsens fusiori stylo describit, cujus hæc summa est; cum Sanioreɑus Abbas e vivis objisset, Rainaldus ei successor datus est; invitis monachorum plurimis, qui plurima inter pericula, cum eos per milites suos Rogerius capere tentasset, tandem *Ad lacum pensibilem, ubi omnis Imperatoris exercitus cum Papa Innocentio residebat, advenerunt. Sed cum nuncii Papæ Innocentii extra castra ei obviantes dixissent, Pontificem jussisse antequam castra intraret, discalceatis pedibus cum Fratribus, qui secum erant, Papæ satisfacere, & pro obedientia, quam filio Petri Leonis exhibuerant, pœnitentiam recipere, & jurejurando firmare, ut quidquid Pontifex præciperet, implere morigeraret, & filium Petri Leonis cum suis refutans, anathematizaret. Raynaldus timore ductus, Cæsarem appellare, de hac re cum Imperatore consiliaturum respondit, & sic castra ingressus est*; ubi ab Lothario Imperatore multo cum honore Rainaldus Abbas cum monachis suis exceptus fuit, cujus tentorium juxta suum figi Imperator jussit, *Nequaquam justum esse Cappellanos Imperatoris, monachos scilicet Cassinenses ab Imperatore separari.*

JESU CHR. AN. 1137. *Chron. Cassin. lib. 4. cap. 103. et seqq. ad 116.*

Cassin. Abbas cum honore ab Lothario suscipitur.

12. Ut autem Innocentius Papa cognovit Rainaldum Abbatem ab Imperatore susceptum fuisse; *directis Cardinalibus cœpit vehementer Imperatori instare ut jurejurando filium Petri Leonis anathematizari a Cassinensibus Monachis faceret, & per sacramentum fidelitatem, & obedientiam Papæ Innocentio, & ejus successoribus promitti faceret; conquerens, cur excommunicati, & a liminibus Ecclesiæ separati ab Imperatoria essent Majestate recepti, renuentibus Monachis, atque dicentibus, Dominum in Evangelio, & Patrem Benedictum in Regula præcepisse, ne jurarent, & se, ac priores suos unqam jurandi consuetudinem habuisse, fidelitatem vero, neque Papæ, neque alicui se esse facturos, quippe cum sibimet ipsi fideles esse non possent, faciendo illa, quæ Deus per Beatum Benedictum vetuit, & dimittendo, quæ observare præcepit, sicque eo die ab Imperatore discessum est. Alio vero die Pontifex per Aymericum Cancellarium, & Gerardum, ac Guidonem Cardinales*

Innocentius Papa Cassini Abbati jubet, ut Anacletum anathematizet, sibique fidem juret.

JESU CHR. AN. 1137. *direxit, ut, aut a Monachis Casinensibus filium Petri Leonis anathematizari faceret*, aut ab illis sicut excommunicatis abstineret.

Cassin. monachi cum legatis Innocentii causam perorant.

13. His acceptis Lotharius, *cum nec Antistitem irasci, nec Casinensem Ecclesiam dejici vellet, blande eos allocutus ad Apostolicum remisit, dicens*; se totam causam, an scilicet pro excommunicatis habendi essent, nec ne, in consistorio post dies duodecim cogniturum esse, monachosque admonuit, ut causæ suæ patrocinatores eligerent; *li vero Petrum Diaconum bibliothecarium, Cartularium, Scriniarium disceptatorem, defensoremque suæ partis eligunt*; ait idem ipse Petrus, qui de congressu habito hæc subdit. *Die statuta mane facto, expletaque matutinali sinaxi, vivificisque celebratis mysteriis, Imperator sibi tribunal in tentorio parari jussit, missisque nunciis Cassinenses vocari fecit, qui cum venissent Imperatori præsentantur. Adsunt & Cardinales ab Innocentio Papa directi, causidici quoque quamplurimi*; ibique *septimo Idus Julii residente eodem invictissimo Imp. ad aquas Pensiles, consedente etiam Peregrino Patriarcha Aquilejensi cum Archiepiscopis, & Episcopis, Abbatibusque quampluribus, causidicus pro Romana Ecclesia directus est, Gerardus Cardinalis tituli Sanctæ Crucis, nec non & Guido Cardinalis, qui ambo postea Romanam rexerunt Ecclesiam, Aymericus Cancellarius, & Diaconus Cardinalis, Balduinus Presbyter Cardinalis, qui post Pisanorum factus est Archiepiscopus, & Norbertus Clarevallensis Abbas, ac alii quamplures civitatis Romanæ nobiles. Ex parte Cassinensis Ecclesiæ Auditores extiterunt Henricus Dux Bosariæ gener Imperatoris, Conradus Dux Sveviæ, qui postea Romani Imperii sceptra suscepit, Otto de Burchisin Consobrinus Imperatoris. Fredericus Marchio Anchonitanus, Malaspina Marchio Liguriæ, Henricus Episcopus Ratisponensis, Anno Episcopus Ausiliensis, Anno Abbas Luneburgensis, Gualfridus Palatinus, Judex Romani Imperii. His itaque præsentibus, factus est conventus in prædicto loco, & facto silentio Imperator dixit*, gravem ibidem causam inter Rom. Ecclesiam, & monachos Cassinates tractandam proponi, ac Girardus Cardinalis tituli Sanctæ Crucis, qui pro Rom. responderet Ecclesia eligitur, pro Cassinensibus Petrus Diaconus, & pro qualibet parte inter-

terpretes; Hisque gestis, cum in unum ex utraque parte electi convenissent, cum ceteris Episcopis, & Abbatibus septimo idus Julii, Lotarius Imp. causam ibidem non solum Rom. Ecclesiæ, & Cassinensis monasterii, sed & alias pertractandas esse dixit.

Publica disputatio inter Girardum, & Petrum Diaconum.

14. Adstantes itaque delecti utriusque partis patrocinatores, Gerardus scilicet et Petrus diaconus: Primus quidem coram Imperatore sedit; ad ejus vero pedes Petrum sedere jubetur; at Gerardus nequaquam cum illic stare passus est, dicens, *Illicitum esse excommunicatos cum filiis ecclesiæ sedere*; Quare ut litem Imperator componeret, ut ad suos pedes sederet, jussit: tunc causa proposita fuit, num Cassinenses monachi, qui hactenus Anacleti partes sequuti fuerant, excommunicationis labem incurrissent, tum Gerardus fidelitatis juramentum ab iis Innocentio præstandum esse addidit, quod cum Petrus diaconus monachorum causam agens, se facturos esse abnueret, in ea disceptatione primæ sessioni finis impositus fuit; die altera cum iterum convenissent, de jurejurando præstando iterum proposita est quæstio; cui iterum Petrus, juramentum monachis cum ab evangelio, cum ab sua regula prohibitum esse dixit, ad Schismatis vero notam monachis ab Gerardo illatam, eo quod Innocentio spreto, in Anacleti partes transiissent, se potius ab Innocentio derelictos fuisse respondit Petrus, dum is relicta Romana sede in Gallias aufugerat, atque his aliisque hinc inde dictis secunda sessio finem habuit: die altera adstantes Imperator hortatus est, ut tandem Romana Ecclesia, seu Innocentius Cassinenses monachos in suam gratiam reciperet, ac multa de sua præcessorumque suorum protectione erga Cassinense monasterium addidit, Gerardus vero iterum dixit, Innocentium nequaquam *pati posse, ut sine sacramento, & fidelitate monachos recipiat &c.* Monachos deinde accusavit Gerardus, quod Rogerio sociati rebelles hactenus Imperatori fuerint, Imperator vero se injuriam acceptam iis remittere dixit, & ut idem Romana faceret Ecclesia exoptare; atque sessione absoluta Petrus diaconus Imperatorem nocte sequenti adiens, longa oratione hortatus est, ne pateretur monasterii Cassinensis privilegia violari, aut monachos ad juramentum Innocentio præstandum compelli, qua oratione commotus Lotharius, cum die sequenti ab Gerardo urgeretur, ut

c. 110. 111.

cap. 111.

 mo-

Jesu Chr. An. 1137.

monachos ad juramentum Innocentio præstandum compelleret, ac cum se mirari dixisset, potius Cassinensis monasterii causæ, quam Rom. Ecclesiæ faveret, iratus aliquantulum Imperator, se per annum et ultra in papilionibus cum exercitu pro Rom. Ecclesiæ dignitate tuenda morari dixit, Innocentium suæ sedi restituisse, omnesque fere ultramontanas regiones eidem subjecisse, non ergo mirandum, quod Cassinense monasterium in sua protectione retineret, a prædecessoribus suis Carolo Magno, et Pipino, ac a Regibus Longobardorum, ab Imperatoribus Græcis Justiniano, Justino, Romano, Michaele, & Alexio, a tribus Ottonibus, quinque Henricis sub speciali semper tutela, et protectione habitum, & quasi pauca hæc essent, antiquioribus etiam temporibus eum locum in celebritate fuisse ex Varrone consule, & Cicerone in Philippica demonstravit; Quare Gerardus Cardinalis, ne ob dicta abs se irasceretur, rogavit, ac cuncta se Innocentio Pontifici relaturum promisit; Iisque dictis quarti dies est solutus conventus, ait auctor.

De Abbatis electione disceptatio. cap. 113.

15. Die altera quinto conventu habito Gerardus Cardinalis Lothario dixit, quod pro pace servanda Innocentius, *vestri causa fidelitatem ab eis non exigeret, sacramentum tamen, & obedientiam non dimmitteret*, ac de electione Abbatis quæstio proposita fuit, utpote ab excommunicatis de excommunicato, & ab schismaticis de schismatico, in quam rem primo diu disputatum est, cum sine licentia Rom. Pontificis Abbatem eligi non posse Gerardus contenderet, liberam vero monachis Abbatis electionem semper fuisse Petrus contenderet, deinde an Rainaldus utpote subdiaconus eligi potuisset, disputatum est, ac in utramque partem multa sunt dicta; atque his hæc quoque disputatio finita est, ut quatriduo post iterum cetera disceptaturi convenirent. Itaque in Lotharii consistorio iterum adstantes, de electione Abbatis denuo agitata est quæstio, & ab Petro Diacono, qui Cassinensis monasterii causam tanto cum zelo tuebatur, multa sunt dicta, quem Innocentius Papa, utpote disertissimum, oblato ei Cappellani sui officio in suas partes trahere conatus est, at ille gratias agens, se monachos in eo articulo constitutos dimittere non posse dixit, causa autem finita, *Se in servitio sedis Apostolicæ, & Rom. Pontificis fidelitate cum vita permansurum, promisit*,

17. Ea

16. Ea etiam die in disputando accidit, ut Cistellensis quidam monachus eminus adstans adversus Cassinenses monachos multa proponeret, cui cum non sine stomacho, & indignatione respondisset Petrus, ut cautius in concistorio loqueretur ab Lothario admonitus est.

17. Die altera convenientes, cum iterum Gerardus Cardinalis juramentum ab monachis ut pote schismaticis Innocentio exhibendum esse diceret, idque utpote insolitum renueret Petrus, Lotharius oratione habita, quanta hactenus tum pro Rom. Ecclesiæ dignitate, cum pro Cassinensis monasterii incolumitate egisset, adstantibus in memoriam revocavit, se eos convocasse addens non ut litigarent, sed ut eos reconciliaret; quare per Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Duces, per ipsam Rechisam uxorem suam Innocentium rogavit, ut tandem cum monachis reconciliaretur; cum spem Pontifex dedisset, Imperator ipse supplex Innocentium adiit cui cum se mirari addidisset, cur tantam pro schismaticis, & Imperio rebellibus, eo quod Rogerio sociati fuissent, sollicitudinem gereret; Se hæc quidem non ignorare Imperator dixit: *Unde rogo, ut censuram, qua illi plectendi sunt in me retorqueatis, si verberandi sunt, ego pro eis dorsum submitto, si deponendi, deponi volo &c.* ea oratione placatus Innocentius se omnem iis injuriam pro ejus amore dimittere dixit. *Ita tamen, ut filium Petri Leonis cum suis sequacibus anathematizent, & mihi, & successoribus meis obedientiam promittant*; qua conditione accepta, Rainaldum electum Abbatem cum monachis in festivitate beatæ martyris Symphorosæ ad Innocentium misit, quos ceteri ibidem adstantes Comites, Henricus Bojariæ Dux Imperatoris gener, Conradus Sveviæ Dux, Otto consobrinus Lotharii, Episcopi, aliique comitabantur, ac ad Innocentii tentorium perductus Rainaldus, Cardinales occurrentes interrogarunt, *si filium Petri Leonis cum suis sequacibus refutare vellet*, quod cum promisisset, ac cum monachis suis jurasset, *ab excommunicationis nexu soluti, discalceatis pedibus ad Papæ vestigia, dein ad osculum recepti sunt*, Petro vero Diacono jussit Innocentius, ne ultra Romanæ Ecclesiæ litem dicacitate sua excitaret, sed in obsequio, & servitio Rom. Ecclesiæ persisteret: Rainaldus autem tunc primum Lothario præsentatus ab eo benigne exceptus est, *& cum fratribus inter*

Jesu Chr. an. 1137.

Disputatio adversus Cassinen. monachos prorogatur. *cap.* 114.

Rainaldus Abbas monasterii obedientiam Innocentio profitetur. *cap.* 115.

Jesu Chr. an. 1137. *ter Capellanos Imperii constitutus*. His auctor addit Petri Diaconi disputationem cum legatis Imp. Joannis Comneni, qui tunc ad Lotharium venerant, ut pro victoria adversus Rogerium parta cum eo gratularentur, de qua legatione infra sermo fiet, nunc cetera ab Innocentio, vel Lothario ibidem gesta prosequimur.

Innocentii cum Lothario de Salerni Urbe dissidia.

Chr. Cassin. lib.4. c.117. et 118.

18. Itaque cum adhuc in Campania cum exercitu esset Imperator, ac Salernum occupasset, aliqualis inter Innocentium, & Lotharium dissensio exorta est, nam Pontifex Salernum Rom. Ecclesiæ urbem esse ajebat, Imperator contra sui juris esse affirmabat, ibique etiam commorans Imperator, ut olim Cassinensibus ablata restituerentur jussit, Rainaldus vero Abbas: *Accepta ab Pontifice, & Imperatore licentia Casinum reversus est, Petrum vero Diaconum, & Bertulphum mansionarium Lotharius Imp. secum retinuit*. Petrus tamen valetudinis recuperandæ causa post dies aliquot Cassinum rediit. Cum Rainaldo Abbate Pontifex *Balduinum Presbyterum Cardinalem misit, præcipiens, ut filium Petri Leonis,* Anacletum scilicet pseudopontificem, *a Casinensibus monachis anathematizari faceret, ac Papæ, ejusque successoribus obedientiam ab ipsis exigeret. Quod ita factum est*. Addit his Petrus, eundem Rainaldum Abbatem accusatum, quod Rogerio faveret, hæc tamen ab Imp. spreta fuisse ait, ac *Cum ipse Imp. omnibus negotiis rite ordinatis ad S. Germani oppidum cum exercitu, Papa quoque comitante, pervenit, ibique Rainaldo tunc sub custodia degente honorifica processione susceptus est. Et eo quidem die electus* Rainaldus *ipse in secretario basilicæ sancti Salvatoris custoditus est, postmodum vero ad monasterium, ubi examinandus erat, sub custodia remittitur; Die altera Imperator direxit Hannonem Abbatem cœnobii Luneburgensis, & Petrum diaconum ad monasterium, per eos Fratribus mandans, ne quid incompositum, aut in disciplinatum in habitu, in incessu, seu locutione præferrent. Venturum se ad monasterium cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Principibus, Ducibus, religiosisque ex omni Imperio viris ac siquidem inveniret Rainaldum tanto ordine indignum, confestim eum removeret, atque in B. Benedicti sede idoneum præponere omni studio quæreret. Ipse vero coronam Patriciatus accepturus in civitate remansit. Quippe tunc Exaltationis sanctæ Crucis agebatur*

batur celebritas, nempe dies decimaquarta erat mensis Septembris. *Cum vero illuxisset, Richiza Augusta montem totum pedibus ascendit, Papa in civitate remanente. Lotharius quoque Imp. innumero vallatus exercitu, Cassinum pervenit, atque a Fratribus maximo cum honore susceptus est*; ac munera ab Imperatore, & Richisa Augusta ibidem oblata recenset. Eademque die cum Rainaldus monachos convocasset, aliæ ab monachis querelæ adversus Rainaldi electionem excitatæ sunt, qua occasione accepta Innocentius Papa nuncios suos ad eos misit, jubens, ut Rainaldum hactenus sibi invisum refutarent. JESU CHR. AN. 1137.

19. *Mane autem facto Haimericus diaconus Cardinalis, Rom. Ecclesiæ cancellarius, & Gerardus Card. S. Crucis, & Abbas Clarævallensis ab eodem Papa transmissi sunt, qui Rainaldum ipsum examinarent, & a monasterii cura amoverent; Residente itaque Imperatore in Capitulo cum Imperii proceribus, considente quoque Peregrino Aquilejensi Patriarcha cum Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Abbatibus jusserunt Electum introduci, multa contra eum proferentes, rebellem, hostemque Imperii clamantes. Tunc quidam surgens in medium dicere cœpit, eum posteaquam cum Henrico Duce convenerat, hostem Pontificis atque Imperatoris claruisse. Contradicente illo, jubet Imperator utramque partem Capitulum egredi, ut cum Patriarcha, & Cardinalibus inde consuleret &c.* Peregrinus interea Aquilejensis Patriarcha, & Aimericus, veteres adversus Abbatem Rainaldum criminationes proposuerunt, quod scilicet Anacleto Antipapæ, & Rogerio Regi conjunctus eorumque partes secutus fuisset: hæc præterea ab monachis eidem objecta sunt, quod seditiosa nimirum, nec canonica ejusdem electio fuisset, quod pro sua electione munus a lingua, a manu, ab obsequio promisisset; Qui autem electum defendebant, mendacii eos redarguebant, injuriisque vicissim coram Imperatore se se lacessebant; Quare surgens Imperator silentium indixit, & ut moderatius causam agerent, jussit, atque his aliisque proclamatis, ut Rainaldus ad purgandum se ingrederetur jussus est, eodemque tempore per missos suos Rainaldo Imperator insinuavit, ut se ipsum: *In potestate Imperatoris, ac Pontificis poneret, ut quidquid illi statuerent, hoc ipse absque dilatione sequeretur: Ille vero diu cunctatus, tandem*

Rainaldi Abbatis electio in dubium vocatur. *cap. 119.*

Jesu Chr. An. 1137. *dem consensit, seque illis libere permisit*, atque: *Acta sunt hæc quarta, & quinta feria tertiæ hebdomadis mense septembri, secundo post festum sanctæ Crucis die, ait Petrus Diaconus.*

Rainaldi Abbatis depositio.

20. Ubi autem hactenus gesta ad Innocentium perlata sunt, commotus aliquandiu adversus Imperatorem, quod se inscio Abbatis causam pertractasset, Imperator illius iram lenivit, obtestans omnia hactenus ab ejusdem arbitrio pendere.

c. 123. 124. Hisque placatus Innocentius. *Feria sexta quatuor temporum Haimericum Cancellarium, & Geraldum, aliosque Cardinales eamdem electionem examinare direxit*, & inquisitione facta Rainaldus tandem *Adstantibus omnibus virgam, & annulam, & Regulam supra corpus S. Benedicti deposuit. Et Rainaldi quidem hic exitus fuit.*

Guibaldus ex Abbate Stabulensi Cassinensis eligitur.

21. Cum vero de novo Abbate eligendo actum fuerit iterum dissidia ibidem exorta sunt, nam cum Haimericus Cardinalis eamdem Innocentii arbitrio relinquendam esse diceret, facta tamen monachis potestate, ut duodecim eligerent, ex quibus

c. 123. 124. Pontifex Abbatem seligeret, alii vero, quibus Rainaldo favebant numquam se Abbatem electuros fore dicebant, alii Abbatis electionem sibi liberam esse contendebant; Imperator mediator monachorum factus Innocentium rogavit, ut liberam monachis electionem relinqueret, ac Rom. Pontificum, & Imperatorum privilegia, & diplomata allata, & lecta sunt quibus liberam Abbatis sui electionem sibi concessam fuisse probarent, atque post hæc tandem *Christo auspice* Guibaldum Stabulensem tunc Abbatem ad Cassinensem præfecturam electum, & ordinatum fuisse narrat, cujus gesta cum multo elogio ibidem Petrus describit; His quidem Innocentius Papa restitit, inauditam rem fore adnotans, ut alienigena in Cassinensem Abbatem eligeretur, monachisque imperavit, ut ex suo coetu, quem vellent, eligerent, verum Imperator apud eum vehementer institit, schismatis etiam minas addens, nisi liberam monachis electionem relinqueret; Quare Guibaldus qui absens tunc erat, Cassinum ab Imperatore vocatus, invitus fere, & reluctans Abbas ibidem electus, & ordinatus fuit.

Imp. Lotharii pia gesta.

c. 124. 125.

22. His gestis Imperator, *octavo postquam illuc*, Cassinum scilicet, *advenerat die* S. Benedicto, & monachis se commendans, cum Guibaldo Abbate ad civitatem S. Germani desceu-

ſcendit, ibique Abbatem Innocentio commendavit ac monaſterii privilegia confirmans, iter ſuum proſequuturus, *Feſtum S. Mauricii martyris in Eccleſia B. Petri celebrans Guibaldum Abbatem cum fratribus ad prandium evocavit dicens, quia comedendi, bibendique vobiscum hic mihi erit ultimus dies, idque poſtea probavit eventus*. Nam uti diximus, deſinente hoc anno, dum in Germaniam rediret, in valle Tridentina obiit, de cujus geſtis in monaſterio Caſſinenſi hæc inter cetera in ejus laudem ſupra adnotavit Petrus diaconus; *Jam, quis tanti Imperatoris clementiſſimum animum non admiretur? ſederat ad ſedandas diſſenſiones Fratrum in Capitulo a prima diei hora uſque ad veſperam, abſque cibo potuque perdurans, dum paci, unitatique conſuleret, nempe enim ſub Imperii clamyde cœleſti militabat Regi. Nam ut ipſe teſtis ſum, in expeditione conſtitutus, ſummo diluculo Miſſam pro defunctis, deinde pro exercitu, tertiam poſtremo die Miſſam audiebat. Demum viduis & orphanis cum Auguſta pedes lavans, tergebat crines, & oſculabatur, cibumque illis ac potum large diſtribuens, quæſtiones & oppreſſiones eccleſiarum prius relevans, ultimo in loco Imperii ponebat. Quamdiu vero in Caſſinenſi Clauſtro remoratus eſt, ita omnes officinas monaſterii, ac ſi Abbas, vel Decanus, circuibat, ſcire cupiens quomodo quisque ſub B. Benedicti magiſterio viveret: factoque mane orans monaſterii Eccleſias nudis pedibus circuibat. Et hæc agens, nunquam a conſortio Epiſcoporum, & Abbatum avellebatur, & cum ſapientibus ſermocinatio ejus. Erat profecto cæcorum baculus, eſurentium cibus, miſerorum ſpes, lugentium conſolatio, atque ita in ſingulis eminebat virtutibus, ut omnes perfecte haberet. Sacerdotes honorabat ut patres, pauperes fovebat ut filios, viduas ut matres. Erat orationibus pervigil, lacrymaſque creberrimas contriti cordis Deo offerebat*. Sed de Lotharii geſtis hactenus, fortaſſe uberius quam noſtrum patitur inſtitutum: ceterum multo plura in hanc rem Petrus diaconus retulit lib. 4. a capite 108. ad 115. quæ tamen non a Petro diacono, sed a quodam male feriato ſchismatico conficta, ac Petri chronico inſuta fuiſſe Baronius, & Peregrinus putarunt; ab Petro tamen hæc ſcripta revera fuiſse concedit Petrus a Nuce in notis ibidem, cui conſentit Mabillonius, quem lector conſulere poteſt.

JESU CHR. AN. 1137.

Mabillonius Annal. l. 76. num. 136.

Tertius Bernardi adventus in Italiam.

23. Dum Lotharius Imp. aut Henricus Bojariæ Dux re-

Jesu Chr. An. 1137. belles sibi, & Innocentio Pontifici, educto in Italiam exercitu comprimere, sibique subjicere in Longobardia, Tuscia, vel Urbe, & Campania satagebat; ad expugnandos schismaticorum animos, pacemque conciliandam Bernardum Claravallensem Abbatem in Italiam tertio revocavit; *Interea* ait Erardus Bonevallis in ejus vita; *litteræ Apostolicæ virum Dei vocant, & ut adsit laboranti Ecclesiæ, supplicant Cardinales. Intermittuntur studia* (super Cantica tunc Homilias elaborabat) *& quæ modo continua erant interpolatis discursibus resumuntur. Nulla vacatio superest, servus Dei aut orat, aut meditatur, aut legit, aut concionatur. Videns igitur excusationes frustra obtendi: convocatos a multis partibus Fratres diu profundeque suspirans affatur. Videtis Fratres, in quantis tribulationibus laboret Ecclesia. Pars quidem Petri in Italia, & Aquitania, auctore Deo, elisa, jam non parturit, sed abortit. En sati sunt in his regionibus schismatis defensores, Romæ magna pars nobilium Innocentium sequitur, & fovent ei multi Fidelium, qui tamen temerariæ multitudinis impetum formidantes, non audent publice confiteri, quem Innocentio firmavere consensum. Conjuratos habet Petrus homines perditos, quos corrupit pecunia, & munitionibus eorum occupatis, non Simonis Petri fidem, sed Simonis Magi repræsentat præstigia*, & ut bono animo essent, ac pro se orarent hortatus est, nam *eundem est*, addidit, *quo nos obedientia vocat, & hujus domus paternitatem, & vestram concordiam Deo, pro quo hunc laborem assumimus, confidentes de ejus clementia tradimus & commendamus; Hæc dicens & benedicens, flentibus universis discessit.*

lib. 2. c. 7.

Bernardi gesta in Italia, & in Urbe.

24. Italiam ingressus vir Dei Pisas primum transiit, ratus se Innocentium Pontificem inventurum, qui toto triennio ibidem substiterat; At cum inde Pontifex discessisset, in Campaniam cum Lothario profecturus, Bernardus Henricum Ducem adiit, qui eo tempore cum Florentiam obsessam ad deditionem compulisset, Lucam adire, & obsidere parabat; *Sed mediantibus quibusdam Episcopis, & Abbate Claravallensi, data magna pecunia Ducem* Lucenses *placaverunt*, ut narrat auctor chronici Saxonici; hisce prospere gestis ad Innocentium Papam Bernardus perrexit: cum Viterbii esset, frater ejus Girardus gravissime infirmatus, vix orationibus suis inducias pro eo, ne tunc moreretur, Bernardus a Deo obtinuit, ut idem Abbas ad suos rever-

reversus, in sermone 26. in cantica testatur, quem tamen cum eo revertisse, ac paulopost mortuum ibidem amarissime lamentatur. In adventum autem Bernardi: *Tam Dominus Papa, quam fratres lætati sunt*, ait auctor vitæ ejus, statimque consilio habito, ad Urbem missus est, ut eos cum Innocentio reconciliaret, qui hactenus Anacleti partes, aut sponte, aut vi coacti, sectati fuerant, quod sane feliciter eidem cessit, cum Cleri pars maxima de statu suo sollicita, ut auctor adnotat, etsi peccatum suum agnosceret, non audebat tamen reverti. *Ne perpetua notatus infamia vilis inter ceteros haberetur, & malle sub umbra honestatis interim sic esse, quam expelli a sedibus suis & publicæ mendicitati exponi*. Multi etiam juratam Anacleto fidem in sui excusationem objiciebant, at futiles in peccatis excusationes hæc fuisse adnotat auctor vitæ Bernardi, qui in Urbe ab eo gesta recensens, progressum inde ad Innocentium, & Lotharium in Campania commorantes narrat, cujus opera in componendis rebus, sedandisque turbis in Cassinensi monasterio excitatis, usos fuisse dubitari vix potest, ac Petrus Diaconus totam tragœdiam exponens indicat. Quot vero hoc eodem desinente anno, & sequentis initio cum Rogerio Siciliæ Rege, duceque Calabriæ, & Apuliæ concertationes habuerit, ut eum ab schismate Anacleti revocatum, in Innocentii partes traheret, jam videamus.

25. *His porro diebus*, ait Petrus Diaconus, idest dum adhuc in Campania, aut in monte Cassino esset Lotharius Imperator, *legati Joannis Constantinopolitani Imperatoris ad Augustum Lotharium pervenerunt congratulantes, & munera magna deferentes, propter victoriam contra Rogerium a Deo sibi collatam. Inter quos quidam Philosophus veniens, & ante Imperatorem eminus astans, canino latratu Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, totamque occidentalem Ecclesiam corrodere cœpit dicens, Romanum Pontificem, Imperatorem, non Episcopum esse, Clericosque Romanos excommunicatos, & azimatos vocare; Contra quem Petrus Diaconus conversus, opportune importune contra eum altercare modis omnibus cœpit. Sed cum nox supradictæ disputationi finem daret, Lotharius Imperator præcepit, ut summo mane ante Imperiale Consistorium convenirent, & si quid Græcus contra Romanam haberet Ecclesiam, in medium proferre morigeraret*, & sane mane

Jesu Chr. An. 1137. facto, ut capite sequenti narrat, adstans, cum latinis præcipue exprobrasset, quod particulam *Filioque procedit* Symbolo addidissent. ideoque ex Nicæni concilii, & Constantinop., & Ephesini auctoritate excommunicatos esse, cum aliquid symbolo addere, vel detrahere sub excommunicationis pœna prohibuissent, Petrus Diaconus Græcorum legato opposuit, eadem ratione, eosdem quoque excommunicatos fuisse, cum symbolo addidissent, Filium ex solo Patre procedere, quod sane nec Nicænum, aut Ephesinum concilium dixerat, sed tantum ex Patre procedere, qua responsione Græcorum orator obmutuit, ac Latinis objecit, quod eorum Episcopi, & Romani Pontifices ad bella armati procederent, & Presbyteris connubia prohiberent. Disputatione finita, dicta ibidem in Græcum sermonem Joannis Imp. legatus transtulit, atque ad Constantinopolitanum Patriarcham, & ad Imperatorem misit. Lotharius vero Petri Diaconi doctrinam, disputandique peritiam admiratus, *Ultra modum gavisus, eumdem Diaconum Logothetam, a secretis exceptorem, auditorem, Cartularium, ac Capellanum Romani Imperii constituit*, ait idem Petrus. Inferius vero addit, cum jam Guibaldus post Rainaldi dejectionem, Cassinensis Abbas electus fuisset, ac inde Lotharius esset discessurus, Petro Diacono ad se vocato, *Præcepit, ut una secum cum præceptis a sua majestate sibi traditis, Galliam peteret, Imperialia semper servitia peracturus*. Guibaldum vero Abbatem precibus suis obtinuisse, ne tanti viri subsidio privaretur. Hisce autem gestis, postquam monasterii privilegia confirmasset, ac nova contulisset cum Rachige uxore Lotharius Imp. inde discessit, uti jam supra adnotavimus. Cur vero Joannes Comnenus de Lotharii victoria de Rogerio habita adeo gavisus sit, ut ea de causa legatos mitterent, qui cum eo gratularentur, ratio in promptu est, Rogerii siquidem Siciliæ Regis, Ducisque Apuliæ potentiam suspectam habebant Græci Imperatores, eo quod a Roberto Rogerii prædecessore, tota Italia ejecti fuerant; quin excursiones in Orientem usque Robertus egerat ut suo loco adnotavimus. Itaque nil mirum si Joannes Rogerio tota pene Apulia, & Calabria a Lothario ejecto gratulandum huic vehementer putavit. Paulloque post Conrado successori alios legatos misit, *ut confœderationis vinculum, inter duo Imperia* Orientale scilicet, & Occidentale

cap. 125.

lib. 1. c. 23.

Murat. rer. Ital. tom. 6. pag. 656.

le ad Rogerii Siculi insolentiam comprimendam, cognationemque cum eo ineundam proponerent, teste Ottone Frisingensi. Jesu Chr. an. 1137.

26. Nam Rogerius in Sicilia tunc subsistens, non quidem otiosus inspector eorum, quæ in Apulia, & Campania gerebantur, sed oppurtunitatem redeundi expectans, exercitum paravit; Hinc ut Falco Beneventanus, Petrus Diaconus in Cassinensi chronico, aliique narrant, vix Lotharium Imperatorem ex Campania abjisse didicit, Rogerius *Aggregato exercitu, præter Barum, Trojam, atque Neapolim, omnem terram, quam facile amiserat, facilius cœpit recuperare &c.* Nam vix ad Salerni oras appulit, cum alios sponte ad se venientes recepit, aut vi subjugavit, ac *totam Rainulphi Comitis terram obtinuit*; Inde procedens Capuam ingressus ferro, & igne vastavit, cunctaque tam sacra quam prophana diripuit, ac inde Beneventum progressus, sibi iterum subjicere conatus est.

Rogerius ex Sicilia solvens sibi ablata recuperat.

Falc. chron. pag. 120. Petri Chron. lib. 4. c. 126.

27. Interea etsi Innocentius Papa Rainulphum Apuliæ Ducem adversus Rogerium misisset, eodem tempore, ut bellum vitaret, Bernardum Claravallensem Abbatem, virum verbo, & opere Dei virtute potentem ad Rogerium misit, ut eum ad pacis consilia, ecclesiæque unitatem revocaret; *Interea Abbas de Claravalle vir valde mirabilis & discretus, qui ad Regem illum venerat pro tanti dissidii infestatione sedanda inter Regem illum, & Ducem pacis fœdera alligare conatur, sed pro multis variisque negotiis, quæ inter eos quærebantur, apud Salvatoris Dei potentiam nondum complacuit concordia alligari &c.* Sicque re infecta Bernardus discessit, cum interea Rainulphus, & Rogerius armati invicem sibi occurrerunt, ac die *secundo instante Octobri*, seu 28. Septembris, inito prælio Rogerii exercitus cum ipso Rege in fugam conjectus est; *ac Tria millia, sicut audivimus, hominum in bello*, seu cruenta pugna, *mortui sunt*, ait Falco, atque ex his *Sergius Magister militum Neapolitanæ civitatis, ibi Eternus de Montefusco, & Giraldus de Lugolino, & Sarolus de lo Tufo, & complures, quorum nomina pro difficultate numerandi silentio tegimus*; Quare Rainulphus victor plurima ibidem loca occupavit, Rogerius vero ad castrum Paludis pervenit, inde Salernum festinavit, & non multo post Beneventum adivit, ab Episcopo, clero, populoque Beneventano cum summo hono-

S. Bernardus Rogerium ad pacem, & unitatem ecclesiæ frustra revocare conatur.

Rogerii exercitus ab Rainulpho profligatus.

JESU CHR. AN. 1137.

honore, & lœtitia receptus. Quibus peractis *Dux ipse*, seu Rainulphus, *prope Castellum Paludis*, unde Rogerius excesserat, *suorum virtute stipatus castrametatur, die quidem Kalen. Decembrium. Mirabatur interea populus Beneventanus de Ducis illius Rainulphi continentia*; quod scilicet victoriam non prosequeretur, *& in prædicti Regis amore, & fidelitate, & Anacleti servitio die noctuque simul cum Domino Rossemano Antistite invigilabat*; sicque Beneventani, qui paulo ante Innocentio fidelitatem juraverant, nunc iterum cum Episcopo eorum se se Rogerio dederunt, cui etiam Falconem chronologistam favisse dubitari vix potest, qui eo loco Rogerii diploma recitat, quo Beneventanorum Episcopum Rossemanum, eorumque primores, & judices pro fidelitate sibi servata, laudat, eisque immunitates multas concedit, ut ibidem videre est, quæ ut in Beneventanorum coetu lecta sunt, *Deo Salvatori omnium, præfatoque Regi, & jam dicto Antistiti gratias egimus*, ait Falco. Rainulpho Duci victoriam, sicuti cladem Rogerio Bernardum utrisque prædixisse narrat Eraldus in ejus vita lib. 2. cap. 7.

Bernardus iterum cum Rogerio de ineunda pace agit.

28. Interea & si Rogerius tanta accepta clade obstinatus in schismate, & in Anacleti protectione perseveraret, ac collectis undequaque militibus, bellum instaurare conaretur, nihilominus, ut tempus redimeret, *Alacritatem simulans*, ait Eraldus Bonevallis Abbas in vita Bernardi, *Regio se ornatu attollens stipata militibus curia, utramque partem præcipit accersiri*, seu Innocentii, & Anacleti legatos. Quare ut subdit Falco in chronico, *Cumque præfatus Abbas de Claravalle vir valde mirabilis & disertus, de pacis fœdere, & Ecclesiæ unitate cum nominato Rege confabularetur assidue, Rex ipse cum Abbate stabilivit, ut tres Cardinales ex parte Innocentii Papæ, qui ejus interfuissent electioni, ad Regem ipsum venirent, & tres ex parte Anacleti, & ordinem electionis utriusque insinuarent. Deinde ipse Rex audito ordine utriusque partis, justiorem quam putaret electionem eligeret, & sic Spiritu Sancto favente, ad pacis perveniret cum totius regni magnitudine firmamentum, quam suo arbitrio & sententia confirmarent. Cognoverat enim, firmiterque crediderat, totius mundi Christicolas parti favere Innocentii, & ejus Pontificatum venerari, se vero solum cum sui regni latitudine dissen-*

sentire. His auditis, continuo ad Innocentinm Papam, & Anacletum delegatum est, & cursu rapido Regis positio destinatur. Placuit itaque eis, & consilio firmato, a parte Innocentii Haimericus Cancellarius, & Gerardus Cardinalis vir valde venerabilis Salernum simul cum prædicto Abbate de Claravalle super hujusmodi electione ventilanda venerunt. Ex parte vero Anacleti Matthæus Cancellarius, & Petrus Pisanus Cardinales, & alius Cardinalis nomine Gregorius similiter acceleravere.

Jesu Chr. an. 1137.

29. His ita congregatis, Rex utpote sagacis ingenii callidique consilii vir, utriusque partis legatos quatriduo audivit, reque diligenter examinata, Salernitanum Clerum, & populum congregavit iisque rei gravitatem, difficultatemque oratione sua exposuit, ac tandem se in Siciliam mox rediturum denunciavit, & ut ex utraque parte unus saltem ex Cardinalibus comitaretur, rogavit, ibique se responsum daturum promisit: *Solus*, quippe, *ego super hoc tanto negotio finem imponere nequeo. Unde si dominis istis Cardinalibus videtur, ordinem utriusque scribant electionis, & ab utraque parte unus mecum in Siciliam ascendat Cardinalis, ubi favente Deo Nativitatis Jesu Christi Salvatoris celebraturi sumus festivitatem, ibique sapientes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque inveniemus prudentis animi viros, quorum consilio Anacleti partem usque modo sectatus sum. Nunc itaque ipsorum & aliorum sapientum consilio, super hoc negotio, divina inspirante clementia, certissimum finem, quantum ad meam pertinet potestatem, imponemus. Cardinalis ad hæc Gerardus respondit: Sciatis revera, quoniam ex parte nostra ordinem partis nostræ scribemus. Audistis enim ex ex ore nostro seriem electionis; audivistis omnia quæ circa nos gesta sunt. Cardinalem quidem mittemus Guidonem de Castello, sapientem virum atque disertum, qui vobiscum, sicut petitis, in Siciliam veniat, si sapientiæ vestræ placuerit, & perficietis, quo Spiritus Sanctus Paracletus cor vestrum illuminet, & recto corde ad Ecclesiam, & veritatis lumen perducat. Et his actis unusquisque ad propria remeavit. Ex parte vero Anacleti similiter Cardinalis alius destinatur: cum quibus paratis navigiis, Rex ipse in Siciliam transfretavit*. Hactenus de his Falco Beneventanus: hæc autem subdola mente ut tempus tereret, ab

Rogerius responsum dare differt, ac in Siciliam redit.

Jesu Chr. An. 1137.

ab Rogerio gesta fuisse, ejusdem pertinacia in Anacleti schismate, etiam post Anacleti obitum, ut anno sequenti dicturi sumus, satis aperte demonstrat.

Bernardus Innocentii causam perorat.

30. De congressu legatorum Innocentii, & Anacleti coram Rogerio Rege agens Abbas Bonævallis in vita Bernardi, rem inter Bernardum, & Petrum Pisanum actam fuisse narrat, quia ii præsertim pro sua quilibet parte rationem reddiderunt; De dictis autem ibidem hæc inter cetera addit. *Prior Petrus electionem Domini sui*, seu Anacleti, *canonicam probare contendit, & verba sua multis legum & canonum assertionibus munit: at Vir dei*, seu Bernardus, *non in sermone, sed in virtute Regnum Dei esse intelligens, Scio, inquit, Petre, te virum sapientem & litteratum esse, & utinam sanior pars, & honestiora te occupassent negotia &c.* ac cum unam Ecclesiam esse demonstrasset extra quam nemo salutem consequi possit, eam unicam esse, quam Innocentius regebat hac ratione demonstravit, quod Orbis totus, una Sicilia excepta, paucisque in Apulia urbibus, quas in sua potestate Rogerius tenebat, Innocentii partes sequebatur. Unde post plurima. *Si Arca quam regit Petrus*, Leonis scilicet, *ex Deo est, necesse est, ut Arca, quam regit Innocentius obruatur. Peribit ergo Orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Iberi, & Angli, & barbara regna in profundum pelagi demergerent. Religio Camaldulensis, & Carthusiensis, & Cluniacensis, & Grandimontensis, & Cisterciensis, & Præmonstratensis, aliaque innumerabilia servorum, & ancillarum Dei collegia necesse est ut sub uno turbine corruant in abyssum. Episcopos, & Abbates, & reliquos Ecclesiæ Principes collo præcipiti mola asinaria alligata pelagus vorax accipiet. Solus ex Principibus mundi Arcam Petri intravit iste Rogerius, & cæteris omnibus enecatis, solus ipse salvabitur? Absit ut totius mundi religio pereat, & ambitio Petri (cujus vita palam est qualis extiterit) regnum Cælorum obtineat.* His autem ab Bernardo dictis, Petro Pisano Anacleti advocato persuasit, ut ad urbem secum rediret, & ut Innocentio se se submitteret; Rogerius autem & si Bernardi oratione commotus esset, ne ablata Cassinensi monasterio, & in Beneventana provincia restituere cogeretur, in schismate obstinatus perstitit, *putabatque*,

que, ut subdit auctor, *hujusmodi suspensionibus aliqua a Romanis extorquere privilegia, per quæ in jus proprium deinceps sibi stabiliretur hæreditas &c.*, ubi tandem cum Innocentio Pontifice reconciliatus est, optimas conditiones obtinuit, uti suo loco dicturi sumus. Bernardus vero Salerno egressus, *Romam revertitur, prædictum Petrum Pisanum, & quosdam alios reconciliat ecclesiæ, & Innocentio Papæ confœderat*, ait auctor vitæ Bernardi, hujusce legationis exitum exponens.

Ludovici Franc. Regis obitus.

31. Nunc Ludovici Francorum Regis obitus se offert, qui hoc eodem anno cum Parisios revertitur, Gulielmum Aquitaniæ Ducem obiisse audiit, quo nuncio accepto Rex nuptias filii sui Ludovici cum Alienora, seu Eleonora filia Gulielmi statim celebrari jussit, quam Gulielmus moriens eidem Ludovico desponsaverat, eique Aquitaniam, & Pictaviam testamento a Baronio relato reliquerat: Ludovicus itaque pater filium suum Ludovicum ad nuptias celebrandas Burdigalam misit cum Theobaldo Palatino, & Radulpho comitibus Viromandensi, nec non magno virorum nobilissimorum comitatu, quos inter unus erat Sugerius S. Dionysii Abbas, qui hæc refert, & mortem Regis vere christianam accurate describit. Sexagenarius erat Ludovicus, cum contra Theobaldum Campaniæ Comitem peracta feliciter expeditione in castello novo Montis-Treherii ex ventris profluvio gravius infirmari cœpit, ibique hoc unum se præoptare dixit, ut apud Sanctos Martyres protectores, Dionysium sociosque ejus quomodocumque deferreretur, *& ante Sacratissima* eorum corpora, regni & coronæ depositione, coronam pro corona, pro regalibus insignibus & imperialibus ornamentis humilem Beati Benedicti habitum commutando, *monasticum ordinem profiteri*. Morbo invalescente, facta peccatorum suorum confessione, *sacratissimo dominici corporis & sanguinis viatico exitum suum muniri petit*. Tum inopinate e lecto se proripiens, *Vestitus cameram, cunctis admirantibus, obviam corpori Domini nostri Jesu Christi exit*. Mox *Regem exuens, regnum deponit, peccando regnum administrasse confitetur, filium suum Ludovicum annulo investit*, eique Ecclesiam, pauperes, & orphanos commendat, quibus aurum & argentum, ac pretiosa cimelia distribui jussit. *His igitur exoneratus, humillime flexis genibus ante sacratissimum corpus & sanguinem Domini nostri*

 Jesu

JESU CHR. AN. 1137.

Jesu Christi, fidei suæ confessionem de Sanctissima Trinitate, & incarnatione Verbi protulit, cujus formam ibidem auctor exhibet, sicque percepto viatico, *ad cameram rediit, omnique sæcularis superbiæ rejecta pompa, sola linea culcitra decubit*. Cumque Sugerium, qui adstabat, flentem videret: *Noli*, inquit, *carissime amice, super me deflere, quin potius exultando gaude, quod Dei misericordia præstitit me in ejus occursum, ut vides, præparasse*. Postea Parisios delatus, viribus deficientibus, *accito venerabili Parisiensi Episcopo Stephano, & religioso Sancti Victoris Abbate Silduino, cui familiarius confitebatur, & confessionem repetit, & exitum suum viatico dominici corporis denuo muniri devotissime satagit*. Post hæc se deferri ad Ecclesiam sanctorum martyrum voluit, *ut quod votum sæpius spoponderat, humillime persolveret*: at ægritudinis angustiis præpeditus, quod opere non potuit, corde & animo complevit, quippe præcepit, *tapetum terræ, & cineres tapeto in modum crucis deponi*; ibidemque manibus suorum depositus, signo sanctæ crucis se munivit, ac tandem regni sui anno trigesimo, ætatis fere sexagesimo, Kalendis Augusti spiritum emisit. In Ecclesia Dionysiana, ante altare Sanctissimæ Trinitatis, uti optaverat, sepultus est ad tumulum Caroli-Calvi Imperatoris, & Regis Carolomanni, in loco, quem forte vacuum illic Sugerius cum Herveo priore invenit.

Ludovicus patri succedit. *Order. lib. 3.*

32. Hic definit liber de vita ipsius Ludovici Grossi a Sugerio eidem familiarissimo digestus. Eo mortuo, ut narrat Ordericus; *Sequenti Dominica die*, idest die octava Augusti, ait Pagius, *Ludovicus puer*, annorum decem, & octo, *Pictavis coronatus est, & sic Regnum Francorum, & Aquitaniæ Ducatum, quem nullus patrum suorum habuit, nactus est* in dotem, ut diximus ab Eleonora acceptum, ac Ludovicus septimus dictus est.

Villelmi seu Gulielmi Aquit. Ducis extrema gesta, & obitus.

33. Lotharii Imp. æque ac Ludovici Francorum Regis obitum, Villelmi Pictaviensis Comitis, & Aquitaniæ Ducis mors præcesserat, qui non modo paulo ante, ut supra diximus, Bernardi monitis, & exhortatione, schismati renuncians, ut patrata peccata dilueret, honores, & dignitates hoc anno abdicavit, & peregrinatione ad S. Jacobum Compostellam suscepta, ibidem obiit, ut disertis verbis narrat Sugerius in vita

vita Ludovici Regis. *His diebus*, & ante Ludovici obitum. *Villelmus Dux Aquitaniæ apud sanctum Jacobum iter arripuit, qui volente Deo, antequam ad terminum suæ peregrinationis accederet, peracta parte itineris expiravit, nullum virilis sexus in Ducatu Aquitaniæ relinquens hæredem. Verumtamen duas filias habuit &c.* Quid etiam Robertus his temporibus proximus auctor dicit de his magis expresse, sub anni sequentis laterculo audi. *Comes Pictaviensis Villelmus ad S. Jacobum in Gallicia orationis causa proficiscitur, & in sexta feria Parasceves in ecclesia B. Jacobi moritur, & ante altare sepelitur &c.* Subjicit de ejus filia Eleonora, ipsius jussu jungenda ejusdem Francorum Regis filio, deque patre ipsius, quem eodem anno defunctum tradit. His Oldericus hæc adnotat. Anno ab Incarnat. Domini 1137. Indiction. 15. Ingens in toto orbe siccitas fuit, paulopost *Eodem tempore Gulielmus Pictaviensium Dux memor malorum, quæ nuper in Normannia operatus est, pœnitentia motus, ad Sanctum Jacobum peregre profectus est. Deinde feria VI. parasceve, V. Idus Aprilis, sacra communione munitus est, & ante aram beati Apostoli venerabiliter defunctus est. Filiam vero suam Ludovico juveni Francorum Regi in conjugem dari præcepit, ipsumque Regem totius juris hæredem constituit. Quod ita factum est postea.*

JESU CHR. AN. 1137.

Order. histor. lib. 13.

34. Ducis gestis, et obitu narratis, Gulielmi vitam in vulgus editam considerans Baronius, in qua plurima narrantur, quæ hactenus ex Sugerio, aliisque tradita, conciliari non possunt, inextricabilem inde nodum exoriri adnotavit, eo quod duos in unum Gulielmos ab vitæ auctore confusos fuisse suspicatur, quæ sane certa adeo sunt, ut de his nulla dubitandi ratio superfit; Quid commune habet vita Gulielmi Pictaviensis Eremitæ cum vita Gulielmi Ducis, nisi quod nobilissimos ambo natales, & patriam communem habuerunt? Eremita tamen vitam post hac longe retinuit, quem Eugenii tertii tempore Hierosolymam profectum, indeque reversum in Thuscia, ac in Senensi agro eremiticam vitam duxisse vitæ auctor tradit. Dux vero Aquitaniæ Gulielmus hoc anno vivere desiit, de quibus plura dabunt Henschenius die decima Febr., qua Eremitæ Gulielmi memoria Martyrologio Romano recolitur, vel Pagius, Bailetius, aliique.

Duo Gulielmi distinguendi.

Bar. n. 24.

 35. Duo-

Jesu Chr. an. 1137. Gulielmi Abbatis S. Sophiæ epist & sermones. *Mabill. Annal. lib. 76. num 149. in append. to. 6. pag. 674.*

35. Duobus his Gulielmis, tertium addimus natione quoque Francigenam, quem Innocentius secundus Papa hoc tempore, Beneventana Urbe recuperata, ex Sithiensi monasterio in Beneventanum S. Sophiæ transtulit, ubi cum esset, sermones circiter sexaginta ad fratres in capitulo habuit, qui Manuscripti servantur in nostra Vallicellana bibliotheca, cum epistola ad Innocentium Cod. Litt. B. n. 24. quorum primus fuit de Hydropico evangelico, qui cum plerisque fratribus, in primis vero Franconi Abbati placuisset, eidem Villelmo stimulum Abbas addidit ut alias homilias componeret, quas Innocentio Papæ dicavit, præmissa ad eumdem Epistola, quæ sic incipit. *Domino religiosissimo & reverentissimo summo & universali Papæ Innocentio secundo, Francigena Villelmus, humilis & indignus monachus de cœnobio S. Bertini, quod in Flandria situm est, salutis & gaudii plenitudinem perenniter possidere. Cum ex præcepto omni sæculo reverendæ & Deo amabilis vestræ paternitatis in cœnobio S. Sophiæ, quod Beneventi situm est, habitarem, stimulante me jamdiu cogitatione, quidam divinus, ut arbitror, amplius ardor accendit, quatenus ad honorem vestrum, & matris utilitatem ecclesiæ, & parvitatis meæ pre ceteris emendationem, quidpiam scriptitarem. Cumque mecum frequenter, quid id esse posset, totis animæ meæ nisibus cogitarem, accidit ut inter plura aliaquæ sæpe fratribus in capitulo exhortationis causa dicere solebam, de hydropico evangelico quadam die facerem sermonem, qui cum quibusdam fratribus, Abbati vero Franconi quam maxime plurimum placuisset, instanti & veluti exactore, pro fraternæ caritatis fiducia, cœperunt a me prece postulare quatenus eumdem sermonem, valde posteris, ut ajebant, utilem futurum, non pigritia litteris commendarem &c.* Integram epistolam ex Vallicellano Codice refert Mabillonius tom. 6. in appendice p. 674. De hoc autem Gulielmo, vel Villelmo nulla hactenus, quod sciam, inter ecclesiasticos scriptores occurrit mentio.

Guigonis Carhusiæ Prioris obitus; ejusque opera.

36. Hoc etiam anno Guigo V. majoris Carthusiæ prior, anno ætatis suæ quinquagesimo circiter quarto, a conversione 30., a Prioratu 26. ab exordio autem Cartusiensis eremi anno 53. Sexto Kal. Augusti obiit, ut legitur in institutionibus ejusdem ordinis apud Labbeum, ideoque hoc anno, ab Carthusiæ

thusiæ fundatione 53. uti supra narravimus. Opuscula quædam ejusdem supersunt, statuta scilicet Carthusianorum ab eodem collecta, & in scriptis redacta, 2. Meditationum libri, 3. vita S. Hugonis Gratianopolitani Episcopi, & Epistola ad fratres de Monte Dei, eidem a Bernardi editore seu Mabillonio asserta & restituta, sicuti & quatuor aliæ in appendice ad Epistolas S. Bernardi; In Cartusiæ præfecturam Hugonem successorem habuit, qui biennio post Anthelmo cuidam nobili prosapia in Sabaudia nato, eamdem præfecturam renunciavit, utpote ad parendum promptior, quam ad imperandum aptus.

Jesu Chr. an. 1138. tom. 1. bibliotb.

37. Hoc quoque anno Beatus Oldegarius Archiepiscopus Tarraconensis, & Barcinonensis Episcopus pridie nonas Martii obiit, ut testatur Diagus in historia Comitum Barcinonensium, & Bollandus die 6. Martii, ad cujus tumulum cum miracula patrari fama vulgasset, Clerus, & populus Barcinonensis lampadibus ibi positis uti sanctum venerari cœperunt ac ut sanctis inscriberetur ab Apostolica sede petierunt; Ante Episcopatum Abbas sancti Rufi prope Avenionem fuerat, successoremque Villelmum Pontium in ea dignitate habuit, ait Pagius, qui hoc eodem anno ejusdem monasterii Abbas adhuc erat, ut ex diplomate ad eum ab Raimundo Barcinonensi Comite dato constat, quo ei Ecclesiam quamdam adtribuit, quod Balutius in appendice ad Marcam Hispanicam edidit.

Beati Oldegarii Tarracon., & Barcin. Episc. obitus.

JESU CHRISTI AN. 1138. INNOCENTII II. PAPÆ AN. 9. JOANNIS COMNENI IMP. 21.

1. Hujus anni initio Apostolicæ sedis invasor, seu Antipapa Anacletus e vivis ereptus est, *Septimo die stante mensis Januarii*, ait Falco Beneventanus, alii obiisse scribunt septima Januarii, alii 25., ita ut stante die septima Januarii, idem sit, cum adhuc dies septem Januarii restarent, ut post Peregrinium adnotat Pagius; idem confirmat Oldericus lib. 13. pag. 915. de Anacleti obitu hæc adnotans. *Petrus Anacletus, qui sedem Apostolicam fere septem annis usurpaverat in cathedra sedens, octavo Kal. Febr.*, seu 25. Januarii, *subita morte decessit, atque ut fertur a fratribus suis, videlicet Petri Leonis, quorum in urbe Romæ maxima potestas est*,

Anacleti Antipapæ obitus.

Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 225. Pagi not. 1.

JESU CHR. AN. 1138. *est, ita occultatus, ut ubi cadaver ejus sepultum sit ignoretur*. De ejusdem obitu, & sepultura agens auctor vitæ Bernardi Abbas Bonevallis, cum quidem a Deo percussum fuisse adnotat, non tamen repente extinctum: *Percussit igitur miserum*, ait, *nec tamen illico defungitur, sed datur per triduum pœnitentiæ locus, ille patientia Dei abutitur, & in peccato suo moritur desperatus. Miserabili pompa corpus ejus effertur, cadaver ejus in latebris sepelitur, & usque hodie fovea illa a catholicis ignoratur*; insciis quippe catholicis, in occulto sepultum fuit, ne tamquam schismaticus canum sepultura dignus, inde effoderetur.

Bernardi vita lib. 2. c. 7.

Victor tertius Antipapa creatur. *Murat. to. 3. pag. 436.*

2. Anacleto e vivis erepto, schisma adversus Innocentium conflatum extinctum pene videbatur. At sectatores Anacleti, *cum tabescerent, & in se ipsis deficerent*, ut ait Card. de Aragonia in vita Innocentii, *ut honorabilius possent cum Innocentio Papa componere, unum ex suis idolis erexerunt, quem Romani Carneeorium derisorie appellarunt, cito tamen hoc idolum eversum est, nam evolutis paucis diebus*, ejusdem Anacleti sectatores, *pœnitentia ducti ad pedes ejusdem Pontificis ipsum idolum adduxerunt, & ab Ecclesia misericorditer sunt recepti. Tunc universa civitas conversa est ad Innocentium tamquam ad pastorem, & Episcopum animarum suarum &c.* Tragœdiæ hujus præcipuus auctor Rogerius Rex fuit, uti enim subdit Falco, ad hunc annum, *cum prædictus Anacletus mortuus esset, Cardinales sui consilio accepto a fratribus ipsius Anacleti ad regem miserunt Rogerium, ipsius Anacleti mortem significantes, ut si ei placeret, pacem constituerent. Rex itaque ut Domini Papæ Innocentii partem impediret, voluntati eorum assensit, & Papam eligendi potestatem dedit, qui Romam reversi fautoribus eorum congregatis medio mense Martio, Gregorium Cardinalem Papam sibi, & invasorem constituunt, Victoremque eum vocaverunt, sed Dei misericordia auxiliante, hæresis illa & invasio pauco tempore regnavit &c.* nam ut subdit auctor, *Prædicti fratres Anacleti tantam cognoscentes turbationem, in se reversi, Domino favente, cum Domino Innocentio Papa pacis firmamentum composuerunt, & ipsi, & omnes ejus adversarii ad ejus fidelitatem conversi sunt & sceleratus ille, qui sub Victoris nomine apparuit, vestem*, Pontificalem, *& mitram deposuit, & ad volun-*

luntatem Pontificis Innocentii pervenit, sicque gaudio magno & gloria exultationis tota Romana civitas exultavit, & Pontifex ipse Innocentius ad unitatem Ecclesiæ & concordiam, auxiliante Domino, perducitur: atque in octavis Pentecostes, seu die 29. Maii peracta hæc fuisse, mensibus fere quinque ab Anacleti obitu elapsis, narrat Bernardus.

Victor Pontificatui renunciat, Schisma extinguitur.

3. Sicuti in schismate fovendo Rogerius præcipuus auctor erat, ita in eo extinguendo Bernardus fuit, ut narrat auctor ipsius vitæ. Cum Anacleto mortuo *Pars illius Papam sibi pro illo alterum statuerunt, non tam ex pertinacia schismatis, quam ut opportunius per aliquam temporis moram Papæ Innocentio reconciliarentur, quod sine mora per manum servi sui*, sancti Bernardi scilicet, *Christus effecit. Nam & ipse ridiculus Pontifex, Petri Leonis hæres, ad eundem virum Dei nocte se contulit, & ille eum nudatum quidem usurpatis insignibus ad domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto civitas gratulabunda lætatur, Innocentio Ecclesia redditur, Romanus populus ut pastorem & dominum Innocentium veneratur. Abbas Claræ-vallis in mira reverentia habetur, ab hominibus auctor pacis, & pater patriæ prædicatur. Procedentem viri nobiles prosequuntur, acclamat populus, matronæ sequuntur, & omnes ei prompto animo obsequuntur. Sed quam diu gloriam ille toleravit? quam diu pace fruitus est post tantum laborem? nec diem pro anno recipere acquievit. Sedatis omnibus & compositis, vix quinque dies teneri potuit, qui annis septem & ultra pro resarcienda eadem scissione sudavit. Exeuntem Roma prosequitur, deducit Clerus: accurrit populus, universa nobilitas comitatur, nec poterat sine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. Igitur firmata pace, vir Dei regreditur, & duplex exhibens gaudium, exultatione universæ terræ suscipitur*. Hactenus Eraldus Abbas Bonevallis. Bernardus vero Godifredo, ob redditam Ecclesiis pacem exultans hæc scripsit. *In octavis Pentecostes ipsa die complevit Deus desiderium nostrum, Ecclesiæ unitatem, & Urbi dando pacem. Nam illa die filii Petri Leonis omnes simul humiliaverunt se ad pedes domini Papæ, & facti homines ejus ligii, juraverunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque qui in schismate erant, simul cum idolo quod erexerant*, Antipapa videlicet, *humiliantes se ad pedes domini Papæ, obedientiam ei juxta morem promiserunt*, epist. 317.

& su-

JESU CHR. AN. 1138. *& facta est lætitia magna in populo. Hanc pacem nisi cum quadam securitate, occulta tamen, diu a nobis expectavissemus, jamdudum venissemus. De cætero jam nihil est quod nos hic detineat. Facio quod imperastis, Veniam, vertimus in Venio: Ecce enim venio cito; etiam & merces mea mecum est, victoria Christi, & pax Ecclesiæ. Sexta feria post diem illum egressus est noster de civitate. Itaque venientes veniemus, cum exultatione portantes manipulos pacis. Et hæc quidem verba pulchra sunt, sed pulchriora sunt facta. Etenim tam pulchra sunt, ut quisquis non lætatur in eis, aut stultus sit, aut nequam.*

Petrus Diaconus redarguitur.

4. De his agens Petrus Diaconus, rem gestam paucis complectens verbis, pecunia schismaticos sibi conciliasse Innocentium scribit, quæ sane vel maledicendi æstu abreptus, vel fama deceptus scripsit. *Eo tempore Petrus filius Petri Leonis humanis rebus exemptus diem clausit extremum, & in loco illus fautores ejus Gregorium tituli Apostolorum sibi præficientes Victorem appellari decernunt: Innocentius autem immensa in filios Petri Leonis, & in his, qui adhærent pecunia profligata, illos ad suam partem attraxit, sicque Cardinales, qui jam dicto filio Petri Leonis communicaverant, omni auxilio destituti Innocentii vestigiis advolvuntur, sacramento a parte illius prius accepto, ne illos officio privaret, ne bonis diminueret*. Hæc is auctor de Innocentii gestis, quem etsi pecunia schismaticos ad unitatem revocasse constaret, ab omni nihilominus simoniaca labe innoxium fuisse probat auctor in nota ibidem addita, multisque auctoritatibus, & exemplis confirmat, ut ibidem videre est.

Pet. Diac. Chron. Cassin. lib. 4. c. ult.

Petri Abbatis epist. ad Gilonem schismaticum. *lib. 4. epist. 4. et 30.*

5. Schismate sopito, vel potius ob Victoris tertii Antipapæ renunciationem extincto, cum obstinatus in schismate tuendo perseveraret Gilo ex Cluniacensi ordine Cardinalis, & Tusculanus Episcopus, Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, qui eum ut ad Ecclesiæ gremium rediret, alias excitaverat, nunc iterum ut tandem resipisceret, admonuit, hæc inter cetera scribens. *Sed forte ea spe, ut tunc innuebas, rem distulisti, qua sperabas ab Imperatore Lothario aut Petrum Leonis Innocentio Papæ præferri, aut utroque deposito, in Apostolica Sede alium sublimari. At nunc quid ultra novarum rerum vel moliri, vel præstolari poteris, quando & Lotharius mor-*

mortuus est, & Petrus extinctus est, & Innocentius in Papam ac summum Pontificem primo ab urbis parte, postmodum a toto orbe, & tandem a tota Urbe sublimatus est, & tota vanitatis spes divini oris gladio undique circumcisa est &c. Hæc & alia Petrus Abbas, pro schismate tollendo, eamdem cum Bernardo sollicitudinem gerens.

Bernardi sollicitudo pro ecclesia Lingoniensi.

lib. 4. cap. 1. serm. 24.

6. Bernardus vero Urbe excedens, & ad suos rediens, nil ab Urbe retulit præter sanctorum reliquias, & præcipue S. Cæsarii dentem, ut in ejus vita narrat Erardus Abbas Bonævallis. Post reditum vero expositionem libri Canticorum resumens, de gestis in urbe, deque mutuo ob reditum gaudio hæc præfatus est. *Hoc demum tertio fratres reditum ab urbe nostrum clementior oculus e cœlo respexit, & vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, Ecclesia pacem recepit. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per hoc ferme octennium diro schismate conturbarat. Num vero ego gratis de tantis periculis ero redditus vobis? Vestris desideriis donatus sum, vestris me profectibus paro: quorum vivo meritis, volo vivere studiis & saluti, &c.* antequam urbe excederet, cum Lingoniensis Ecclesia vacaret, in cujus Diœcesi suum erat monasterium, ut dignus ibidem præficeretur Episcopus quam maxime sollicitus fuit, ut in epistola ad Innocentium post reditum data testatur: *Dum adhuc Romæ essemus, contigit illo venire Dominum Archiepiscopum Lugdunensem. Venerunt & cum eo Robertus Decanus ecclesiæ Lingoniensis, & Olricus Canonicus, querentes licere sibi & Capitulo Lingoniensi eligere sibi Episcopum. Mandatum siquidem a domino Papa acceperunt, nequaquam præsumere hoc, nisi ad concilium religiosorum virorum. Quod dum per me cuperent & peterent obtinere: absit, inquam, nisi sciam & certus sim, quod bonam idoneamque personam intendatis eligere. Responderunt, propositum suum atque intentionem de nostro pendere arbitrio, nihil aliud se facturos, nisi quod ego consulerem, & spoponderunt. Verum me non satis fidem accommodante accessit ad persuadendum Archiepiscopus: pollicens firmiter id ipsum. Et addidit, quod si secus clerici agere molirentur, quidquid aliud facerent, minime se confirmaturum, nec ratum habiturum. Adductus est & dominus Cancellarius in testimonium, nec*

epist. 164.

JESU CHR. AN. 1138. *contenti, adivimus etiam præsentiam domini Papæ, ut ejus favore & auctoritate, quod inter nos convenerat, confirmaretur, prius tamen habita inter nos collatione mutua ac diuturna super facienda electione. Et de multis personis, quorum ibi mentio facta est, duabus tandem nominatis, a quibus nullus nostrum penitus dissentiret, quamlibet illarum eligi placuisset. Itaque quod nobis complacuit, dominus Papa immutabiliter observari præcepit, & tam Archiepiscopus, quam clerici firmiter promiserunt.* Post tot tantasque promissiones nihilominus electio, ipso inconsulto sancto Bernardo, facta est, nam hæc subjicit S. Abbas: *Illis abeuntibus, ego post discessum eorum dies paucos in Urbe faciens, ubi a domino meo impetrare potui facultatem redeundi ad Fratres, iter arripuimus, & transalpinantes, comperimus instare diem, qua foret sacrandus homo in Episcopum Lingonienſem, de quo utinam meliora atque honestiora audivissemus. Nolo autem dicere quæ invitus audivi &c.* Interpositam tandem refert appellationem ad Apostolicam Sedem tum ab Archidiacono Lingoniensi, tum a Decano Lugdunensi, & Fratribus Clarevallensibus: excusasse tamen se Lugdunensem Archiepiscopum dicit ob Principum contradictionem.

Aliæ Bernardi epist. pro electione Episc. Lingon. *ep. 166. 167. 167. 169.*

7. In eamdem rem alias plurimas cum ad Innocentium, tum ad Rom. Ecclesiæ Cardinales litteras scripsit. *Iterum clamo*, ait, *iterum pulso*, etsi non clamoris vocibus, *certe lacrymosis gemitibus, cogit iterare clamores iterata in nos injuria perditorum, prolongantium iniquitates suas ...... Quem contra tuam pater cautam justamque dispositionem non timuerunt eligere, etiam post appellationem tui nominis ausi sunt execrare & hoc presumpserunt Lugdunensis, Eduensis, Matisconensis amici Cluniacenses &c.* Unde in epistola ad Cardinales, de Cluniacensi Abbate conqueritur, quasi is Lugdunensi Episcopo sociatus, aliquem ex Cluniacensibus Episcopum præfici ibidem satageret; cum etenim inter Cluniacenses veteres querelæ adhuc vigerent, timebat merito Bernardus, ne Episcopus ex Cluniacensi ordine adscitus, suis Cisterciensibus obesset. Petrus tamen Abbas Cluniacensis, se penitus inscio, Cluniacensis monachi electionem a clero Lingoniensi factam fuisse testatus est, & quod Bernardus tam faciles iis rumoribus aures præbuisset, conquestus est, ac Apologeti-

lib. 3. ep. 29. lib. 4. 28.

cam

cam epistolam ea de causa vulgavit, quin Innocentium Pontificem ne electioni Vigiliacensis Abbatis sui ordinis consensum præberet rogavit. *Rumor ad nos usque pervenit, quod quidam paternitatis vestræ auribus importuni existant, ut Dominus Vigiliacensis Abbas de monasterio Vigiliacensi ad Lingonensem Ecclesiam, de Abbate in Episcopum transferatur. Hoc ne audiatis, & ipsa ratio implorat, sed ut audacter & veraciter loquar, imperat & compellit &c.* Cujus præcipua ratio in eo erat, quod is Abbas in eo monasterio collapsam revocaverat disciplinam, unde Petrus Abbas timebat, ne eo inde avulso, iterum monastica disciplina dilaberetur. JESU CHR. AN. 1138.

8. Votis Bernardi res sane cessit, nam pro Cluniacensi Abbate Godefredus Cisterciensis monachus, ac prior Clarevallensis monasterii, invito pene Ludovico Rege, electus est, quam electionem se quoque inscio factam fuisse S. Bernardus ad Ludovicum Regem scribens, testatur, *Veritatem dico, non mentior: quod Lingonis de Priore nostro factum est, præter spem, præter intentionem Episcoporum, & meam factum est*, & post aliqua iterum: *Factum est tamen, quod factum est, contra vos nihil, contra me plurimum, mihi baculus imbecillitatis meæ sublatus est, mihi lumen oculorum meorum ereptum est, mihi abscissum dextrum brachium meum &c.* & ne electioni Godifredi ultra resisteret, graviter admonet, alia ab eo perperam hactenus gesta exprobrans, ut ibidem videre est. Godefredus Cisterciensis Episc.Lingoniensis eligitur. *epist.170.*

9. Ad Innocentium in urbe, schismate extincto, degentem redimus, qui ut in vita Bernardi narrat Abbas Bonævallis; *Romæ potestative agendo disponit. Undique visitatores occurrunt, alii cum negotiis, alii tantum gratia congaudendi adveniunt. Processiones per ecclesias solemniter celebrantur: depositis armis, ad audiendum verbum Domini plebes occurrunt. Post multifarias egestates in brevi Civitas opulenta refloret: quæ discordiæ tempore distracta fuerant, pax solidata revocat & reducit. Arantur solitudines, & deserta pinguescunt. Requiescunt singuli sub vite & ficulnea sua: nocturnæ silent excubiæ, & apertis januis omnis timor excluditur. Dato tempore Innocentius Ecclesiæ ruinas restaurat, recolligit exules, ecclesiis antiqua servitia, depopulatas colonias expulsis restituit, insuper & congrua dona largitur, Monasterium etiam apud Aquas Salvias in S. Anastasii martyris honore constituit. Quod* Innocentii Papæ gesta in urbe post reditum.

 qui-

Jesu Chr. an. 1138. *quidem ibi prius fuerat, sed hoc tempore sola ecclesia, deerat habitator. Constructis itaque cœnobialibus mansionibus, & reformata ecclesia, assignatis etiam ad alimonias domus agris & vineis, a Claravalle Abbatem ad conventum Fratrum sibi mitti dominus Papa petiit, & obtinuit. Mittitur igitur Bernardus Pisanæ olim ecclesiæ Vicedominus, & religiosi cum eo Fratres, qui secundum B. Benedicti Regulam eodem loco Domino deservirent. Cito profecit illa plantatio, & associatis sibi viris indigenis, servorum Dei multiplicatus est numerus, & pascua congrua nutrimentis multiplex in brevi produxere peculium.* Hæc ipse. Extant de his ejusdem S. Bernardi literæ ad eumdem Pontificem.

Rogerius Siciliæ Rex cum Innocentio reconciliatur.

10. Unus fere Rogerius Siciliæ Rex & Dux Apuliæ cum subditis suis erat, qui Innocentio resisteret, eique submitti recusaret. Quare Innocentius conpositis in urbe rebus, ut ejus temeritatem comprimeret; *Consilio accepto Albanum venit*, ait Falco Beneventanus, *disponens exercitu congregato ad Ducem Rainulphum venire*, in auxilium scilicet; *sed infirmitate percussus venire non potuit*. Interea ut addit Falco, Rogerius cum exercitu in fines Apuliæ accessit, cui Rainulphus obviam factus, aliquandiu eidem restitit, Rogerius tamen, etsi prælium vitasset, urbes tamen, & oppida circumquaque recuperavit, hisque gestis ut loco supracitato narrat Falco. *Prædictus Rex Dominum Papam Innocentium in patrem, & Dominum accepit, & civitati Beneventanæ, & per totius Regni sui partes mandavit eum patrem, & Dominum accepisse. Nos autem litteris ejus acceptis*, ait Falco, *Dominum illum & patrem vocavimus*: sicque Beneventani ad Innocentii obedientiam redierunt. Cumque his adhuc *Rao* quidam *de Traineta* resisteret, Beneventanosque affligeret, in eorum auxilium accurrens Rogerius, Raone ejecto, contra Rainulphum sibi adhuc adversantem, cunctando magis, quam certando, pugnavit, variisque cladibus tota pene Apulia hoc eodem anno attrita est; uti idem chronologus Beneventanus fusiori stylo narrat.

apud Murat. tom. 5. rer. Ital. p. 126.

Conradus Germaniæ Rex creatur.

11. Cum anno superiore desinente Lotharius Imp. in itinere obiisset, hoc altero anno 1138. uti passim chronologi testantur, Otto Frisingensis, Annalista saxo, aliique; *Anno ab Incarnatione Domini* 1138., *defuncto sine filiis Lotha-*

thario, conventus generalis Principum Moguntiæ in proxima Pentecoste indicitur. Quidam autem ex Principibus timentes, ne forte in generali curia Henricus Dux Noricorum, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam prævaleret: circa mediam Quadragesimam, consilio habito in oppido Galliæ Confluentia, conventum celebrant, ibique Conradum Imperatoris Henrici sororium, de quo supra diximus, præsente Theoduino Episcopo Cardinali, ac S. R. E. Legato, summi Pontificis, ac totius Romani populi, urbiumque Italiæ assensum promittente, nonagesimum quartum ab Augusto Regem creant. Qui mox ad palatium Aquis veniens, a prædicto Cardinale (nam Coloniensis, qui id facere jure debuerat, noviter intrhonizatus pallio carebat) cooperantibus Coloniensi & Trevirensi Archiepiscopis cum cæteris Episcopis in Regem ungitur., cui unus fere Henricus Noricorum Dux restitit, quem invitum etiam Conradus facile subegit, ut idem Otto in historia adnotat. Unde factum est, quod *cum Dux Henricus auctoritate soceri sui Imperatoris, propriisque viribus in tantum excrevisset, ut omnes despiciens, nulli pro Regno* (obtinendo) *supplicare dignaretur, Dominus, qui humilia respicit & alta a longe cognoscit, deponit potentes, & exaltat humiles, illum* (Conradum scilicet) *humiliatum & pene desperatum ad fastigium Regni provenit, hunc de alto in gloria, & potentia sua gloriantem dejecit*, qui non multo post moerore consumptus obiit, anno sequenti 1139. vel altero 1140. ut Hermannus in chronico narrat. *Primo anno Conradi, qui est Domini* 1140. Henricus Catalus, idest Volpe Dux Bojariæ, & Saxoniæ *obiit secundum Eginardum, cui successit Henricus Leo filius ejus adhuc juvenis.*

Jesu Chr. an. 1138. Otto Frising. Iron. lib. 7. 22.

lib. 1. 22.

12. Cumque Bernardi fama totum pene impleret orbem, Conradus Germaniæ Rex vix creatus, litteras ad eum dedit, quæstus, quod olim adversum se Lothario fuisset; Cui respondens Bernardus hæc habet. *Scripta vestra & salutationes tam devotus suscipio, quam modicus sum ad illa, modicus dixerim dignitate, sed non devotione. Querimoniæ Regis nostræ sunt, & maxime illa, quam dignanter exprimitis de invasione Imperii. Regis dedecus, Regni diminutionem nunquam volui, volentes odit anima mea, legi quippe, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit & qui potestati resistit, Dei ordi-*

Conradi epist. ad Bernardum, & Bernardi ad Conradum.

Jesu Chr. an. 1138. epist. 1. 83.

ordinationi resistit. Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire in exhibenda reverentia summæ & Apostolicæ Sedi, & B. Petri Vicario sicut ipsam vobis vultis ab universo servari Imperio. Sunt quæ non putavi scribenda præsens, ea fortassis opportunius intimarem. Hæc Bernardus ad Conradum.

avid Rex Scotiæ Angliam excurrendo vastat.

13. Hoc tempore cum David Scotiæ Rex Stephano Angliæ Regi bellum indixisset, coacto ex Normannis, Germanis, Anglis, Cymbris, Pictis, aliisque ferocioribus gentibus exercitu in Angliam transiit, eamque cœdibus, incendiis, cladibusque vastavit, ac ut narrat Riccardus Hagulstandensis prior in historia de gestis Anglorum, *Ille detestandus exercitus omni Paganorum genere atrocior, nec Deo, nec hominibus reverentiam deferens tota Provincia deprædata, utriusque sexus, cujusque ætatis & conditionis homines passim trucidavit, villas, Ecclesias, Domos destruxit, spoliavit, accendit. Namque languentes in grabatis, ac mulieres prægnantes & parturientes, & in cunis infantes, & alios innocentes inter ubera & in finibus matrum suarum cum ipsis matribus & decrepitos senes, & defectas anus, & cæteros qualibet occasione debiles, ubicumque inveniebant, in ore gladii trucidaverunt, vel lanceis suis confixerunt. Et quanto miserabiliore mortis genere illos disperdere poterant*, tanto plus gratulabantur &c.

Scoti ad internecionem deleti.

14. His obviam cum exercitu Rex Stephanus factus, Dei auxilio implorato, ac Pixide cum Christi corpore in vexillo, quod Stendardum ibidem dicitur, ac pugna quoque Stendardica dicta est, *In octavis Assumptionis S. Mariæ, undecimo Kal. Septemb. feria secunda inter primam & tertiam bujus prælii conflictus initus, & finitus est*, ait auctor; ac ad internecionem pene Scoti deleti sunt *nec patrio, aut peregrino more sepultura usi*, sed canibus, avibus, *aut feris expositi*, eorumque Rex decem millibus ex suis circiter amissis, cum summa ignominia, & confusione vix salvus in Scotiam rediit: de memorabili hoc prælio scriptores fere omnes Angliæ meminere Malesburiensis, Huntindonensis, ac Ethelredus, Riavallensis Abbas peculiari etiam libro descripsit, inter decem Angliæ Scriptores a Seldeno relatus.

15. His

15. His gestis *Circa idem tempus*, seu Anno Domini 1138. subdit idem Ricardus Hagulstandensis prior in historia Reg. Angliæ. *Quidam Albericus Ostiensis Episcopus in illas partes venit, quem Innocentius Rom. sedis Apostolicus, ut legationis officio in Anglia, & Scotia fungeretur, miserat*, ac ejusdem Alberici vitæ seriem exponit, quem natione Gallum, professione monachum Cluniacensem, humanis, divinisque litteris eruditum fuisse adnotat; Ostiensis postea Episcopus electus, & ab Innocentio Papa cum litteris suis missus, quibus Pontifex de gravissima vexatione, quæ Romanam Ecclesiam per annos octo, ob schisma Petri Leonis afflixerat, Angliæ Regem, Regnique Episcopos certiores faciebat, ac tandem omnes ubique adversarios suos suæ potestatis Imperio se subjecisse ajebat. His *litteras alias Regibus Angliæ, & Scotiæ & Turstino*, seu Turstano *Eboracensi*, qui primatum tunc in Anglia agebat, eo quod *Cantuariensis Ecclesia pastore viduata esset, & Episcopis, & Abbatibus, ac præclaris Sanctæ Ecclesiæ utriusque Regni a prædicto Papa directas de auctoritate suæ legationis attulit*, ab his autem honorifice exceptus, primum de reintegranda pace inter Reges Angliæ, & Scotiæ egit, *Sed vix inducias impetravit*, ait auctor, deinde ut *Ad festum S. Nicolai in civitate Laudoniæ ad generale concilium convenirent* legatus jussit, quo tempore convenientes, de Ecclesiasticis causis tractare cœperunt.

Jesu Chr. An. 1138. Albericus Ostiensis Episc. in Angliam ab Innocentio missus. *Labb. to. 10. pag. 992. Vilkins Concil. Britann. to. 1. p. 413.*

16. Anno itaque 1138. *Pontificatus Innocentii Papæ secundi anno nono, regnante piissimo & illustrissimo Stephano rege Anglorum Henrici magni regis nepote, Anno vero regni ipsius tertio, celebrata est sinodus Londoniæ, in Ecclesia Sancti Petri Apostolorum principis, apud Vestmonasterium, mense Decembris, tertia die ejusdem mensis, ubi post multarum discussionem causarum, promulgata sunt hæc capitula, & ab omnibus confirmata, numero XVII.* Synodo prefuit Albericus Ostiensis Episcopus Innocentii Papæ in Angliam & Scotiam legatus, cum Episcopis diversarum provinciarum XVIII. & Abbatibus circiter XXX. & cum innumera cleri, & populi multitudine. Canones deinde 16. vel 17. ibidem vulgati sunt, quorum hæc summa est. Omnis rerum sacrarum nundinatio, ac quidlibet dari vel accipi pro qualibet sacramentorum administratione, vel Sacerdotali benedictione, vel Ecclesiarum, Epi-

Londunense concilium ejusque canones. *Labb. p. 994.*

can. 1. & 3.

JESU CHR. AN. 1138. Episcoporum, aut Abbatum consecratione prohibetur. Ne Christi Corpus ultra octo dies reservetur, & ut ab Presbyteris tantum, aut Diaconis infirmis deferatur cautum est, nisi necessitate cogente, quo casu, *per quemlibet cum summa reverentia* deferri poterat, & ne Beneficia laici possiderent, nec hæreditaria fierent; Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi concubinarii, vel uxorati ab officio removentur, & ne laici eorum Missas audiant præcipitur; Si quis Clericum, monachum, vel Sanctimonialem occiderit, vel nefarias in eos manus intulerit, anathemate damnatur, cujus finalis absolutio Romano Pontifici reservatur; alia addita ibidem sunt de clericorum vita, moribus, & ordinationibus, quæ ibidem videri possunt. Inter cetera narrat Gravasius in chronico, *Idibus Decemb.* celebratam fuisse synodum apud Vestmonasterium præside Alberico Ostiensi cum Episcopis 17. Abbatibus fere 30., ac capitula sexdecim vulgata. Soluto vero concilio Theobaldum Beccensem Abbatem in Episcopum Cantuariensem electum, ab eodem Olderico ordinatum fuisse, qui *postea Romam cum legato profectus est*, *ubi ab Innocentio Papa pallium suscepit*, ut Hontidunensis, & Matthæus Paris narrant: eumdem vero Lateranensi concilio anno sequenti ab Innocentio celebrato, cum nonnullis aliis Angliæ Episcopis, adfuisse, idem Riccardus Hagustaldensis adnotat.

can. 2. can. 5. 6. can. 8. 9. can. 10.

Quæstio inter Patriarch. Hierosolym. & Archiep. Tyrii.

17. Hoc eodem tempore, cum in urbem Innocentius Papa rediisset, gravis inter Hierosolymitanum Patriarcham Villelmum, & Fulcherium Tyriensem Archiepiscopum quæstio exorta est, de cujus origine, & progressu, Gulielmus Tyrius in sede Tyriensi quartus successor pluribus agit. Extincto quippe schismate, cum Innocentius Romanam Ecclesiam administraret, e vivis ereptus est Villelmus primus latinorum Tyriensis Archiepiscopus; *Cui substitutus est Dominus Fulcherius bonæ memoriæ Aquitanicus, vir religiosus, ac timens Deum, modice literatus sed constans, & amator disciplinæ. Hic apud suos Abbas extiterat Canonicorum Regularium in monasterio, cui Cella nomen. Sed postmodum tempore prædicti schismatis, quod inter Innocentium Papam, & Petrum Petri Leonis filium exortum est, favens prædicto Petro Gerardus Engolismensis Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus, aliæ parti præstantes assensum molestiis quamplurimis fatigabat. Quod vir vitæ venera.*

lib. 14. c. 11. & seqq.

nera ilis non ferens, sumpta licentia a Fratribus, orationis gratia Hierosolimam venit, tandemque in claustro ecclesiæ Dominici Sepulchri regularem vitam & assiduitatem professus, ad ecclesiam Tyrensem vocatus est. Rexit autem eandem Ecclesiam strenue & feliciter annis duodecim, quartus ante nos, qui nunc eidem ecclesiæ non electione meriti, sed sola Domini dignatione & patientia præsidemus. Qui postquam a domino Hierosolymitano Patriarcha Willelmo suæ munus consecrationis accepit, exemplo prædecessoris sui volens ad Ecclesiam Romanam pro obtinendo pallio properare: ab eodem Patriarcha, & ejus complicibus passus est insidias & violentiam, ita ut vix & cum multa difficultate manus eorum posset effugere, & ad Ecclesiam Romanam pro causa prædicta pervenire, sicut ex tenore literarum domini Papæ Innocentii deprehenditur, ait enim: Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Willelmo Hirosolymitano Patriarchæ salutem & Apostolicam benedictionem. Magisterium totius Ecclesiæ & Ecclesiasticæ institutionis B. Petro Apostolorum principi cœlesti privilegio esse collatum, Evangelica declarat auctoritas: & infra: *Miramur autem, quoniam cum Rom. Ecclesia pro liberatione Orientalis ecclesiæ tantopere laboraverit, & filiorum multorum sanguinem effundendo, corda tam ecclesiasticorum, quam secularium ad ejus servitium excitaverit; nequaquam prout convenit, eidem matri tuæ hac vice respondere curasti. Parum enim tibi visum fuerat, quod venerabilem fratrem nostrum Willelmum Tyrensem Archiepiscopum, more prædecessorum suorum pro susceptione pallii ad Romanam Ecclesiam venientem, disturbare præsumpseris, ubi te erga eum a nobis redeuntem inhumanum, perdifficilemque & nimis asperum exhibueris. Adeo quod nec antiquam dignitatem Tyrensis ecclesiæ sibi restituere, nec de damnis sibi illatis, aut etenim de Cajpha sive Porphira juxta mandatum nostrum infra tres menses, post acceptionem nostrarum literarum justitiam facere volueris &c.* Quare eum gravioribus verbis admonet, ut ab inferenda eidem molestia se abstineret, quin ut eidem intra quadraginta dies satisfactionem daret, jubet; *Alioquin*, subdit, *timendum tibi erit, ne tam ipsum, quam suffraganeos suos a tua obedientia subtrahamus, eosque intra manus nostras retineamus.* Data decimoquinto Kal. Januarii. Quæstionis causa inde orta, quod Tyriensem Archiepiscopum, æque ac Hierosolymitanum Patriarcham sibi

JESU CHR. AN. 1138.

Jesu Chr. An. 1138.

subjacere Antiochenus ajebat, qui sane antiquitus Antiocheno utpote Orientis totius Patriarchæ subjiciebantur, temporis tamen tractu Hierosolimitanus Episcopus, Patriarchalem dignitatem adeptus, Tyriensem quoque sibi subjecerat. *Unde ab Ecclesia mandatum accepit* Tyriensis Episcopus, ut usquedum tota causa inter utrosque agitaretur, Hierosolymitano obediret, eodemque tempore Tyriensi Ecclesiæ consulens Innocentius ejusdem Metropoli Tripolitanam, aliasque Ecclesias ab Antiocheno sibi vindicatas restituit, ut ex Innocentii Papæ epistola ad Episcopos Tripolitanum, Tortosanum, & Biblitanum ab Villelmo Tyriensi relata constat, cui & alteram ad Antiochenum eodem tempore, in eamdemque rem addidit, qua Gerardum Antiochenum Patriarcham, ut mandatis Apostolicæ sedis excusationem daret, hortatus est, minatus nisi paruisset suffraganeorum suorum subtractionem: data vero hæc dicitur *Laterani XVI. Kal. Febr.* quo eodem die data est epistola altera Innocentii Papæ ad Episcopos alios, qui Tyriensi Archiepiscopo subjacere recusabant, cujus causam idem Gulielmus, cum eam sedem obtineret, pluribus prosequitur, quæ exscribere, vel exponere longum esset.

Boleslai Poloniæ Ducis obitus, & civile bellum.

18. Hoc tempore obiit Boleslaus tertius cognomento Crivestus Poloniæ Dux, ait Pagius ad annum sequentem; ejus autem obitum labenti potius alligandum esse ex Annalista Saxone, qui ad sequentem annum chronicon suum absolvit, constat, ait Mansius ibidem ad Pagii notas, cui consentit alter chronographus ab Geibuito editus. Post Boleslai obitum intestino civilique bello inter quatuor, vel quinque Boleslai filios exorto tota exarsit Polonia, de quibus legendus Cromerus lib. 6. de gestis Polonorum, & Otto Frisingensis Lib. 1. cap. 55. qui loquens de Concilio Remensi anno 1148. ab Eugenio III. celebrato, ait: *Venerunt ad prædictum Concilium cum Bulla Aurea Nuncii Junioris Romanorum Regis Henrici tam de sublimatione sua ad Imperium Romano Pontifici significantes, quam de tribus fratribus Poloniæ, qui ejecto quarto & seniore, Ducatum inter se diviserant, ac de Episcopis illius Provinciæ, qui super hoc patri ipsorum juramentum præstiterant. querimoniam facientes.* Quid ea de re Concilium definierit, nullus ex antiquis posteritati mandavit, unde nil ultra addimus.

JE-

JESU CHRISTI AN. 1139. INNOCENTII PAPÆ II. AN. 10. JOANNIS COMNENI IMP. AN. 22.

1. Compositis in urbe rebus, sedatisque Anacleti obitu, & Honorii Antipapæ renunciatione turbis, Generale concilium hoc anno Innocentius Papa circa Quadragesimæ medietatem celebravit, cui ex toto orbe christiano mille fere Episcopi adfuere, de quo hæc narrat Otto Frisingensis in chronico. *Proxima media quadragesima synodus maxima circiter mille Episcoporum Romæ præsidente summo Pontifice Innocentio celebratur, ibique post multa salutifera decreta promulgata, schismatici, qui parti Petri Leonis faverant, damnantur*, eademque habet Urspergensis, ac una cum schismaticis, hæreticos quoque, seu sectatores Petri de Bruis, & Arnaldi de Brixia damnatos fuisse ait. Rogerius etiam Siciliæ Rex, qui anno proximo cum Innocentio reconciliatus fuerat, eo quod pactis initis, post Rainulphi Ducis obitum, non stetisset, iterum excommunicatus fuit. *Anno 1139. Domin. Incarn., Pontificatus Innocentii II. anno* 10. *Mense martio secundæ indictionis*, ait Falco Beneventanus, *præfatus Apostolicus octavo die intrante mensis Aprilis Romæ synodum celebravit, ibique inter cetera, quæ Spiritu Sancto mediante statuta sunt, vinculis excommunicationis alligavit* Regem Rogerium: De eodem concilio in vita Innocentii agens Cardinalis de Aragonia hæc adnotat. *Anno Incarnationis* 1139., *Pontificatus Innocentii X. Convocatis de omnibus partibus Mundi Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum prælatis grande concilium celebravit, in quo ultimo die inter cetera sunt hæc capitula promulgata*. Ordinationis scilicet a Petro Leone, vel ab schismaticis & hæreticis factæ irritæ declaratæ sunt, ibique etiam canon: *Si quis suadente diabolo &c.* contra clericorum, monachorumque percussores vulgatus est, aut confirmatus, cum alias in Claromontano concilio editus fuisset; ex tot Episcopis pauci ex Anglia adfuere. Ex his *Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus, & Earnulphus Roffensis, & Simon Vigorniensis, Rogerus Coventrensis, Robertus Excestruensis, isti quinque Episcopi cum illis quatuor Abbatibus, pro omnibus Episcopis, & Abbatibus Angliæ ad idem concilium iverunt; Namque Rex Ste-*

Innocentius Papa Concil. Lateran. celebrat. *Labb. concil. tom. 10. pag. 1000.*

Synodi Lateran. summar. gestorum.

Jesu Chr. an. 1139. *Stephanus propter turbationem Regni sui, quæ gravis tunc imminebat, plures illuc mittere noluit*, ait Prior Hagustaldensis in historia de gestis Regis Stephani, a Seldeno inter Angliæ scriptores editus.

Canones 30. in concil Lateran. vulgati.

2. Canones vero triginta pro Ecclesiastica disciplina tuenda, vel restituenda vulgati ibidem sunt; Quorum primo omnis simoniæ species prohibetur, & quidlibet dare vel accipere pro ecclesiastico officio, & ministerio pro chrismate scilicet, pro oleo infirmorum, pro benedictione, vel consecratione Ecclesiarum, vel altarium, & ne in admissione, vel receptione beneficiatorum quidlibet exigeretur, sub quolibet

can. 2. 3.

prætextu, vel pro pastu, cautum est, insuper & ne excommunicatum quilibet exciperet, & ut Episcopi, vel cujuslibet ordinis clerici tonsuram vestemque clericalem deferrent, ju-

can. 4. 5. 6. 7. 8.

betur, & ne defunctorum Episcoporum domus, vel patrimonia diriperentur, ut qui Ecclesiæ inserviunt caste sancteque viverent, admonentur, & ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, regulares Canonici, & monachi, atque regulares professi, qui contra propositum uxores duxerint, ab eis separentur, quorum matrimonium nullum declaratur, atque idem de sanctimonialibus canone octavo decernitur. Eo etiam

can. 26. 27.

spectat canon 26. quo sanctimoniales in domibus privatorum habitare prohibentur, sequenti vero ne sanctimoniales cum canonicis, vel monachis in eodem choro ad psallendum convenirent cautum est, quæ etsi passim vulgata fuerint, vix tamen observata fuisse adnotat Ordericus lib. 13. contraria prævalente consuetudine, seu abusu; Canonicis etiam, & monachis medicinæ artem exercere prohibet canon nonus,

can. 9. 10.

sequenti ne Laici decimas Ecclesiis debitas usurparent, admonentur; Ut Dei tregua servaretur canone 2. cautum est, ac treguæ tempora designantur, & ne ex Clero quislibet usuras acciperet canone 13. prohibitum est; Detestabiles feriæ, seu nundinæ, vel privatæ pugnæ quæ ad ostensionem virium a militibus peragebantur, unde homicidia sequebantur, canon

can. 14. 15. 16. 17.

decimus quartus prohibet, 15. canon si quis suadente diabolo clericum, vel monachum percusserit, exponit, sequenti vero ne beneficia hæreditaria fierent, cautum est. Illicitas conjunctiones consanguineorum, seu matrimonia prohibet, canon 17. Incendiarios damnat canon 18. gravique subjicit

pœni-

pœnitentiæ. Presbyterorum filios a sacris altaribus canon 21. removet, sequens falsas pœnitentias damnat, cum præsertim pœnitens ab officio Curiali, vel negotiali, quod vix sine peccato geritur, non recedit, vel odium conceptum non deponit, beneficia quælibet a laica potestate accipere prohibet canon 25. ut Episcoporum ordinationes intra trimestre fierent, canone 28. jubetur. Tandem contra hæresim Petri de Bruis, & Arnaldi Brixiensis, atque Abeilardi hæc etiam statuta ibidem sunt. *Qui religionis speciem simulantes Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramentum, baptisma puerorum, Sacerdotium, & ceteros ecclesiasticos ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tamquam hæreticos ab ecclesia Dei pellimus, & damnamus, & per potestates cæteras cohiberi præcipimus; defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus &c.* Jesu Chr. an. 1139. can. 23.

3. Cumque inter cetera statutum ibidem fuerit, ut ordinationes, consecrationesque ab schismaticis, seu sectatoribus Petri Leonis factæ irritæ essent; Gaufredus Carnotensis Episcopus, Aquitaniæ legatus, accepta ab Pontifice potestate, omnem Galliæ regionem circumiens, *Omnia sanctarum ecclesiarum Altaria, quæ vel Giraldus, vel Gilo Tusculensis, vel eorum complices* sacraverant, tamquam schismate polluta solo dejecta funditus dissipavit, *& alia eorum loco restaurari curavit*, ait auctor chronici Mauriniacensis, qui etiam orationem ab Innocentio Papa in synodo habitam recitat, qua infanda schismaticorum scelera deplorat, uti ibidem videre est; in hoc quoque Lateranensi concilio Beatum Sturmium primum Fuldensium Abbatem, & Saxoniæ Apostolum, qui anno 779. in Cœlum abierat, Sanctorum fastis Innocentius inscripsit, ut ex ejusdem constitutione Lateranis 14. Kal. Maii data ad Conradum Abbatem, & ad Fuldenses monachos constat, ut in Codice Canonizationum apud Fontanini videre est, pag. 13.

Altaria ab schismaticis consecrata destruuntur, & iterum consecrantur

Labb. to. 10. *p.* 1010.

4. Inter cetera hujus synodi gesta notatu dignus est canon 23. quo Petrobusiani, seu sectatores Petri de Bruis alias in Tolosana synodo anno 1119. damnati, & in Arnaldistis redivivi, qui Sacerdotium, & parvulorum baptismum negabant, Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini Jesu Christi spernebant, condemnati sunt, Arnaldumque ibi ab Episcopo Brixiano accusatum fuisse Otto Frisingensis in chronico

Petrobusiani in Arnaldistis redivivi condemnantur.

Jesu Chr. an. 1139.

nico narrat, qui de sectæ auctore, erroribusque ejus hæc adnotat, *Accessit ad hujus seditiosi facinoris, seu schismatis augmentum, quod Arnolphus quidam Brixiensis*, Arnaldus passim dictus, *sub typo religionis, & ut Evangelicis verbis utar sub ovina pelle lupum gerens, in urbem ingressus ac factionem istam*, schismaticorum scilicet, *rudis populi animis præmolli dogmate ad animositatem accensis, innumeram post se duxit, imo seduxit multitudinem*. De ejus initiis, & hæresi hæc subdit. *Arnaldus iste ex Italiæ civitate Brixia oriundus; ejusdemque Ecclesiæ clericus, ac tantum Lector ordinatus, Petrum Abailardum olim præceptorem habuerat: vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio, quam sententiarum pondere copiosus, singularitatis amator, novitatis cupidus, cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreses, schismatumque perturbationes sunt prona. Is a studio e Galliis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo amplius decipere posset, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, clericorum, ac Episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione posse salvari, cunctaque hæc Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento altaris, Baptismo parvulorum non sana dicitur sensisse. His aliisque modis, quos longum est enumerare, dum Brixiensem ecclesiam perturbaret, laicisque terræ illius, prurientes erga Clerum aures habentibus, Ecclesiasticas malitiose exponeret paginas, in magno Concilio Romæ sub Innocentio habito ab Episcopo civitatis, illius virisque religiosis accusatur. Romanus ergo Pontifex, ne perniciosum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit, sicque factum est. Ita homo ille de Italia fugiens, ad Transalpina se contulit, ibique in oppido Alemanniæ Turego* (Gurich dicto) *officium doctoris assumens, perniciosum dogma aliquot diebus seminavit &c.* His de rebus ab eo gestis sub Eugenio Papa Innocentii successore, cum in urbem rediisset, nonnulla addit, de quibus suo loco sermo fiet. Perversi viri ingenium versibus suis Guntherus Ligurinus hujus etiam temporis scriptor descripsit; Inter cetera hæc occurrunt.

Arnaldi Brixiensis initia, & errores.

de gestis Frider. lib. 1. 3.

Cu-

Cujus origo mali, tantæque voraginis auctor
Extitit Arnoldus, quem Brixia protulit ortu
Pestifero, tenui nutrivit Gallia sumptu,
Edocuitque diu: tandem natalibus oris
Redditus, assumpta sapientis fronte, diserto
Fallebat sermone rudes, Clerumque procaci.
Insectans odio, monachorum accerimus hostis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipsumque gravi corrodere lingua
Audebat Papam, sceleratque dogmata vulgo
Diffundens, variis implebat vocibus aures.
Nil proprium Cleri, fundos & prædia nullo
Jure sequi monachos, nulli Fiscalia jura
Pontificum, nulli curæ popularis honorem
Abbatum, sacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis subdita, tantum
Committenda viris popularibus atque regenda.

Deinde post aliqua de condemnatione ejus in Lateranensi Concilio hæc subdit:

Mox in Concilio Romæ damnatus ab illo
Præsule, qui numeros vetitum contingere nostros
Nomen ab innocua ducit laudabile vita.
Territus, & miseræ confusus imagine culpæ,
Fugit ab urbe sua, Transalpinisque receptus,
Quæ sibi vicinas Alemannia suspicit Alpes,
Nomen ab Alpino ducens (ut fama) Lemanno
Nobile Turegum, doctoris nomine falso
Insedit, totamque brevi sub tempore terram.

ex Galliis excedentem Arnaldum stilo suo secutus, seu insectatus est Bernardus, qui datis ad Constantiensem Episcopum, & ad Guidonem Apostolicæ sedis legatum litteris, eosdem de Arnaldi ex Galliis, & Italia in eas regiones transitu admonet, & ut sibi, ovibusque sibi commissis caverent, hortatur; *Si capi vulpes pusillas*, inquit, *demolientes vineam scriptura salubriter monet, num multo magis lupus magnus, & fe-* *epist.* 195. 196.

Jesu Chr. An. 1139. *ferus religandus est, ne in Christi irrumpat ovilia, oves mactet, & perdat*, & ad Guidonem legatum Epistola altera; *Arnaldus de Brixia*, ait, *cujus conversatio mel, & doctrina venenum, cui caput columbæ, cauda scorpionis est, quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere, fertur esse vobiscum. Videte quæso ne vestra auctoritate plus noceat &c.*

Innocentius Papa de pace ineunda cum Rogerio agit.

apud Murat. rer. Ital. to. 5. p. 127.

6. De Abailardo autem Arnaldi præceptore anno sequenti, quo in Senonensi concilio damnatus est. Nunc cetera Innocentii Papæ gesta hoc anno prosequimur, qui de ineunda cum Rogerio pace sollicitus in Campaniam transiit; Nam ut narrat Falco Beneventanus, cum Rainulphus Apuliæ Dux ab Innocentio creatus, *ardentissimo febris calore correptus ultimo die stantis mensis Aprilis ex hoc Mundo decessisset apud civitatem Trojanam*, ibique ab Gulielmo Episcopo honorifice sepultus fuit; Eo sublato Rogerius exercitu congregato; *Die septimo stantis mensis Maii Salernum transfretavit*, ac deinde nullo sibi resistente, *Beneventum* venit, ait auctor, ac addit quarto Kal. Junii tantam ignitam pulverem Vesuvium évomuisse, ut et contigua loca exterminium sibi instare timerent, ac cinerem ignitum Salernum, Beneventum, et Capuam usque pervenisse, eumdemque se collegisse adnotat Falco; Cumque nullo prohibente totam pene Apuliam, Campaniam que Rogerius subjugasset; Illuc quoque progressus Innocentius Papa, non tam armis certaturus, quam de pace acturus: *Urbem Romam exivit mille equitum caterva stipatus, et peditum multitudine copiosa, deinde ad civitatem Sancti Germani pervenit. Cumque præfatus Rex Apostolicum illum urbe egressum persensit, Legatos suos prædicto Apostolico de pace mandavit et voluntatem Apostolici, et petitionem pollicetur perficere. Apostolicus autem Legatus Regis honeste accipiens, Cardinales duos ad Regem ipsum transmisit, pacis et dilectionis firmamentum describens, et ut ad civitatem Sancti Germani Rex ipse festinaret. Quid multa? Cardinales illos Rex ille diligenter, et honeste accipiens, civitatem Trojanam, quam obsidebat dimisit, et cursu rapido ad prædictum Apostolicum cum Duce filio suo, et exercitibus suis festinat, continuo per Legatos suos ab utraque parte de pacis fœdere interlocuti sunt. Apostolicus itaque Principatum Capuanum a Rege petebat, quem in-*

injuste Principi Roberto abstulerat. Rex vero nullo modo Principatum illum reddere voluit, et sic per dies octo discrepatio talis inter eos habita est &c. sicque exacerbato animo Rogerius inde discessit, ac hostiliter Pontificem aggressus, captivum etiam fecit.

Rogerius Innocentium captivum tenet.

7. Nam ut idem subdit auctor, soluto vix de pace ineunda congressu, Rogerius *Cursu rapidissimo ad terram sancti Germani, ubi Apostolicus ipse morabatur pervenit*; ac dum Pontifex inde cum suis excederet, seu potius aufugeret, *Dux Regis filius mille fere equites accipiens sic Apostolicum discedentem deprehendens, insidiis constitutis, super Apostolici milites insilivit, qui potentiam, & insidias sentientes terga vertentes fugam petunt, & secundum vires per loca illa diversa aufugiunt. Praefatus vero Princeps, & Riccardus de Sapacanina, & Romanorum multitudo evasit, multi vero militum, & peditum in flumine mortui sunt, multos in captione Regis fore audivimus. Apostolicus autem Innocentius post suos omnes quasi securus incedebat. En ex improviso militum caterva eum aggreditur: heu dolor, & illum comprehendunt, omnique suo thesauro, & ornatu diviso, ducunt illum ante Regis aspectum, & captivum in tentorio, intromittunt: & consequenter Apostolici Cancellarium Aimericum, & Cardinales captivos perducunt. Decimo autem die stante mensis Julii, Pontifex ipse Innocentius captus est, &c,* hinc tantus luctus & lamentatio *secuta est, ut si describere vellem, nec dies, nec tempus sufficerent*, ait auctor.

Pax inter Innocentium Papam, & Rogerium firmatur.

8. Laetiora tamen paulo post secuta sunt; Nam *Continuo Rex per legatos suos Pontifici Innocentio, quem captivum tenebat, suppliciter & ultra quam credi potest, mandavit humiliter, ut paci & concordiae manum apponat. Apostolicus itaque se destitutum viribus & armis & desolatum aspiciens, precibus Regis & petitionibus assensit, & privilegiis ex utraque parte firmatis: Rex ipse & Dux filius ejus, & Princeps, decimoseptimo die stante mensis Julii, ante ipsius Apostolici praesentiam veniunt: & pedibus ejus advoluti, misericordiam petunt, & ad Pontificis Imperium usquequaque flectuntur. Continuo per Evangelia firmaverunt B. Petro, & Innocentio Papae ejusque successoribus canonice intrantibus fidelitatem deferre, & caetera quae conscripta sunt. Regi vero* Ro-

Jesu Chr. An. 1139.

Rogerio statim Siciliæ regnum per vexillum donavit. Petiit hoc Rogerius, ut titulum Regis Siciliæ, quem male acceperat ab Anacleto pseudopontifice, ab Innocentio Catholicæ Ecclesiæ legitimo Papa obtineret. Quod idem licet in captivitate positus libere præstitit Innocentius, suscepto ab eo pro ejusdem investitura regni juramento fidelitatis de more. Testatur hoc item Otto Frisingensis, titulum regium ab Anacleto perperam impertitum, per Innocentium legitime concessum: pergit Falco: *Duci filio Rogerii Ducatum Apuliæ, Principi alteri filio ejus Principatum Capuæ largitus est. Die vero illa, in qua prædictus Apostolicus pacem cum Rege firmavit, B. Jacobi Apostoli festivitas celebratur, septimo Kalendas Augusti*. Hæc autem omnia perpaucis Otto Frisingensis perstrinxit: *Rogerius Innocentium Papam in Apuliam cum militia Romanorum venire volentem, flagitiose in Christum Deum manum mittens, ex insidiis cepit, & regii nominis in Sicilia ab eo auctoritatem, & absolutionem anathematis extorsit cum Ducatu Apuliæ, Calabriæ, ac Principatu Capuæ &c.*

Innocentii Papæ diploma Rogerio pro investitura Siciliæ, Apuliæ, & Capuæ.

9. In eamque rem Innocentii diploma tunc Rogerio datum ex Vaticanæ bibliothecæ Codice refert Baronius, quo Innocentius prædecessoris sui Honorii vestigiis inhœrens, ac Anacletum utpote Antipapam omnino præteriens, se quoque Siciliæ Regnum cum Apuliæ Ducatu, & Principatu Capuano, Rogerio, ejusque successoribus concedere testatur, ea tamen conditione expresse apposita, ut *Ligium homagium fecerint, & fidelitatem, quam tu jurasti, juraverint &c. Censum autem sicut statutum est sexcentorum schifatorum a te, tuisque hæredibus nobis, nostrisque successoribus singulis annis reddatur, &c.* ac subscriptus ibidem primo loco Innocentius legitur, deinde Albericus Ostiensis Episcopus, ac Haimericus S. R. E. Diaconus Card. ac datum est in territorio Marianensi *sexto Kal. Aug. Indict. 2. Incarn. Domin. anno* 1139. *Pontificatus Innocentii Papæ secundi anno decimo*.

Innocentius Beneventum transit, gesta ibidem.

10. His gestis prosequitur Falco, *Missæ solemnia celebravit Apostolicus ipse, ubi satis abundeque de pacis continentia tractavit*; eaque firmata, *cum præfato Rege Beneventum ingressus est die Kal. Augusti*; Rex autem extra urbem castrametatus est, cum usque ad portam S. Laurentii Innocentium comitatus esset, & ad Vesperam civitatem ingressus, *& Cu-*

& Curiam Domini Papæ ascendens cum eo aliquantulum est moratus; Ecclesiam deinde B.Mariæ, & Bartholomæi ingressus, ac monasterium S. Sophiæ, ante Altare S. Mercurii postratus, & monachorum orationibus se commendans, *civitatem exivit per portam summam, & ad castra gaudens remeavit*, ait auctor.

Jesu Chr. an. 1139.

11. Pontifex vero ibidem subsistens Rossimanum ab Anacleto Antipapa Episcopum ibidem consecratum ejecit; *Et Gregorius a Domino Papa Innocentio consecratus Beneventum intravit secundo die intrante mensis Septembris*; & post aliqua de gestis in Apulia ab Rogerio Rege, de Innocentii in urbem reditu, hæc addit. *Die assumptionis Sanctæ Mariæ, & in passione S. Bartholomei ad Episcopium descendit, & Missarum solemnia honorifice celebravit: & his peractis, prædictus Apostolicus a Romanis sæpe vocatus, secundo die stante mensis Septembris, Romam repedavit, relicto Gregorio Archiepiscopo Beneventano in sua Ecclesia, & Guidone diacono Cardinale constituto rectore ejusdem Beneventanæ civitatis. Audiens autem populus Romanus domini Papæ Innocentii adventum, catervatim obviam exivit, & illum gaudio magno, & honore suscepit. Deinde eum hortabatur, ut pacem quam cum Rege posuerat, consilio eorum confringeret: Apostolicus autem nullo modo petitionibus eorum consentire voluit. Dicebat quidem sic Domino placuisse, quod per ejus captionem pax hujusmodi facta fuisset*. Guido autem S. R. E. Diaconus ab Innocentio Beneventanæ civitatis rector ibidem destinatus; *Usque ad Kal. Martii*, anni sequentis, *in civitate permansit*, ait Falco, *deinde Apostolicus alium misit Rectorem Joannem nomine consanguineum suum Subdiaconum, & Guido ille Romam repedavit*, ex quibus sane apparet, in plenissimam Rom. Ecclesiæ potestatem cum Ducatu suo rediisse Beneventanam urbem.

Innocentius in urbem redit.

12. Pacificum, et quasi triumphalem Innocentii Papæ post Beneventanum Ducatum Romanæ Ecclesiæ restitutum, in urbem reditum, miraculi loco habitum est, ait merito Baronius, eo quod a potentissimo æque ac ferocissimo Rege Rogerio, captum captivumque detentum cum tanta veneratione eum exceperit, reverentia tractaverit, ac dimiserit, præstito fidelitatis juramento, atque Siciliæ, Apuliæ, & Capuani

Rogerii Regis immanitas notatur.

 Prin-

Jesu Chr. an. 1139. Principatus investituram acciperet, quæ tanto mirabiliora sunt, quanto ferocioris ingenii hactenus Rogerius fuerat, cujus crudelitas eousque processit, ut hostibus suis nequidem mortuis pepercerit; Nam ut narrat Otto Frisingensis hujus seculi scriptor, et confirmat Falco Beneventanus coævus, et ocularis testis, ab Trojæ civibus exegit, ut Ducis Rainulphi nuper defuncti, & apud eos sepulti cadaver extraheretur, & ad ignominiam per urbem tractum dehonestaretur, & vix a filio suo Rogerio rogatus, ut sepulturæ iterum traderetur, permisit; paulo post sæviora adhuc in Barenses cives gessit, quorum Principem cum aliis decem honestis viris, *laqueo suspendi*, jussit; *decem alios oculis & membris truncari, civesque alios prudentes ligari & vinculis teneri, eorumque bona auferri, sicque de civitate illa Barensi inauditam fecit ultionem &c.* Hæc is auctor, unde divinæ magis potentiæ, quam humanæ prudentiæ tribuendum est, quod Innocentius Papa cum tanto honore exceptus, & dimissus ab eo fuerit.

Frising. l. 7. 23.

Murat. to. 5. pag. 130.

13. De inita inter Innocentium, & Rogerium pace, deque restituta Rom. Ecclesiæ tranquillitate, in toto orbe fideles, & pacis filii lætati sunt; Inter eos cum Rogerio litteris suis gratulatus est Venerabilis Petrus Abbas Cluniacensis. *Quis enim*, ait, *non gaudeat, quis non totis viribus, si necesse fuerit collaboret, ut post tantos bellorum & malorum turbines, tam profundæ pacis bonum a Deo per vos Siculis, Apulis, Calabris, multisque aliis gentibus collatum conservetur, augeatur, dilatetur &c.* Post alia: *Ista me ad vos amandum primitus impulerunt, ista ut inter magnos Reges, Romanos dico, Francos, Anglos, Hispanos, maximos Cluniacenses Ecclesiæ amicos & benefactores, vos quoque ut admitterem, coegerunt. Ea de causa jam ex multo tempore pro pace, pro honore, pro salute vestra, & apud Deum precatorem & apud homines prædicatorem me constitui, & ad idem agendum, tam de nostris, quam de alienis, quos potui attraxi. Testis est bonorum conscientia mea, testis Romanus Cancellarius, testis & ipse dominus Papa, quem Pisis, quem Romæ, quem intra Gallias constitutum præsens verbis, absens litteris de pace vestra sæpe conveni, & ne inimicis vestris vestram pacem, ejusque perturbantibus crederet, & rogavi, & monui. Quod licet diu dilatum, sed nunc tandem ad effectum perductum, nos & om-*

Petri Cluniacensis, & S. Bernardi epistolæ ad Rogerium. *lib. 4. ep. 54. epist. 207.*

omnes quicumque audire potuerunt pacis amatores lætificat, & ad gratiarum actiones Deo persolvendas invitat. Rogo ergo, & in quantum possum, vos ut charissimum & sublimem amicum admoneo, ut hanc pacem pastoris vestri ac summi Ecclesiæ Dei magistri toto affectu amplectamini, toto annisu retinere studeatis: quatenus & ipse, Innocentius scilicet, *de vobis, sicut de optimo & speciali filio: & vos de ipso sicut de benigno & singulari patre in spiritualibus pariter & temporalibus gaudeatis*. Hucusque de his Petrus ad Rogerium, quam Epistolam per Gaufredum Cluniacensem monachum se misisse narrat, quem unicum ejusdem instituti monachum in Sicilia fuisse ait, eumque Regi commendat, & ut numero sui ordinis monachi ibidem augerentur, exoptat; plura adhuc, & gloriosiora de eodem Rogerio idem Petrus narrat in Epistola 4. lib. 5. ejusdemque Regnum cum Regno pacifico Salomonis comparat, ubi justitia, pax, securitas ubique vigebat, ut ibidem videre est; Ad eum quoque Bernardus scribens, quem hactenus Siculum tyrannum dixerat, nunc cum Pontifice reconciliatum, digno elogio exornavit, *Longe lateque satis dilatata est magnificentia vestra super terram, etenim gloria nominis vestri quos fines non attigit &c.* eique causam pauperis, fortasse monachi commendat.

Bernardus suos monachos in Siciliam mittit. *ep.* 108. 9.

14. Tanta porro Rogerius Rex benevolentia prosequutus est, ut eum ad se una cum monachis suis, ut in Siciliam transiret, rogaverit; At Bernardus monachos quidem suos ad eum misit, seipsum ut pote corpore infirmum pergere non posse dixit. Unde *Si me quæritis*, ajebat, *Ecce ego, & pueri mei quos dedit mihi Deus. Fertur namque mea humilitas invenisse gratiam apud regiam majestatem, ita ut quærat videre me? Et quis ego sum ut dissimulem beneplacitum Regis. Accurro, & qui quærebat, ecce adsum, non in præsentia corporis infirma attamen in visceribus meis*, seu cum monachis suis ad illum missis; Quos cum benigne Rogerius excepisset; foveretque impense, hac altera Epistola Bernardus gratias egit *Habetis quod petistis*, ait, *fecistis, quod promisistis, quos in verbo vestro exposuimus, & misimus peregrinari, regia sunt liberalitate suscepti*; quos ideo eidem commendat, & præcipue Brunonem sibi carissimum, quem iis præposuerat.

15. Dum

JESU CHR. AN. 1139.

Thusciæ provincia variis modis undique afflicta.

lib. 5. ep. 34.

15. Dum Rogerii Regis pietatem, liberalitatemque Petrus Cluniacensis Abbas commendabat, ejusdemque Regnum in Sicilia, Apulia, Calabria, aliisque locis propagatum summa pace fruebatur, aliam omnino Thusciæ sortem fuisse indicat; ac ut ejusdem Imperio adjungeretur exoptat, nam ut adnotat; *Cum plures regii nominis habeatis consortes, magnanimitate, prudentia, probitate, nullos, aut pene nullos habere inveniamini pares; Indicat hoc Sicilia, Calabria, Apulia, & non modica sui parte in quibusdam aliis regionibus subjecta vobis Italia. Quæ cum ante vestra tempora, vel receptacula essent Saracenorum, vel foveæ prædonum, vel speluncæ latronum: nunc gratia misericordis Dei incitante studia vestra, juvante labores vestros, factæ sunt pacis domicilium, tranquillitatis hospitium, & velut alterius pacifici Salomonis, pacificum ac jucundissimum regnum. Utinam (quod secretorum omnium cognitore Deo teste non adulans dico) utinam, inquam, miserabiles atque infelices Thusciæ partes felici vestro imperio cum adjacentibus provinciis adjungerentur, & res perditissimæ pacifico regni vestri corpori unirentur? Vere non tunc sicut nunc res divinæ atque humanæ nullo servato ordine confunderentur, non urbes, non castra, non burgi, non villæ, non stratæ publicæ, non ipsæ Deo consecratæ Ecclesiæ homicidis, sacrilegis, raptoribus exponerentur. Non pœnitentes, non peregrini, non clerici, non monachi, non Abbates, non presbyteri, non ipsi supremi ordinis sacerdotes, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, vel Patriarchæ in manus talium traderentur, spoliarentur, distraherentur: & quid dicam? verberarentur, occiderentur; Hæc plane universa, multaque his similia tam nefanda, tam execranda justitiæ regiæ gladio succisa cessarent &c.* Ulderico Comiti tunc subjectam fuisse Thusciam, Florentinus, & Muratorius tradunt; ibique tot mala tunc accidisse addunt, ex diuturno cruentoque bello, quod inter se hoc tempore Lucenses, & Pisani gerebant. Quos ut secum, si possibile fuisset, reconciliaret, Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, in Italiam transierat; Itineris sui idem meminit in libro de miraculis lib. 2. cap. 23. his verbis; *Septem deinde exactis annis*, a Matthei Card. & Albanensis Episcopi obitu, qui anno 1134. obierat, ideoque anno 1141. *cum ad urbem proficiscerer causa reformandæ pacis inter Pisanos, & Lu-*

Lucenses; Vix tamen profecisse constat, ut ex dicendis infra constabit.

16. Hoc anno, ut Mabillonius, Pagius, aliique adnotant S. Malachias Conneterensis Episcopus anno 1124. ordinatus, ac inde in Harmacanam Sedem translatus, ad Urbem transiit, pallium ab Innocentio Papa recepturus, & ut eorum quæ ibidem pro Ecclesiarum Hiberniæ reformatione gesserat, confirmationem obtineret; Inter cetera, Malachiæ Celsus Armachanus Episcopus, *moriens misit baculum suum tamquam sibi successuro*, ait Bernardus in ejus vita cap. 10., eoque loco adnotat, in Armachana Sede non alios ab antiquo tempore Episcopos fuisse, quam ex Celsi familia; tamquam si gentis illius hæreditas fuisset; Unde *jam octo extiterant ante Celsum viri uxorati, & absque ordinibus*; quo abusu vigente quot inde corruptelæ processerint facile est conjicere, ac auctor vitæ Malachiæ exponit; hinc etiam factum, ut Celso mortuo, per quinquennium Mauricius quidam ex Celsi progenie, eidem resisteret, ne Armachanam possideret sedem, at tandem, *anno ætatis suæ 38. pauper Malachias pulso incubatore intravit Armachæ Pontifex, & Metropolitanus totius Hiberniæ*, ait Bernardus Abbas, ideoque anno Christi 1132., cum ejus nativitas in annum 1094. inciderit; Malachias interea *libertate ecclesiæ restituta, pulsa barbarie, & reformatis ubique moribus Christianæ religionis, videns omnia in pace esse, cœpit cogitare, & de sua pace*, ait Bernardus, ut scilicet, & pallium ab Rom. Pontifice acciperet, rerumque gestarum approbationem obtineret, ut his verbis indicat in ejus vita Bernardus. *Visum tamen sibi, non tuto satis actitari ista absque Sedis Apostolicæ auctoritate. Et Romam proficisci deliberat: maximeque quod Metropoliticæ sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio pallii usus, quod est plenitudo honoris. Et visum est bonum in oculis suis, si ecclesia, pro qua tantum laboraverat, quem hactenus non habuerat, suo acquireret studio, & labore. Erat & altera Metropolitica sedes, quam de novo constituerat Celsus* prædecessor, *primæ tamen sedi, & illius Archiepiscopo subdita tamquam Primati, & huic quoque optabat nihilominus pallium Malachias, confirmarique auctoritate Sedis Apostolicæ prærogativam, quam beneficio Celsi adipisci meruerat.*

JESU CHR. AN. 1139.

S. Malachiæ Harmachani in Hibernia Episc. in urbem adventus.

Mabill. Annal. lib. 77. num. 45. 46. Pagi not. 19. 20. an. 1137.

vita Malach. cap. 12.

Malachias gestorum confirmationem ab Papa Innocentio exquirit.

17. In

Jesu Chr. an. 1139. Malachias legatus Apost. sedis delegatur. *Bernardi op. tom. 2. Malach. vita cap. 16.*

17. In urbem itaque adveniens honorifice ab Innocentio Papa exceptus fuit, ibique per integrum mensem moram fecit, & primum quidem ab Innocentio petiit, ut sibi liceret in Claravalle, ubi aliquamdiu Romam pergens, & rediens cum Bernardo moratus fuerat; vivere, & mori licentia daretur, quod sane tunc illi negatum fuit; mori tamen ibidem promeruit, urbe autem excedente Malachia, vices suas eidem Innocentius per totam Hiberniam commisit, legatum illum constituens, in locum Gilleberti, *Quod jam non posset præ senio, & debilitate corporis Villicare*, ait Bernardus, seu munera legati exercere; *Post hæc petit Malachias confirmari novæ Metropolis constitutionem, & utriusque sedis pallia sibi dari. Et confirmationis quidem privilegium mox accepit: de palliis autem oportet (ait Summus Pontifex) solemnius agi. Convocatis Episcopis, & Clericis, & majoribus terræ, celebrabis generale Concilium & sic conniventia, & communi voto universorum, per honestas personas requiretis pallium, & dabitur vobis. Deinde tollens mitram de capite suo imposuit capiti ejus, sed & stolam cum manipulo dedit illi, quibus uti inter offerendum solebat, & salutatum in osculo pacis dimisit eum Apostolica fultum benedictione, et auctoritate.* Hæc & alia de Malachiæ in urbe gestis Bernardus.

Malachiæ præclara gesta. *cap. 26.*

18. In Hiberniam vero profectus Malachias nova dignitate seu legatione Apostolica ornatus, totus pastorali curæ, reformandisque pravis clericorum, populique moribus incubuit, cui auctoritatem venerationemque miracula conciliabant, de quibus passim in ejus vita Bernardus agit; Inter cetera cum clericum quemdam veritatem sacramenti corporis, & sanguinis Domini negantem, privatim, & publice arguisset, obstinatumque in sua perversitate excommunicasset, is ut infamiam vitaret, inde aufugiens, infirmitate correptus, tandem resipuit; *& Eadem hora accitur Episcopus, agnoscitur veritas, abjicitur error, confessus reatum absolvitur, petit viaticum, datur conciliatio, & uno pene momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur; Ita mirantibus cunctis sub omni celeritate completus est sermo Malachiæ, & scripturæ pariter dicentis, quia vexatio dat intellectum:* Hæc, & alia plura Bernardus de variis curationum generibus, quem etiam mortuum resuscitasse addit, ut ibidem videre est.

cap. 20. ad 30.

19. Jam-

19. Jamdiu sævum inter Angliæ, & Scotiæ Reges bellum vigebat: hoc tandem anno, cum jam Albericus Cardinalis S. R. E. legatus ex Anglia in urbem ad Lateranense concilium transiisset, pax inter eos sancita est, ait Ricardus Augustandensis prior, cujus hæ fuerunt conditiones; *ut Stephanus Rex Angliæ cum omnibus terris suis, quas antea habebat*, perseveraret retinere, *Henrico filio David Regis Scotiæ comitatum Nortumbriæ*, exceptis duobus oppidis concederet; *Rex autem Scotiæ, & Henricus filius ejus cum omnibus suis ex tunc quandiu viverent, Stephano Regi Angliæ per omnia pacifici, & fideles existere deberent*: atque in his Ricardus historiam *de bello Stendardi* absolvit; Hæc tamen pax tranquillitatem in Anglia nequaquam peperit, nam Mathildes Imperatrix, tunc uxor Comitis Andegavensis, cum sibi Regnum deberi contenderet, hoc ipso anno in Angliam venit cum fratre suo Roberto Comite Glocestriæ, filio notho Henrici Angliæ Regis. *In Autumno*, inquit Ordericus Lib. III. pag. 920. *Mathildis Andevagorum Comitissa cum Rodberto de Cadomo fratre suo, & Guidone de Sabloilo, aliisque pluribus in Angliam transfretavit, & Arendello suscepta permissu Regis ad oppida, quæ suæ parti favebant, cum pace perrexit. In hac nimirum permissione magna Regis simplicitas sive socordia notari potest: & ipse a prudentibus, quod suæ salutis, regnique sui securitatis immemor fuerit, lugendus est*: dum hostem sub initio instantem, inde repellere vix cogitavit; Quare *Concussa protinus Anglia*, ait auctor anonimus in vita Stephani Regis Angliæ apud Duchesnium, *& eximio pavore tremefacta modis diversis agitabatur, quia quicumque clanculo, vel aperte illi, seu Mathildi, favebant solito, erant acriores & ad Regem perturbandum accensiores, qui vero Regi obtemperabant, quasi horrendo oppressi tonitruo humiliabantur.*

JESU CHR. AN. 1139. Pax inter Reges Angliæ, & Scotiæ inita.

20. His accessit gravis inter Episcopos, & Proceres contentio, eo quod Episcopi oppida & castella ubique retinebant, quæ belli causas fovebant; eademque ne advenienti hosti, seu Mathildi traderentur, Regi tradenda esse suggerebant, cumque hinc inde pro utraque parte & verbis, & factis disceptaretur, Vintoniæ concilium hoc eodem anno celebratum est, teste Villelmo, in quo statutum est; *Ut quæ-*

Concilium Vintoniense in Anglia. *Labb. to. 10. pag. 1014. Villelm. Malesbur. lib. 2. hist. novellæ.*

Jesu Chr. An. 1139.

quæcumque in quorumlibet Episcoporum manus belli essent ac tumultus receptacula tanquam propria Regis Regi permitterentur: ubi etiam Rex de temeraria, quam in Episcopos commisit, invasione publice accusatus, ratione valida, ut putavit, & efficaci se, & suos excusavit: Sed quia ab omni Clero juste & provisum & discrete fuit dijudicatum, nulla ratione in Christos Domini manus posse immittere, Ecclesiastici rigoris duritiam humilitatis subjectione mollivit, habitumque Regalem exutus, gemensque animo, & contritus spiritu, commissi sententiam humiliter suscepit; sicque re infecta, non autem dissidiis extinctis ab invicem discesserunt; cujus contentiones hinc inde renovatas Malesburiensis refert ut apud Labbeum videre est.

Alphonsus Portugalliæ Comes, Rex dicitur.

Mariana de rebus Hisp. lib.10. c.18. Pagi not.23. 24.

21. Hoc tempore, vel etiam hoc anno, ut adnotat Mariana, & post eum Pagius, aliique Alphonsus Portugalliæ Comes dum arma adversus Mauros collaturus esset, deque quinque eorum Regibus, sive Dinastis insignem victoriam tulisset, ab exercitu Rex salutatus est; quo titulo in posterum usus fuit, cum antea Comes tantum diceretur Hispanico Regno subditus, qui paulo post Ulyssiponem totius Lusitaniæ Metropolim, & Imperii Maurici arcem, accitis undique terrestribus, maritimisque auxiliis occupavit, Regnique sui fines extendit, ut fusiori stilo narrat Mariana, & cum eo Garibajus in compendio historiali lib. 34. cap. 11. Faria in Europa Portugalliensi tom. 2. part. 1. cap. 13. Sandovallius ab Pagio citati; his autem utpote recentioribus de Regio titulo ab Alphonso assumpto circa hæc tempora antiquiorem, & coævum vitæ S.Theutonii Canonici regularis S. Crucis Conimbricensis auctorem, addit Mansius, ex eoque cum Bollando scribit annum 1136. Regio titulo Alphonsum insignitum fuisse, & sane ad eum scribens S. Bernardus Clarævallensis Regio titulo exornavit. *Alphonso illustri Regi Portugallorum Bernardus Claræ vallis vocatus Abbas*; ab Romana tamen sede, Romanisque Pontificibus, aliquot tantum post annos ea dignitate tituloque exornati sunt, ab Eugenio scilicet, vel potius ab Alexandro tertio, ut in litteris suis ad Sanctum Alphonsi filium, & in Regno successorem narrat Innocentius tertius apud Baronium anno 1179., admonens quatuor auri uncias annuatim in censum se suosque hæredes soluturos promisis-

Bolland. die 18. Febr.

epist. 308.

misisse; *Serenitatem tuam*, ait Pontifex, *volumus non lateat nos in regestis bonæ memoriæ Lucii secundi Romani Pontificis reperisse, quod recolendæ memoriæ Alphonsus pater tuus quatuor auri uncias annuatim Romanæ Ecclesiæ constituit censuales, ad quarum solutionem se, & hæredes suos in posterum obligavit. Cæterum cum idem pater tuus usque ad tempora felicis mem. Alexandri Papæ prædecessoris nostri Ducis esset nomine appellatus: ab eodem meruit obtinere, ut tam ipse, quam ejus heredes regio nomine vocarentur &c.* eumque ut debitum Rom. Ecclesiæ censum persolveret, admonet; quem sane a longo jam tempore in desuetudinem abiisse certum est. Jesu Chr. an. 1140.

JESU CHRISTI an. 1140. Innocentii II. Papæ an. 11. Joannis Comneni Imp. 23.

1. Jamdiu nec semel de Abaelardi erroribus, deque ejusdem cum Haloissa amoribus, ignominiaque inde secuta, dum virilibus ea de causa multatus fuit, de ipsius damnatione in Senonensi Concilio anni 1121. scriptisque combustis, diximus. At inquieti animi vir correptus quidem, sed non emendatus, aut correptionis impatiens, eosdem iterum de Trinitate errores data occasione, apud discipulos suos divulgare pergebat: quare cum iterum tamquam hæreticus haberetur, ac præceteris Bernardum Clarevallensem sibi adversari intelligeret, ut sibi cum Bernardo congredi liceret, ab Henrico Senonensi Archiepiscopo petiit, quo cum ambo convenissent, adstantibus ibidem cum Henrico Senonensi suffraganeis Episcopis, aliisque religiosis & litteratis viris cum Ludovico Rege, & Aulæ proceribus, examinata iterum, & condemnata est Abaelardi doctrina: at cum ad Apostolicam sedem appellasset, ab appellatione paulopost destitit, cum synodi sententiam ab Innocentio secundo confirmatam didicisset, ac hortante Petro Cluniacensi in monasterium se recepit, tandemque apud Cabilonem in monasterio S. Marcelli, si non sancte, in pace saltem quievit; Unde inter hæreticos a nonnullis immerito inscriptum fuisse Nat. Alexander ostendit: Et sane idem ipse in Apologetico, seu confessione fidei, quælibet abs se catholicæ fidei contraria hactenus vulgata tunc peni-

Abaelardus iterum damnatus.

Labb. Concil. t.10.p.1018.

Nat. Alex. secul. 11. & 12. dissert. 7.

Jesu Chr. An. 1140.

penitus se abiicere testatur. *Quod si uspiam*, ait, *per multiloquium excessi. In multiloquio non effugies peccatum, nunquam importuna defensio me effecit hæreticum, paratus semper ad satisfactionem de malis meis corrigendis, sive delendis, in quo certe proposito usque in finem perseverabo*; ac catholica dogmata capitibus erroneis a se vulgatis, vel sibi objectis contraria se sequi testatus est.

Abaelardus errores suos retractat.

lib. 5. epist. 3.

2. Quem etiam dum jam saniora saperet, ac Romam causam suam dicturus pergeret S. Bernardo Venerabilis Petrus Cluniacensis reconciliavit, ut in epistola ad Innocentium secundum idem Petrus his verbis narrat. *Magister Petrus* Abaelardus, *sapientiæ vestræ ut credo optime notus, nuper a Francia veniens per Cluniacum transitum fecit. Quæsivimus quo tenderet: gravatum se vexationibus quorumdam, qui sibi (quod valde abhorrebat) nomen hæretici imponebat, majestatem Apostolicam se appellasse, & ad eam confugere velle respondit. Laudavimus propositum, & ut ad notum & commune refugium confugeret, admonuimus, justitiam Apostolicam, quæ nulli unquam etiam extraneo, vel peregrino defuit, sibi non defuturam diximus. Misericordiam ipsam, ubi ratio postularet, sibi occursuram promisimus. Venit interim Dominus Cisterciensis Abbas, & de pace ipsius & domini Claravallensis, cujus causa appellaverat, nobiscum & cum ipso pariter egit. Dedimus & nos operam paci ejus, & ut ad illum cum ipso iret, hortati sumus. Addimus hoc monitis nostris, ut si qua Catholicas aures offendentia aut scripsisset, aut dixisset: hortatu ejus, & sapientum, & a libris abraderet, & factum & ita. Ivit, rediit, cum domino Clarevallensi, mediante Cisterciensi, sopitis prioribus querelis, se pacifice convenisse, reversus retulit. Interim a nobis admonitus, magis autem a Deo (ut credimus) inspiratus, dimissis, scholarum, & studiorum tumultibus, in Cluniaco vestro sibi perpetuam mansionem elegit &c.* ac Pontificem Abaelardi nomine precatur, ut inter Cluniacenses reliquum vitæ suæ tempus, quod biennale fuit, sibi transigere liceret, ibique cum multa humilitate, lectioni, orationi, piisque operibus intentum, ultimum vitæ suæ diem

lib. 6. ep 23.

clausisse, idem Venerabilis Abbas ad Heloisiam Amasiam olim, sive uxorem Abaelardi scribens enarrat.

3. De

Jesu Chr. an. 1140.

Abaelardus in Cluniacensi Monasterio obiit.

3. De extremis quippe Abaelardi gestis hæc addit Petrus. *Tunc vero quam sancte, quam devote, quam catholice primo Fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit: quanto inhiantis cordis affectu Viaticum peregrinationis ac vitæ æternæ pignus, Corpus scilicet Redemptoris Domini acceperit, quam fideliter corpus suum, & animam hic & in æternum ipsi commendaverit, testes sunt religiosi Fratres, & totus illius monasterii, in quo corpus S. Martyris Marcelli jacet, conventus. Hoc magister Petrus fine dies suos consummavit, & qui singulari scientiæ magisterio toti pene orbi terrarum notus & ubique famosus erat in illius discipulatu qui dixit: Discite a me, quia mitis sum & humilis corde, mitis & humilis perseverans, ad ipsum (ut dignum est credere) sic transivit.* Hæc Petrus qui in fine epistolæ epitaphium ejus sepulchro inscriptum, Haloisæ misit, ut ibidem, vel apud Baronium videre est. Haloisa vero Petro rescribens, quod tantam pro Abaelardo sollicitudinem gesserit, ac famam ejus vindicaverit, & demortui Abaelardi cadaver, in monasterio Paracleti sepeliendum transmiserit, gratias agit, ac ut absolutionis sententiam pro Abaelardo latam sibi mitteret, rogavit. *Placeat etiam vobis aliud mihi sigillum mittere, in quo magistri absolutio litteris apertis contineatur, ut sepulchro ejus suspendatur.* Mirum dictu, quantam pro Abaelardo marito suo, seu amasio sollicitudinem dum viveret, gesserit, quæ etiam, *Magnam ei post mortem in assiduis precibus Fidem conservavit*, ait Hugo Antissiodorensis monachus in chronico Roberto monacho inscriptum, quod ad annum usque 1203. perduxit, ut ait Pagius not. 6. an. 1140. ac Abaelardum anno 1142. obiisse addit nota 6. an. 1142. vel potius sequenti 1143. ut ex chronico Ricardi Cluniacensis monachi adnotat Mansius ibidem. Haloissa vero usque ad annum 1164. piis ut fertur operibus intenta supravixit, ac Ermengardes in præfectura Paraclitensis monasterii, eidem successit, ait Pagius not. 7. an. 1142. Abaelardi opera in unum collecta Parisiis anno 1616. edita sunt sub hoc titulo. *Petri Abaelardi, & Heloisæ conjugis ejus opera ab Andrea Quercetano cum præfatione Francisci Amboesi*; de his legendus Odinus in supplemento scriptorum ecclesiasticorum, qui edita & inedita recenset, vel Dupinius, qui summam episto-

Marten. collect. anecdot. tom. 5.

Dupi. sec. 12. to. 1. p. 359. ad 406.

JESU CHR. AN. 1140.

stolarum ejus, ceterorumque operum exponit, quem tamen sophistam magis, quam theologum fuisse patet; Unde non immerito fides ejus, nec semel, suspecta fuit.

Abaelardus hæresis ab Bernardo accusatus.

4. Et sane, ut ad rem propius accedamus, gestaque Senonensis concilii exponamus, cum iterum Abaelardus ea dogmata, quæ jamdiu anno 1121. in concilio Senonensi damnata fuerant aut privatis colloquiis, aut publicis concionibus iterum spargeret, non ea quidem ut levia dissimulanda, vel spernenda Bernardus credidit, quin tamquam pro domo Dei speculator existens rem ad Innocentium Papam detulit, ac *Stulte mihi*, ait, *dudum requiem promittebam, siquidem Leonina rabies quievisset, & pax Ecclesiæ redderetur*; extincto Petri Leonis schismate, sed subdit. *Leonem evasimus, sed incidimus in draconem, qui non minus forsan noceat sedens in insidiis, quam ille rugiens de excelso. Quamquam non jam in insidiis, cujus virulenta folia utinam jam laterent in scriniis & non in triviis legerentur. Volant libri, & qui oderunt lucem, quoniam mali sunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Urbibus & castellis ingeruntur pro luce tenebræ, pro melle, vel potius in melle venenum passim omnibus propinatur, transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Novum cuditur populis & gentibus Evangelium, nova proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod positum est. De virtutibus, & vitiis non moraliter: De sacramentis Ecclesiæ non fideliter: De arcano sanctæ Trinitatis non simpliciter nec sobrie disputatur: sed cuncta nobis in perversum, cuncta præter solitum, & præterquam accepimus, ministrantur. Procedit Golias procero corpore nobili illo suo bellico apparatu circummunitus: antecedente quoque ejus armigero Arnaldo de Brixia. Squama squamæ conjungitur, & nec spiraculum incedit per eas. Siquidem sibilavit apis quæ erat in Francia api de Italia, & venerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus, &c.*

epist. 689.

S. Bernardus provocatur ad colloquium cum Abaelardo.

5. Goliam porro Abaelardum merito dixit Bernardus, eo quod Henricum Senonensem Archiepiscopum sollicitaret, ut ad disputandum in synodo cum Bernardo admitteretur, ut in eadem ad Innocentium epistola narrat Bernardus. *Scripsit mihi, sollicitante quidem ipso, Archiepiscopus Senonensis diem statuens congressionis, quo ille in præsentia ejus, & Coe-*

& Coepiscoporum suorum deberet, si posset, statuere prava dogmata sua, contra quae ego mutire ausus fuissem. Abnui, tum quia puer sum, & ille vir bellator ab adolescentia; tum quia judicarem indignum, rationem Fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac stabili veritate constet esse subnixam. Dicebam sufficere scripta ejus ad accusandum eum, nec mea referre, sed Episcoporum, quorum esset ministerii de dogmatibus judicare: ille nihilominus, immo et amplius levavit vocem, vocavit multos, congregavit complices. Quae de me ad discipulos suos scripserit, dicere non curo. Disseminavit ubique se mihi die statuto apud Senonas responsurum. Exiit sermo ad omnes, & non potuit me latere. Dissimulavi primum: nec enim satis rumore populari movebar. Cedens tamen, licet vix, ita ut flerem, consilio amicorum, qui videntes, quomodo se quasi ad spectaculum omnes pararent, timebant ne de nostra absentia & cornua crescerent adversario, & quia error magis confirmaretur cum non esset qui responderet, aut contradiceret, &c. Haec de consensu dato ad conferendum cum Abaelardo haeretico Bernardus.

S. Bernardi congressus cum Abaelardo. *epist.* 187. *epist.* 337.

6. Scripsit interea Bernardus ad Episcopos, qui ad synodum advocati fuerant eosdem excitans, ut prompto adessent animo Christi causam tractaturi; Cumque in unum Turonis convenissent in octava Pentecostes, ut ex epistola synodali ad Innocentium data constat, ibique inter Bernardum, & Abaelardum disputatio inita fuerit, ob Abaelardi appellationem ad sedem Apostolicam synodus ab judicio se se abstinuit, ut in eadem epistola his verbis testantur. *Itaque praesente glorioso Rege Francorum Ludovico, cum Villelmo religioso Nivernis Comite, Domino quoque Remensi Archiepiscopo, cum quibusdam suis suffraganeis Episcopis, nobis etiam & suffraganeis nostris, exceptis Parisius & Nivernis, Episcopis presentibus, cum multis religiosis Abbatibus & sapientibus, valdeque literatis clericis adfuit Dominus Abbas Claraevallensis, adfuit magister Petrus cum fautoribus suis, Quid multa? Dominus Abbas cum librum Theologiae Magistri Petri proferret in medium, & quae annotaverat absurda, immo haeretica plane capitula de eodem proponeret, ut ea magister Petrus vel a se scripta negaret, vel, si sua fateretur,*

aut

JESU CHR. AN. 1140. *aut probaret, aut corrigeret, visus diffidere Magister Petrus Abaelardus, & subterfugere, respondere noluit: sed quamvis libera sibi daretur audientia, tutumque locum, & æquos habere judices, ad vestram tamen, sanctissime Pater, appellans præsentiam cum suis a conventu discessit. Nos autem licet appellatio ista minus canonica videretur, Sedi tamen Apostolicæ deferentes, in personam hominis nullam voluimus proferre sententiam &c.*

Bernardi epist. ad Innocentium de Abaelardi erroribus. *lib.3. cap.5.*

7. Goffridus etiam Claravallensis monachus in vita S. Bernardi, de gestis ibidem, *at ille*, idest Abaelardus, *nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur, ut tempus redimeret, sedem Apostolicam appellavit*. Bernardus vero in supracitata epistola ad Innocentium Papam, rem gestam enarrans, Abaelardi astutiam, & temeritatem arguit, eo quod ne errores damnare cogeretur, Apostolicam sedem appellavit. *Occurri ad locum*, ait *& diem imparatus quidem & inmunitus, nisi quod illud mente volvebam: Nolite præmeditari qualiter respondeatis: dabitur enim vobis in illa bora quid loquamini, & illud: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo, convenerant autem præter Episcopos & Abbates plurimi viri religiosi, & de civitatibus magistri scholarum & clerici litterati multi, & Rex præsens erat. Itaque in præsentia omnium, adversario stante, ex adverso producta sunt quædam capitula de libris ejus excerpta. Quæ cum cœpissent legi, nolens audire exivit, appellans ab electis judicibus, quod non putamus licere. Porro capitula judicio omnium examinata, inventa sunt Fidei adversantia, contraria veritati: hæc pro me, ne levitate, aut certe temeritate usus in tanto negotio putarer. Verum tu o successor Petri judicabis, an debeat habere refugium Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat &c.* hisque alia de Rom. Sedis auctoritate præmissis, ut exurgentes Abaelardi errores, jamque latius pervagantes, auctoritate sua comprimeret, hortatur; In quam rem de Abaelardi erroribus longiorem alteram scripsit epistolam, quæ ob prolixitatem inter Bernardi opuscula relata est, eaque quam absurda Abaelardus doceret non solum exponit, sed etiam per singula confutat.

epist.189.

to.2. p.649.

Bernardus Innocentium excitat, ut

8. His itaque epistolam, seu tractatum exorditur. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala*

dala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt; dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis, cui enim alteri aliquando dictum est; Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; ergo quod sequitur a Petri successore exigitur, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, id quidem modo necessarium. Tempus est, ut vestrum agnoscatis pater amantissime Principatum, probetis zelum, ministerium honoretis, in eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis, & sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores. Habemus in Francia novum de veteri magistro theologum, qui ab ineunte ætate sua in arte dialectica lusit, & nunc in scripturis sacris insanit, olim damnata & sopita dogmata, tam sua videlicet, quam aliena suscitare conatur, insuper & nova addit &c.

Jesu Chr. an. 1140. Abaelardi errores condemnat.

9. Neque in his adhuc Bernardi zelus continere se potuit; nam Nicolaum quemdam sibi fidissimum in urbem misit, eique epistolam ad Rom. Ecclesiæ Cardinales deferendam dedit, qua ut sibi ab erroribus, & fraudibus Abaelardi caverent, hortatus est; sub nomine etiam Remensis Archiepiscopi, aliorumque Episcoporum litteras ad Innocentium misit; scripsit etiam ad Guidonem de Castello, qui postea fuit Cælestinus Papa, qui olim Abaelardi discipulus fuerat; ne videlicet ob antiquam cum eo amicitiam patrocinium ejusdem susciperet, ob oculos ponens errorum illius enormitatatem, ad Ivonem quoque Cardinalem scribens, quam turpiter fidei dogmata Abaelardus corrumperet exponit, monetque eum gloriari se in urbe Cardinales, & Clericos discipulos habuisse, eosdemque in erroribus suis tuendis, defensores habiturum: Quare inquit, *Liberet Deus per vos, & per ceteros filios suos Ecclesiam suam a labiis iniquis, & a lingua dolosa*; quod iterum in Epistola ad Haimericum Cardinalem & Cancellarium repetit, concluditque; *denique ut pro brevitate epistolæ de multis pauca dicam, doctor egregius cum Ario gradus & scalas in Trinitate disponit; cum Pelagio liberum arbitrium gratiæ præponit, cum Nestorio Christum dividens, hominem assumptum a consortio Trinitatis excludit.*

Aliæ Bernardi epistolæ eodem de argumento. *epist.* 188. 191. 192.

epist. 193.

epist. 338.

Præcipui Abaelardi errores.

Jesu Chr. an. 1140.

dit. Sed in his omnibus gloriatur, quod Cardinalibus, & Clericis curiæ scientiæ fontes aperuerit, quod mœnibus, & finibus Romanorum libros, & sententias suas incluserit, & in tutelam sui erroris assumit eos, a quibus judicari debuit, & damnari &c.

Innocentii Papæ rescriptum contra Abaelardum editum. *epist. 194.*

10. Innocentius autem Papa litteris Episcoporum, qui synodo Senonensi adfuerant, aliorumque, ac Bernardi zelo excitatus, Henrico Senonensi, Rinaldo Remensi Archiepiscopis, eorumque suffraganeis, & carissimo in Christo filio Bernardo Claraevallensi Abbati rescribens, profanas Abaelardi vocum novitates, erroresque rescripto suo damnavit, in quo post præfationem, qua fusiori stilo toleratas ab Ecclesia Christi persecutiones ab ethnicis, & hæreticis exponit, de Abaelardi damnatione hæc addit; *Dolemus autem quoniam, sicut ex vestrarum literarum inspectione, & missis a fraternitate vestra nobis errorum capitulis cognovimus. in novissimis diebus, quando instant periculosa tempora, M. Petri Abailardi perniciosa doctrina, & prædictorum hæreses, & alia perversa dogmata Catholicæ Fidei obviantia pullulare cœperunt. Verum in hoc maxime consolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, quod in partibus vestris pro patribus tales filios suscitavit, & in tempore Apostolatus nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit esse pastores, qui novi hæretici studeant calumniis obviare, & immaculatam sponsam uni viro virginem Christo exhibere. Nos itaque, qui in cathedra sancti Petri, cui a Domino dictum est; Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licet indigni residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Episcoporum Cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula, & universa ipsius Petri dogmata sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus, eique tamquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores, & defensores a Fidelium consortio sequestrandos, & excommunicationis vinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani duodecimo Kalend. August.* Hæc Innocentius Papa, gesta ab Gallicanis Episcopis auctoritate sua confirmans; Quibus vulgatis tota causa finita fuit.

Quæstio de festo conceptionis B. Ma-

11. Ea autem sopita quæstione, altera hoc eodem tempore in Galliis exorta est; de festo scilicet conceptionis Beatæ

tæ Mariæ Virginis. At quo auctore, aut ubi eadem excitata fuerit ignoratur, ex Anglia tamen in Gallias propagatam fuisse vero proximum est; auctoremque Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum plerique faciunt ob librum de virginali conceptu eidem adscriptum, aut ejusdem argumenti sermonem alterum, sed, uti adnotat Gerberonius in nova Anselmi editione, cum hæ scriptiunculæ falsò Anselmo inscriptæ sint, hinc vulgata traditio corruit; Incerta pariter, & obscura omnino est visio quædam Elfino Ramesiensi Abbati facta, dum in mari periclitaretur, qua dictum eidem fuisse fertur si periculum evadere vellet, conceptionis festum sexto idus Decembris solemniter celebrari curaret; Ex his tamen, aliisque similibus rumoribus in vulgus sparsis, alicubi, & in Anglia præcipue circa hæc tempora eadem solemnitas exorta est, ejusque auctorem Anselmum fuisse Londinensis synodus anno 1238. celebrata tradit, inde vero in Gallias delata Lugdunensis Ecclesia primum recepit. Quod uti S. Bernardus cognovit, rei novitate permotus, Lugdunenses Canonicos, quod inconsulta potissimum Apostolica & Romana sede idem festum celebrassent, novamque celebritatem induxissent, redarguit; *Quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio &c.* & post multa in eam rem addita, quæstionem universam his verbis perstringit. *Nam si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis Auctoritas; & non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici corde & amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes, atque in famosa nobilique ecclesia, & cujus specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis, Romanæ presertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera, que ejusmodi sunt, universa reservo, ipsius si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* Hæc S. Bernardus, in seipso ostendens, qui sint legitimi Catholici hominis characteres, nimirum ad incudem Sedis Petri quæque probanda referre, antequam recipiantur: eamdem in festorum celebritate novita-

M 2 tem

JESU CHR. AN. 1140. riæ Virginis agitatur.

Bernardus Lugd. Canonicos ob festum conceptionis redarguit. *epist.* 174.

JESU CHR. AN. 1140.

Biblioth. PP. tom. 21.

tem cum Bernardo Potho Presbyter, & monachus Prumiensis Bernardo æqualis improbavit, etenim in tractatu de domo Dei lib. 3. prope finem; *Sciendum*, ait, *quod Romani Pontifices semper magis antiqua exequi, & observare, quam nova instituere, nisi aliqua rationabilis causa perurgeret, consueverunt*, deinde post alia, *Ecce vita monastica quæ erat columna, & firmamentum religionis in ecclesiasticis officiis repentinis visa est novitatibus adquiescere*, præcipue in novarum festivitatum celebratione; Unde subdit. *Quæ igitur ratio hæc festa celebranda nobis induxit*; *Festum videlicet sanctæ Trinitatis, festum transfigurationis Domini*, & quod magis eidem absurdum videbatur, *Festum quoque conceptionis Sanctæ Mariæ*, quæ sane tunc temporis novissima in Galliis erat; Quot hinc inde pro utraque parte scripta prodierint, referre non juvat; hoc unum adnotare sat erit Basileensis Concilii auctoritate, ac Sixti quarti constitutione, idem conceptionis festum, quod ubique fere jam observabatur, confirmatum fuisse. Plura enim cupienti dabunt De Colonia in historia litteraria Lugdunensis urbis, & Boulæus in hist. Academiæ Parisiensis, Bailletus, & Lambertinus, postea Benedictus XIV. de festis.

Innocentius Papa Rogerium admonet, ne Rom. Ducatus fines attingat.

Murat. to. 5. pag. 131.
Falco Benevent. Chron.

12. Cum Rogerius Siciliæ Rex, & Apuliæ, Calabriæque dux filium suum Amphusum, seu Alphonsum Capuæ Principem cum exercitu in Lucaniam, seu Abrusium misisset, ut totam provinciam sibi subjugaret, iisque cum fratre suo qui in auxilium venerat, Piscariam transgressus cuncta ibidem invasisset, Romanique Ducatus finibus adesset, *Apostolicus Innocentius turbatus, consilio Romanorum ad eos per Cardinales direxit, ne aliena invaderent, & Romanos fines non usurparent*; *qui Apostolico rescribentes responderunt, non aliena petere, sed solummodo terras ad Principatum pertinentes velle reintegrare*. Cumque hoc tempore Rogerius Rex Julio mense medio ex Sicilia Salernum appulisset, ut pacem cum Innocentio foveret; *Cum domino Apostolico Innocentio alloqui, & simul esse excogitabat*, ait Falco; Eaque de causa, cum parva militum manu, seu ducentis tantum militibus Salerno egressus; *Prope civitatem venit Beneventanam*; *& cum Joanne Subdiacono Romano, sedis tunc Beneventanæ rectore, & aliis Beneventanis de pace & civitatis utilitatibus, & Domini Apostolici fidelitate tenenda, satis abun-*

de

de locutus est, & inde procedens Capuam ingressus est, ibique diebus non multis commorans de quibusdam suis negotiis tractavit; deinde apud Sanctum Germanum festinavit. Illico habito consilio Legatus Duci, & Principi filiis suis mandavit, ut ad eum reverterentur; audierat enim Rex ipse Apostolicum Innocentium de provinciæ illius invasione valde turbatum esse, & contristatum. Dux autem, & Princeps nunciis acceptis ad patrem reversi sunt; Sicque tranquillitas iis locis restituta est, & concordia inter Innocentium, & Rogerium firmata.

JESU CHR. AN. 1140.

13. Paulo post tamen, ut subdit auctor, alia dissidii causa intercessit, quæ Romanorum, & totius Italiæ populos afflixit; Edictum scilicet, quo Rogerius jussit, *Ut nemo in toto ejus Regno Romesinas acciperet, sive Romanas monetas, vel in mercatibus distribueret*; eisque suas substituit, Ducatum scilicet octo Romesinas valens, & follares, unam Romesinam appretiatos; *De quibus horribilibus monetis totus Italicus populus paupertati, & miseriæ positus est, & oppressus, & de Regis illius actibus mortiferis mortem ejus, & depositionem Regni optabat*; ait Falco, subdens Joannem Subdiaconum, & Beneventanorum Rectorem Regi jubenti, ut eamdem suam monetam susciperet, respondisse sine Pontificis consensu se nequaquam id effecturum; Rem deinde Pontifici nunciasse, qui Beneventanis in hæc verba rescripsit. *Facta Regis, & monetarum suarum inventiones, & a vobis accepimus, & ab aliis, nobis in veritate referentibus, unde mandamus, ut non terreamini, neque jam mentes vestras moveatis, quoniam transitura sunt, & cito possunt emendari. Nos autem circa utilitates vestras quotidie invigilamus. Quibus litteris acceptis & lectis*, teste Falcone, *Beneventani gratiarum egerunt actiones, & aliquantulum roborati aspiravere. Et his actis præfatus Pontifex Innocentius ad Regem transmisit Rogerium, significando qualiter totus populus Italiæ, & extra, de introductione monetarum istarum doluisset, quomodo ad famis afflictionem devenisset.* Rex autem Neapolim adveniens, ibi magna cum pompa ab Clero, & populo exceptus fuit, ac inde Salernum reversus, die intrante mensis Octobris mare ingressus Panormum rediit, relictis filiis Apuliæ, Duce nempe in Apulia, altero vero Ca-

Rogerius Rom. monetas in suo Regno spargi prohibet.

JESU CHR. AN. 1140.

Capuæ, atque his narratis chronicon suum Falco absolvit; quo ad Neapolitani Regni, & præcipue Beneventani Ducatus Historiam illustrandam sæpe usi sumus.

Villelmus, & Henricus Episcopi Eboracenses simul electi.

14. Hoc anno Turstinus Eboracensis Archiepiscopus laboribus, senioque fractus, Archiepiscopatu dimisso, monastico assumpto habitu, in osculo Domini nonis Februarii obdormivit, uti Thomas Stulps in actis Pontificum Eboracensium, aliique Angliæ historici produnt. *Eo defuncto, statim fit schisma in Eboracensi Ecclesia de electione Pontificis: Quidam enim elegerunt Villelmum Eboracensis ecclesiæ thesaurarium, quem Henricus Vintoniensis Ecclesiæ Episcopus Rom. sedis legatus consecravit. Ceteri vero canonicorum elegerunt sibi Archiepiscopum Henricum Murdach, prævaluit, & Archiepiscopatum tenuit quamdiu vixit*, ait Rogerius Hovedenus in Stephano Rege ad hunc annum, Gulielmus etiam Neubrigensis lib. 1. cap. 17., de schismate ibidem exorto narrat, quod cum Villelmus *vir secundum carnem nobilis*, utpote natus ex Emma Stephani Angliæ Regis sorore, *& morum ingenita lenitate amabilis ad sedem Apostolicam responsales idoneos pro potendo pallio direxisset, emergentibus adversariis, & multa contra eum proponentibus negatum est*, cum ei simoniace, & oblata pecunia eam sedem obtinuisse obiiceretur; Inter ceteros Villelmi adversarios, Bernardus & auctoritate, & potentia primus fuit, qui eum tamquam intrusum, eaque sede indignum habuit, ut graves ejusdem epistolæ in eam rem datæ testantur, tum ad Cœlestinum Innocentii successorem, cum ad Cardinales, totamque Rom. curiam. Econtra Henrico de Murdach utpote viro præclaris doctrinæ, & pietatis dotibus instructo, & Fontanensis monasterii Ordinis Cisterciensis Abbati totis viribus favebat; Hinc factum, ut Baronius Bernardi auctoritate motus Gulielmum bis in Eboracensem sedem intrusum dixerit, re tamen attentius considerata, in additis ad annales suos, eadem retractavit, graves quippe coevosque auctores, totamque Anglicanæ ecclesiæ traditionem favere animadvertens famæ Villelmi, sanctorum etiam fastis inscripti hæc litteris prodidit. *Quibus omnibus traditio ipsa ecclesiæ Anglicanæ consentiens, nos pariter secum trahit in eamdem sententiam, ita tamen ut nihil derogatum velimus sanctitati Bernardi, qui favit causæ, quam putavit esse justissimam, fa-*

epist. 235. & 236.

falsa deceptus insinuatione eorum, quorum existimatio apud eum haud dubiæ fidei esset. Interdum enim contingit decipi sanctos, falsa relatione potentium. Hæc Baronius. JESU CHR. AN. 1140.

15. Totam causam scribit Serlo monachus Cisterciensis æqualis in historia Fontanensis Cœnobii, quam his verbis narrat Post Faustini obitum, *Convenientibus clericis ad electionem faciendam, pars major numero Villelmum Thesaurarium in Archiepiscopum elegit, pars vero sanior appellatione interposita reclamavit &c. Ipse tamen Villelmus ad tempus obtinuit amicitia functus Potentum, fretus Regia potestate, favente Episcopo Vintoniensi Henrico, qui ei manus imposuit, & in Episcopum consecravit, Pallium tamen, procurante adversa parte, impetrare non potuit.* Dein pag. 747. inquit Villelmum Cathedræ præsedisse usque ad Pontificatum Eugenii tertii.

Villelmus Eborac. sedem obtinet. *Monast. Anglic. tom. I. pag. 733.*

16. Ob civile autem bellum ibidem inter Mathildem Andegavensis Comitis uxorem, & Stephanum Regem exortum, uti anno elapso diximus, tota hoc tempore exardebat Anglia. *Totus annus ille*, ait Malesburiensis, *asperitate guerræ inhorruit. Milites castellorum abducebant ab agris, & pecora & pecudes, nec ecclesiis, nec cœmeteriis parcentes*; cumque plura de devastatione adnotaverit, *Eodem anno*, seu labente, subdit, *in pentecoste resedit Rex Lundoniæ in turri, Episcopo tantummodo Sagiensi præsente: cæteri vero vel fastidierunt, vel timuerunt venire. Aliquanto post mediante legato* (sc. Henrico Episcopo Vintoniensi) *colloquium indictum est inter Imperatricem* (Mathildem filiam Henrici Angliæ Regis) *& Regem* (sc. Stephanum) *si forte Deo inspirante pax reformari posset. Conventum juxta Bathoniam misso ex parte Imperatricis Roberto fratre, & cæteris suis: ex parte Regis legato, & Archiepiscopo* (nempe Theobaldo Cantuariensi) *simul & Regina Mathilde: sed inaniter, inquam, triverunt & verba, & tempora, infectaque pace discessum*; quod Stephani Regis culpa accidit, nam ut subdit, Mathildis ad concordiam ineundam paratior erat, cumque pro pace firmanda hinc inde tractaretur. *Postremo Septembri legatus, qui nosset officii sui potissimum interesse, ut pax conveniret, pro ea restituenda laborem itineris transmarini aggressus, in Galliam navigare ma-*

Anglia civili bello vexatur. *Malesburi. hist. Novel. lib. I.*

De ineunda pace inter Mathildem, & Stephanum Regem frustra agitur.

JESU CHR. AN. 1140. *maturavit. Ibi a Rege Franciæ* (Ludovico VII.), *& Comite Theobaldo* (fratre Stephani Angliæ Regis), *multisque religiosi ordinis personis, magno & sollicito tractatu de pace Angliæ habito, reversus est in fine pene Novembris, salubria patriæ mandata referens, si esset, qui verbis facta apponeret. Et plane Imperatrix, & Comes* (nempe Henricus filius ejus, qui postmodum Rex fuit) *confestim assensere; Rex vero de die in diem producere, postremo in summa frustrari. Tum demum Legatus se intra se continuit, rerum exitum, ut ceteri, speculaturus &c.* Cum Mathilde quam Anglorum Reginam appellat Sanctus Bernardus, colloquium olim habuerat, ab eaque summa cum reverentia exceptum fuisse Gofridus in vita Bernardi lib. 4. cap. 1. narrat, ad eam hoc tempore scribens, ut quæ sibi in colloquio Bononiæ habito promiserat, exequeretur, rogat, & quod filium peperisset gratulatur: *Bene servate mihi filium*, ait, *quem nunc peperistis, quia & ego quoque si Regi non displicet in eo mihi vindico portionem. Vale.*

Bernardi epist. 315.

Synodus CPolitana adversus scripta Constantini Crysomali.

17. Concilium quoddam Constantinopoli hoc anno celebratum ab Leone Patriarcha adversus hæreses, & scripta cujusdam Constantini Crysomali, vulgavit Leo Allatius. *Mense Majo*, ut ibidem legitur, *Indict. tertia præsidente sanctissimo nostro Domino & Oecumenico Patriarcha Domino Leone in dextris cathecumeniis S. Alexii, & sanctissimis Præsulibus Ancyrano, Ciziceno, Amasiensi, Melitenensi*; aliisque quorum ibidem nomina leguntur; *nec non adstantibus & illustribus Principibus. Quorumdam monachorum adventus, qui in sacro Domini Nicolai monasterio exercentur, ed ocli, Commentaria quædam Constantini Crysomali, qui olim obiit, ibidem reperiri, quæ cum ibi percurrissent, non parum scandalizatos fuisse propter multas in illis contentas nugas atque ineptias, ut tradebant, & jam multis communicari, tamquam omnium utilissima, aptissimamque ad vitam exquisitiorem alias manuducere: rem maxime considerationis esse rati, ab illis qui ea possederant Commentaria, libris recuperatis, namque disquisitione facta, &c. Quæ in illis continebantur, & privatim considerantes, & coacta Synodo examinantes, non tantum nugarum, ineptiarum, & stultiloquiorum, sed & conpertarum hæreseon plena reperimus, & dictis Enthusiastarum, & Bogomilorum absurdiora.*

Allatius de consensu ecclesiæ Occid. & Orient. lib. 2. c. 11. Conc. noviss. editio to. 21. pag. 552.

Crysomali scripta in synodo delata.

ra. Ut enim alia prætereamus, quæ præter Ecclesiasticos mores & traditiones ex ventre eructavit, & ex infelici sua mente confinxit &c. dicens Satanæ eos cultum præbere, qui Principi honorem & venerationem exhibent, Christianum, etiam in infantia baptizatum, non aliter ac Paganum esse ajebat.

Jesu Chr. an. 1141. Ejusdem variæ hæreses.

18. His addebat, quod quicunque intellectuali sensu intellectualiter non persentit Deum in eo operantem per Jesum Christum, in cassum laborat: & Christiano nondum cathechizato, etiam si pœniteat & confiteatur peccata, quæ post sacrum Baptisma commisit, nihil ei hæc prodesse. Præterea Christianos legibus non subiici effutiebat, etsi, quæ legis sunt facienda esse diceret, deinde, *Et ut pleraque summatim dicamus, in diversis ille capitibus affirmat nullum commodum Christianos percipere, licet omnem virtutem expleverint, & ab improbitate omni declinarint, etiam si illa per Deum operentur, nisi intellectualem sensum divini Spiritus accipiant, naturaliter & sine dolore in illis bonum efficientis, & immobiles omnino facientes ad malum &c.* eosdemque Enthusiastarum, & Bogomilorum, atque Messalianorum damnatas instaurasse hæreses, ac revocasse adnotat. Quare libros illos ignibus tradi præcepit synodus, atque in synodum vocati, qui eadem hæreticorum commentaria hactenus retinuerant, cum testati essent, se synodi doctrinam amplecti paratos esse, veniamque petiissent, dimissi sunt, sicque finem synodus habuit.

Alia ejus dogmata.

JESU CHRISTI an. 1141. Innocentii Papæ II. an. 12. Joannis Comneni Imp. an. 24.

1. Dum perfecta inter Innocentium Papam & Rogerium vigeret pax, cum finitimis, sibique subditis bellum Pontifex hoc tempore gessit, cum Tiburtinis scilicet, qui cum jamdiu, & occasione schismatis ab Petro Leone, seu Anacleto excitati debitam obedientiam Innocentio denegassent, obstinatique in sua rebellione perseverarent, eosdem Innocentius Papa *Jam per multum temporis excommunicaverat, aliisque modis pressserat*, ut ait Otto Frisingensis, ac tandem *Coangustatos*, ut subdit, *Ad deditionem acceptis obsidibus, ac jurejurando interposito coegit*. At Romani in Tiburtinos irati, eo quod

Innocentius Papa Tiburtinos addeditionem coegit.

lib. 7. c. 27.

 cum

Jesu Chr. An. 1141.

Romani Rempubl. instaurare conantur.

cum Tiburim obsiderent cum ignominia inde, & clade accepta, fugati essent, in ipsum Innocentium Papam, exacerbati, antiquam Rempublicam instaurare conati sunt, quos etiam prudentia sua, ac vi adhibita Pontifex compressit. *Populus Romanus*, subdit Otto, *volens ut eos*, ideft Tiburtinos, *per obsides, & sacramentum ad durissima praecepta, id est, ut muris ruptis, omnes provinciae cederent, cogeret: dum nobilissimus ac liberalissimus Sacerdos tam irrationabili & inhumanae petitioni annuere nollet, seditionem iidem Romani movent, ac in ipso impetu in Capitolio convenientes, antiquam Urbis dignitatem renovare cupientes, ordinem Senatorum, qui jam per multa curricula temporum deperierat, constituunt, & rursum cum Tiburtinis bellum innovant. Causa vero tantae immanitatis fuit, quod in priori anno, dum cum Pontifice suo in obsidione praefatae civitatis morarentur, civibus egressis, & cum ipsis manum conferentibus, multis amissis spoliis, turpiter in fugam conversi sunt. Idcirco nulla, quae nisi quam diximus, conventione usque hodie se posse placari asserunt. Verum sapientissimus Antistes praevidens, ne forte Ecclesia Dei, quae per multos annos saecularem Urbis honorem a Constantino sibi traditum potentissime habuit, hac occasione quandoque perderet: multis modis tam minis quam muneribus, ne ad effectum res procedat, impedire conatur. Sed invalescente populo, dum proficere non posset lecto cubans, juxta quosdam, de futuris visione sibi monstrata, in pace quievit.* Haec ipse de rebus gestis usque ad obitum Innocentii, qui contigit post annum sequentem. Rebellionis flammam dum Romae esset Arnaldus de Brixia excitaverat; qui inter ceteros errores ubique vulgatos, cujuscumque dignitatis Praelatos clericos sive monachos, temporalia possidere non posse, nec debere effutiebat, quae sane laicis, ecclesiae bonis inhiantibus, patulis excipiebantur auribus, ac sequentibus temporibus adversus clerum instaurata fuisse, & ab Romanis iterum tentata videbimus; dicentibus *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus a nobis jugum ipsorum*; At ut subdit Vates. *Qui habitat in Caelis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*

Psalm. 2.

Tiburtinorū juramentum Innocentio praestitum.

2. Tiburtini vero hoc, vel sequenti anno ad Innocentii obedientiam reversi, fidelitatem ei & reverentiam jurarunt his verbis. *Civitatem Tiburtinam, Donnicaturas, & Regalia,*

lia, quæ Romani Pontifices ibidem habuerunt, & munitionem pontis Lucani, Vicovarum, Sanctum Polum, Castellum Boeraui, Cantalupum, Bardellum, Cicilianum, & alia regalia Petri, quæ habet, adjutor erit ad retinendum &c. Comitatum quoque & Bectariam ejusdem civitatis Tiburtinæ in potestatem Domini Papæ Innocentii, & successorum ejus libera dimmittam &c. Hanc juramenti formulam exhibet Muratorius loco supracitato.

JESU CHR. AN. 1141. *Murat. antiq. Ital. Dissert. 72. tom. 6.*

Dissidium inter Innocentium Papam, & Ludovicum Regem exoritur.

3. Cum hæc inter Pontificem, & Tiburtinos dissidia adhuc vigerent, quæ anno tantum sequenti sopita sunt, gravis altera inter eumdem Innocentium, & Ludovicum septimum Francorum Regem controversia exorta est; *Unde ecclesia Gallicana turbatur*, ait Sigebertus, seu Sigeberti continuator; *Mortuo enim Alberico Bituricensi Archiepiscopo*, missus est Petrus a Papa Innocentio, eidem ecclesiæ pastor consecratus, sed a Rege Ludovico repudiatus, *eo quod sine ejus assensu fuerat consecratus, in civitatem minime recipitur, cujus partes quia propter reverentiam seu voluntatem Papæ Comes Theobaldus fovere credebatur, simultas, quæ sopita videbatur inter Regem & ipsum Comitem, cœpit repullulare.* Quousque hæc dissensio per triennium, & ultra processerit, sequenti anno dicemus; Nunc de ejusdem ortu præstat audire Chronographum Mauriniacensem lib. 3. Cum per annum & ultra Bituricensis ecclesia viduata remansisset, *Quidam prædictæ Ecclesiæ clerici, assentiente Rege Cadurcum quemdam sibi volebant præficere. Altera pars illorum Petro, Haimerici Romani Cancellarii consobrino prærogativam illius honoris affectabant. Papa vero Cancellarium diligens, contribulem quoque suum pro ipso dirigebat. Unde & ipso consecrato in Archiepiscopum, suum integre auxilium impendebat Et licet contra Regis voluntatem ipse præficiendus esset, ipsum misit Bituriges, Cadurcum vero omni Ecclesiastico bonore privavit. Videns Rex voluntatem suam ad efficaciam non potuisse pertingere, non modico iræ fremitu concussus est, & quasi in auctoritatem Apostolici volens indignationem conceptam retorquere, Petro totius terræ suæ introitum interdixit. Innocentius vero gladium Ecclesiasticum in ultionem exerens, per omne Regis dominium divini celebrationem officii interdixit. Hujus autem discordiæ malum omnibus diebus vitæ suæ integre decolora-*

JESU CHR. AN. 1141.

lorari (Ludovicus) *non potuit*. Hinc factum est, ut cum bellum Theobaldo ea de causa Rex intulisset; *Rex Vitriacum oppidum Comitis Theobaldi cepit, ubi admoto igne incensa est ecclesia, & in ea mille tercenti homines diversi sexus & ætatis periere*, ait Gulielmus Nangius in chronico ad annum 1142. Quamobrem, eo quod Ludovicus Petrum Bituricensem Episcopum ab Innocentio missum recipere recusasset, *Christianitate privatus est*, ait Herimannus Tornacensis monachus; Seu ut explicat Radulphus de Diaceto in chronico abbreviato. *Per triennium persona Regis interdicto subjacuit*; *In quamcumque civitatem, Castellum, vel vicum intrabat, celebratio divinorum officiorum suspendebatur*.

Hugonis a S. Victore obitus, ejus patria, studia, & scripta.

Meibonius in append. to. 3. rerum German.

4. Antequam Gallia excedamus, Hugonem a Sancto Victore hoc anno 1141., ut ait Mansius, vel sequenti ut scribit Pagius, obiisse adnotamus; Hic porro natione Flandrus ac Ipri natus, ut ait Mabillonius Analectorum tom. 1. ubi vulgarem opinionem, ab Meibonio præsertim defensam confutat, qua eum Saxonem fuisse contendit. Is porro ex monasterio Victoris, ubi diu moratus est, Hugo a S. Victore dictus est; inter regulares Canonicos sub regula S. Augustini ibidem religiosam vitam duxit, vir ob variam eruditionem Didascalicus dictus, in Beati vero Augustini scriptis præcipue assiduus, adeo ut alter Augustinus, aut lingua Augustini noncupatus fuerit; in sacris autem, humanisque litteris teste Trithemio egregie edoctus, cujus breve epitaphium in Ecclesia S. Victoris Parisiis hæc continet.

Conditur hoc tumulo doctor celeberrimus Hugo
Quem brevis eximium continet urna virum
Dogmate præcipuus, nullique secundus amore
Clarus ingenio, moribus ore, stylo.

Operum catalogum exhibent qui de scriptoribus Ecclesiasticis commenti sunt Labbeus, Bellarminus, Caveus, Oudinius, Dupinius. Florente ætate, annum nempe 44. agentem, e vivis obiisse scribit Caveus; inter ejusdem opuscula, veteris novique testamenti explicationes, & commentaria recensentur, ac præcipua sunt; deinde de variis argumentis sermones, & ascetici tractatus plurimi, quorum nonnullos fal-

Caveus de script. eccles. to. 2. p. 207. Odin. to. 2. p. 1132.

falso eidem adscriptos fuisse constat; omnia autem ejus opuscula in unum collecta sæpe vulgata sunt seculo decimosexto, & sequenti Venetiis, Rothomagi, de quibus consulendus Oudinius aliique de ecclesiasticis scriptoribus agentes.

Bernardi liber de baptismo ad Hugonem.

5. Interrogatus aliquando Victor a quodam, cujus nomen reticet, de nonnullis quæstionibus, etsi in sacris litteris eruditus, & in theologicis quæstionibus peritus, illis respondere potuisset, pro insita tamen modestia, S. Bernardo solvendas misit, eique respondens Bernardus satisfecit epistola seu tractatu cui titulum fecit de baptismo eo quod duæ primæ quæstiones propositæ ad baptismum pertinerent: quando scilicet baptismatis necessitas, vel præceptum obligaret, & neminem sine baptismate in re, vel voto salvari posse; tertia quæstio an antiqui Patres eamdem de Christo cognitionem habuerint, qualem post Christum natum christiani habent; quarta an peccatum aliquod ex ignorantia detur; quinta vero quo sensu Bernardus in homiliis super verba *Missus est Angelus &c.* dixerit Angelos Dei consilium de Incarnatione latuisse: quinque autem quæstiones propositas, tot capitibus Bernardus breviter quidem, sed quantum res postulabat, solvit, ut ibidem videre est; Inter Hugonis a S. Victore opera, epistolam refert Baronius ad Joannem quemdam Hispalensem Archiepiscopum, qui cum soeviente Maurorum persequutione Christi fidem lingua ejurasset, eamdem fidem mente, & animo retinuisse ajebat, idque ad æternam salutem promerendam sufficere prætexebat, quam excusationem in peccatis, merito ibidem Hugo, aut alius quislibet ejusdem epistolæ auctor fusiori stilo confutat; Nam idem Redemptor Christus dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor & ego eum coram patre meo, & qui me erubuerit, erubescam & eum &c.* Hinc merito Paulus dixit, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, quare ad id demonstrandum longiuscula epistola opus non est, cum præsertim an Hugoni a S. Victore, vel alteri Hugoni tribuenda sit, nullatenus pateat ac ut dignis pœnitentiæ operibus tantum scelus diluere conaretur, Apostatam Archiepiscopum hortatur auctor.

Bernardi op. to. 2. p. 631.

Bar. an. 1136. num 16. 17. 18. 19. 20.

ad Rom. 10.

6. Hu-

Jesu Chr. an. 1141.

De Ricardo a S. Victore ejusque operibus.

Bar. an. 1140. n. 13.

6. Hugoni a S. Victore discipulus jungendus est, Ricardus scilicet etiam a S. Victore dictus, ejusdem monasterii incola, Canonicus regularis S. Augustini; Epitaphium eidem inscriptum, refert Baronius, cujus duo primi versus hæc habent:

Moribus, ingenio, doctrina clarus, & arte
Pulvereo hic tegeris, docte Ricarde situ.

Inter hunc Richardum, & S. Bernardum magnam intercessisse familiaritatem hinc patet, quod in gravioribus quæstionibus, Richardum S. Bernardus consulere non dedignabatur; Richardus porro tractatus de tribus appropriatis personis in Trinitate, alium *de Incarnato* Verbo, *& Declarationes nonnullarum difficultatum scripturæ Bernardo inscripsit*; cujus mentionem facit Trithemius in chronico Hirsaugiensi ad annum 1157. At quo anno obierit ignoratur, ex catalogo tamen Abbatum S. Victoris Parisiensis, usque ad annum 1173. supervixisse eum Samarthani admonent, quibus Pagius, & Caveus subscribunt; Præter opuscula S. Bernardo Claræ vallensi inscripta, quorum supra meminimus, quamplurima alia Richardus scripsit, eaque variæ eruditionis, quorum cathalogum exhibent Dupinius, Caveus, Oudinus, aliique, & simul collecta prodierunt Venetiis, deinde Coloniæ, & iterum Rothomagi tomis duobus in Fol. A. 1650.

Bernardus Pisanus Farfam mittitur.

Bernardi vita li. 3. c. 7.

7. Hoc tempore Adenulphus Farfensis Abbas coloniam monachorum ab Bernardo Clarevallensi Abbate petierat; *Monasterium eis ædificaturus*, ait Gofridus, *Sed Romanus impedivit Antistes*, ut subdit, seu Innocentius Papa; *& sibi tollens eos in loco altero collocavit*, nempe ad tres fontes, seu ad aquas Salvias. Missus fuerat in Italiam cum sociis aliquot Bernardus alter, ex vicedomino Pisano factus Claravallensis monachus, ut monasterium Salvatoris prope Farfam eidem ab Adenulpho præparatum incoleret, obstitit tamen Romanus Pontifex Innocentius, quod ægerrime ferens Bernardus Pisanus, has ad Innocentium litteras dedit. *Coarctor e duobus; quoniam*

Bern. ep. 343.

& pudor silentium imperat, & necessitas jubet loqui, loquar ergo ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis: loquar autem in amaritudine animæ meæ. Conquerimur, Domine,
de

de te, sed apud te, & querela quidem in umbra est: sed causa querelæ jam in sole posuit tabernaculum suum. Factum ut imperasti: venimus ad monasterium Salvatoris, sicut mandaveras in litteris tuis servo tuo, Patri nostro, idest Bernardo. *Ubi est ergo nunc expectatio mea, & tua promissio..... Litteris tuis, Domine, extracti sumus de sinu Patris nostri, & ad unius jussionis vocem, relictis fratribus, & patre, in odore præceptorum tuorum cucurrimus*. Ad hæc labores itineris sui exagerat Bernardus, aitque sine injuria Adenulfum Abbatem in desiderio suo non esse fraudandum, *qui nos*, inquit, *prius cœpit amare quam nosse, qui nos patris affectu in filios adoptavit, adeo ut, si fieri potuisset, oculos suos eruisset, & dedisset nobis*.

Jasu Chr. an. 1141.

8. Cum autem fortis suæ incertus adhuc esset idem Bernardus, cum sociis ejus monasterio S. Anastasii ad tres fontes, seu ad aquas Salvias Innocentius Papa addixit, qua de re ad Bernardum Claraevallensem scribens Pisanus, se quasi membrum a corpore avulsum fuisse lamentatur, *Non ego reprehendo*, inquit, *Domine vel opus, vel intentionem vestri operis, quod in digito Dei esse creditur, sed plango paululum dolorem meum. Ecce enim postquam projectus sum a facie oculorum tuorum defecit in dolore vita mea, & dies mei in gemitibus &c.* hæc & alia ibidem ad Bernardum Claraevallensem Bernardus Pisanus, qui annis vix quatuor in præfectura monasterii ad Aquas Salvias exactis, ad majorem præfecturam vocatus est; seu ad summum Pontificatum, Eugenius tertius dictus, de quibus infra.

Bernardus Pisanus fit Abbas ad Aquas Salvias, seu tres fontes.

epist. 344.

9. Ad monachos autem sub Bernardi præfectura ad Aquas Salvias, seu, *de Sancto Anastasio*, litteras Claraevallensis dedit; quibus vehementer gratulatur, quod ordinis disciplinam religiose servarent: *Interim certe magna mibi est consolatio*, inquit, *& lætitia multa in his, quæ de vobis audivi per dilectissimum fratrem, & coabbatem nostrum venerabilem Bernardum vestrum; Multam enim habeo gratiam, quod tam bene sibi complacet in vobis pro disciplina vestra, & ordinis zelo, pro obedientia & voluntaria paupertate, pro quibus sine dubio merces vestra multa est in Cœlis &c.*

Bernardi epist. 345. ad monachos trium fontium.

10. Interpellatus autem Bernardus an iidem monachi, qui ob aeris intemperiem infirmitatibus frequentioribus ve-

Quousque monachi medicinis uti possint.

xa-

Jesu Chr. an. 1141. epist. 345. xabantur, medicinis ad sanitatem recuperandam uti possent; id vix monachis icitum esse respondit, cujus hæc sunt verba: *Ceterum unum quidem a me petiit venerabilis Abbas vester, quod mihi minime bonum videtur. Credo autem quod & ego Spiritum Dei habeam, & consilium Dei in hoc. Scio equidem quod in regione habitatis infirma, ex multis aliqui ex vobis laborant infirmitatibus, sed mementote quis dixerit.* Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut in habitet in me virtus Christi &c. Cum infirmor, *inquit*, tunc fortior sum. *Compatior utique, & multum ego compatior infirmitati corporum: sed timenda multo magis, ampliusque cavenda infirmitas animarum. Propterea minime competit religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec expedit saluti. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere, tolerabile est, & hoc aliquando solet fieri. At vero species emere, quærere medicos, accipere potiones, religioni indecens est, & contrarium puritati, maximeque Ordinis nostri, nec honestati congruit, nec puritati. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scimus autem quia in carne qui vivunt, Deo placere, non possunt. Spiritualia proinde spiritualibus comparanda, & quærenda potio humilitatis, & clamandum in toto corde:* Sana animam meam Domine, quia peccavi tibi. *Huic sanitati, fratres dilectissimi operam date, hanc sectamini, hanc servate, quia vana salus hominis.*

Athenulphi pietas, & liberalitas commendatur.

11. De Athenulpo autem Farfensi Abbate prætereundum non est; quod is, cum Clarævallensium monachorum coloniam ad se missam, ab Innocentio Papa ad aquas Salvias translatam vidisset; ne omnino suo desiderio frustraretur, ædificandi monasterium pro Clarævallensibus; *Collectam pecuniam*, ait in Bernardi vita Gaufridus, *sexcentarum fere marcarum argenti deposuit sub chirographo, quam ad Dei hominem*, seu ad Bernardum, *veniens obtulit, ei rogans, ut quod non meruerat in partibus suis*, idest Farfæ, *vel citra Alpes novum exinde cœnobium conderetur. Missum est pro argento & totum prorsus amissum;* Quod ut Bernardus cognovit, nil aliud respondit. Nisi *Benedictus Deus, qui nobis pepercit ab onere, nam & illis*, qui pecuniam rapuerant, *levius indulgendum; Sunt enim Romani, & pecunia videbatur immanis,* lib. 3. n. 24. t. 6. p. 1340.

ac vehemens, fuit ista tentatio; Quanta autem Athenulphum Abbatem Farfensem, & Rom. Ecclesiæ Cardinalem S. Bernardus benevolentia prosequeretur, ejusdem epistola ab Martenio edita testatur, qua ipsum ab Innocentio legatum ad Regem missum commendat. *Virum nobilem*, ait, *& genere, & moribus Abbatem Farfensem Apostolicæ sedis Cardinalem vobis commendamus, ut eum honorifice & amicabiliter suscipiatis. Descendit a latere Domini Papæ ad curiam regis, ab ipso vocatus, habens ad ipsum verba secreta de communi negotio regni & ecclesiæ. Suscipite honeste hominem, & hominem bonæ voluntatis, & in eo excellentiores principes mundi, eum videlicet a quo venit, & eum ad quem venit, Papam, & Imperatorem pariter honorate. Temeritatis quidem est quod ego tantillus talem virum vobis audeo commendare: sed humilitas ipsius hoc petentis excludit pudorem, et si factus sum insipiens, ipse me coegit*. Sed de his hactenus.

JESU CHR. AN. 1141. *Collectio maxima tom.* 1. *pag.* 738.

Petri Vener. Abbatis iter in Hispaniam

12. Dum Cisterciensis familia Bernardi opera in Italia, alibique propagaretur, Cluniacensis quoque ordo, cui præceteris Venerabilis Petrus Abbas præerat, longe lateque diffusus, regulari disciplina fulgebat; nam ut sarta tectaque servaretur, vel collapsa restauraretur, idem Venerabilis Abbas quam maxime satagebat, nec labori, neque itineribus parcens. Ea de causa, ut monasteria per Hispaniam erecta visitaret, illuc hoc tempore profectus est; cujus peregrinationis in libro de miraculis idem Petrus meminit, *Anno quo in Hispaniam profectus sum*, & iterum capite sequenti. *Quia semel Hispaniam ingressi sumus &c.* memorat quoque in epistola ad Gaufridum Burdigalensem Episcopum, cui in Hispaniam profecturus Cluniacensis instituti monasteria, Abbatias, Prioratus, & Cellas commendaverat; & postea reversus gratias ægit, quod omnia illa fidissime conservasset, & quod in reditu eum non adiisset, se excusat. *Redire*, inquit, *per provinciam vestram prius quidem disposueram: sed fortuitus rerum eventus, immo, quod verius est, Dei dipositio permutavit*. Tum de itineris sui successu hæc subdit. *Illum quidem præteritum iter nostrum plus honoris, quam personam, non dico ecclesiam, decet, habuit: quia & si non decuit personam, decuit ecclesiam. Profectus vero temporalis, non quantum cupiditas voluit, sed plus tamen quam meritum exegit. Quod vero ad personam spectat, utinam*

lib. 1. *c.* 27. 28.

lib. 5. *ep.* 12.

Jesu Chr. an. 1141.

nam sospitatem corporis incolumitas spiritus æmularetur! Quod autem ad ecclesiam respicit, pace super omnia, & mutua, & generali fruitur. In fine rogat, ut *de universis Cluniacensibus negotiis, non solum ut legatus, sed ut ipse Cluniacensis Abbas secure disponat.* In eadem Epistola nescio quid sinistri insinuat de Angeliacensi ecclesia, quod secretum esse inter eos condictum erat. De suo in Hispaniam itinere disserit etiam Petrus in libro 1. de miraculis capite XXVII. & sequenti &c. Nec otiosa fuit illa Petri Venerabilis in Hispaniam profectio; Id quippe ei propositum fuisse videtur, ut sui Ordinis in illo regno monasteria perlustraret: at, cum illis in partibus moram faceret, Saracenorum seu Arabum illic habitantium impia dogmata explorare studuit, ut ea postmodum data opera refutaret.

PetrusAbbas Cluniac. Mohumetis sectam confutat.

Petri Ven. Abbatis opera Alcoranum in latinum transfertur, & confutatur.

13. Et sane impii Mahummedis vitam ex Arabico in Latinum transferri curavit, ut ipse in fine brevis summulæ, quam contra eorum sectam composuit, testatur his verbis. *Nam, & hæc tota causa fuit, qua ego Petrus sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ minimus Abbas, cum in Hispaniis pro visitatione locorum nostrorum, quæ ibi sunt, demorarer, magno studio, & impensis totam impiam sectam, ejusque inventoris execrabilem vitam de Arabico in Latinum transferri, ac denudatam ad nostrorum notitiam venire feci: ut, quam suspecta, & frivola hæresis esset, sciretur, & aliquis Dei servus ad eam scripto refellendam sancto inflammante Spiritu incitaretur.* Ad id operis aggrediendum piissimus Abbas excitavit Sanctum Bernardum, ad quem misit libellum quemdam in illam sectam ex Arabico translatum in Latinum, scripta Epistola in hæc verba. *Mitto vobis, carissime, novam translationem nostram contra pessimam nequam Machumet hæresim disputantem, quæ nuper, dum in Hispaniis morarer, meo studio de Arabica versa est in Latinam. Feci autem eam transferri a perito utriusque linguæ viro magistro Petro Toletano. Sed quia lingua Latina non ei adeo familiaris & nota erat, ut Arabica, dedi ei coadjutorem doctum virum, dilectum filium & fratrem Petrum, notarium nostrum, reverentiæ vestræ, ut æstimo, bene cognitum: qui verba Latina, impolite vel confuse plerumque ab eo prolata, poliens & ordinans, epistolam, immo libellum,* mul-

multis, ut credo, propter ignotarum rerum notitiam perutilem futurum, perfecit. Tum de Alcorano ipsius cura ibidem translato, hæc subdit. *Sed & totam impiam sectam, vitamque nefarii hominis, ac legem, quam Alcoran, idest Collectaneum præceptorum, appellavit, sibique ab Angelo Gabriele de cælo collatam miserrimis hominibus persuasit, nihilo minus ex Arabico ad latinitatem perduxi, interpretantibus scilicet viris utriusque linguæ peritis, Roberto Retenensi de Anglia, qui nunc Pampilonensis ecclesiæ Archidiaconus est; Hermano quoque Dalmata, acutissimi & litteratissimi ingenii scholastico: quos in Hispania circa Hiberum astrologicæ arti studentes inveni, eosque ad hoc faciendum multo pretio conduxi . . . . . Specialiter autem vobis ista omnia notificavi, ut et tanto amico studia nostra notificarem, et ad scribendum contra tam perniciosum errorem illam vestram, quam nostris diebus vobis Deus singulariter contulit, doctrinæ magnificentiam animarem*. Hactenus Petrus, in quo vix scio, utrum amplius mirer piissimi Abbatis studium in christianam religionem, quo ad hæc præstanda excitabatur, an modestiam, quæ ipsum ad deferendum Bernardo honorem refellendi impii erroris impellebat, cum præcipue veteres adhuc inter Cistercienses, & Cluniacenses simultates aliquatenus vigerent, uti prolixior Petri Venerabilis epistola ad Bernardum hoc tempore data declarat; qua Cisterciensium objectiones, quæ vestium, & rituum diversitatem spectant, exponit, ac refellit; quod tardius rescripserit modeste excusat; se quoque alias ad eum scripsisse, nec responsa accepisse. *Vel unum ista recepi*, ait. *Modo miramini, quod revertenti nuper de Hispaniis nugas meas denuo vobis ingerere non præsumpsi*. *lib. 5. ep. 17.*

Color niger pro luctu adhibitus.

14. De vestium colore agens; Nigrum magis, quo Cluniacenses utebantur, monachis convenire ait, utpote in signum luctus, & pœnitentiæ, quam Album, quo Claravallenses ad innocentiam demonstrandam utebantur; In quam rem adnotat, se nuper in Hispania vidisse in funeribus & luctu nigras vestes adhiberi, ac tandem, ut dixi, translationem a se Alcorani factam misit. Cumque Bernardus aliis distentus curis, impiam Mahumetis sectam confutare non potuerit, illud ipsum idem Venerabilis Abbas per se ipsum præstitit duobus libellis editis, quos collectioni suæ monumentorum

JESU CHR. AN. 1141.

maximæ tomo nono Martenius edidit, quod opus hoc anno incœptum, ac biennio post 1143. absolutum fuisse opera cujusdam Mahermed Saraceni indicat.

Stephanus Rex Angliæ in carcerem conjicitur.

15. Cum jamdiu civili bello tota Anglia exarderet, hoc anno, prævalente Mathildis factione, Rex Stephanus captus, in carcerem conjectus est, teste præ ceteris Orderico lib. 13. *Quotidie de adventu inimicorum rumores audiens Rex* (Stephanus) *parvi pendebat*, ait is auctor. *Denique Dominica Septuagesimæ, dum sacra solemnitas Hippapanti Domini* celebraretur, seu festum Purificationis, *et ipse Rex hostium phalanges jam adesse intueretur*, consilio suorum spreto, quo suggestum ei fuerat, ut recederet, præliumque vitaret; *Obstinatus Princeps persuasioni prudentium obaudire contempsit*, initoque prælio fortiter quidem pugnans, a suis derelictus, *Roberto Comiti consobrino suo se commisit, et captus est, et ab eodem paulo post Mathildi Comitissæ oblatus etc. et miser, prob dolor, incarceratus est*; In Regis Stephani captivitate historiam suam libris tredecim distributam absolvit Odericus Vitalis monachus Uticensis, cum annum ætatis suæ 67. ageret, ut ipse affirmat, cujus vitæ seriem Mabillonius exhibet. Quæ post Regem captum in Anglia contigerunt, narrat Malesburiensis, ut plurimum ocularis testis, quæ exponere longum esset; Cum in Angliam transiisset Mathildes Henrici Angliæ Regis defuncti soror, quæ Goffrido Andegavorum Comiti nupserat, agente in primis Henrico Vintoniensi Episcopo, & Apostolicæ sedis legato, qui Stephanum fratrem deseruerat 14. *Kal. Martii eo anno prima Dominica Quadragesimæ*, ab omnibus fere ordinibus in Angliæ Dominam recepta est, ut pluribus narrat Malesburiensis. Paulo post tamen res iterum turbatæ ibidem, & mutatæ sunt; Nam cum, adhuc de Regno disceptaretur, Robertus Mathildis frater, dum ejus partes tuetur, die exaltationis S. Crucis captus est; tandemque die festo omnium Sanctorum inter diffidentes conventum, ut Rex ipse liber dimitteretur, ac tandem conventu apud Londoniam convocato, ab Vintoniensi Episcopo, & legato sanctæ sedis, ibidem Stephanus Regnum recepit, qui etiam *fecit clamorem suum Episcopis*, idest querelas deposuit, *de suis, qui cum proditione cœperunt, quibus jussu Papæ Innocentii christianitas prohibita est*, seu excommunicati sunt quotquot Mathildis par-

Annal. Ord. Bened. li. 77. *n.* 96.

lib. 2. *hist.*

Vilkins conc. Britann. t. 1. *pag.* 419.

partes contra Stephanum secuti fuissent; Anno tamen sequenti iterum turbatæ res fuerunt, & Mathildis factio aliquandiu prævaluit, ut ibidem dicturi sumus.

Jesu Chr. an. 1142.

16. Hoc anno Belam Hungariæ Regem hujus nominis secundum idibus Febr. feria quinta obiisse ex Thuroczio adnotant Pagius, & Mansi; eique successit Geisa secundus etiam dictus filius ejus, qui duobus post mortem patris diebus 14. Kal. Martii coronatus est in Dominica *Invocavit*, ut ibidem videre est.

Bela secundus Hungariæ Rex moritur, cui Geisas filius successit.

Pagi, Mansi not. 15.

JESU CHRISTI AN. 1142. INNOCENTII II. PAPÆ AN. 13. JOANNIS COMNENI IMP. AN. 25.

1. Cum adhuc dissidia anno proximo inter Innocentium Papam, & Ludovicum Regem excitata vigerent, Ivonem Cardinalem S. Laurentii in Damaso legatum in Gallias Innocentius misit, ut & cum Ludovico Rege pacem firmaret, & de incestuosis Rodulphi Veromandensis Comitis nuptiis sententiam ferret: de incestuosis autem Rodulphi nuptiis hæc narrat Hermannus monachus Tornacensis, aut auctor appendicis ad ejus chronicon. *Volens in matrimonium sibi copulari germanam Eleonoræ Reginæ Francorum nomine Petronillam, uxorem suam legitimam*. Theobaldi Campaniæ Principis neptem sub consanguinitatis prætextu repudiaverat, adprobantibus divortium tribus Episcopis, nempe Simeone Noviomensi ejus fratre, Bartolomæo Laudunensi, & Petro Silvanectensi, quos ideo Ivo Apostolicæ sedis legatus ab Episcopali officio suspenderat, ut narrat Robertus apud Sigebertum. *Rodulphus Veremandorum Comes uxorem suam dimittit, & sororem Reginæ Petronillam ducit. Propter quod instantia Comitis Theobaldi mittitur Romanæ Sedis Ivo legatus, qui & Rodulphum Comitem excommunicavit, & Episcopos Laudunensem Bartholomæum, Noviomensem Simonem, Petrum Silvanectensem, qui divortium illud fecerant, suspendit*. Hæc ibi. Cum autem hæc adeo nefanda de Comite Rodulpho Sanctus Bernardus intellexisset, percitus zelo offensæ Christianæ legis, Innocentium Papam in tanti sceleris detestationem, ut illud Apostolica Au- ctori-

Innocentius Papa Ivonem Cardin. legatum in Gallias mittit.

Dacheri spicil. tom. 12. p. 480.

Bernardi epist. 216.

JESU CHR. AN. 1142. Bernardi epist. ad Innocentium Pap. *Matt. 19.*

ctoritate vindicaret, excitavit; *Scriptum est*, ait; *Quod Deus conjunxit homo non separet; Surrexerunt viri audaces, qui non timuerunt conjunctos a Deo contra Deum disjungere. Neque id solum, insuper & adjecerunt conjungere non conjungendos, addentes prævaricationem. Lacerantur sacra Ecclesiæ, scinduntur (proh dolor)! vestes Christi, idque ad cumulum doloris, ab his, a quibus resarciri debuerant. Amici tui Deus, & proximi tui adversum te appropinquaverunt, & steterunt. Nam qui mandatum tuum transgrediuntur, non sunt alieni, non sunt extranei a sanctuario tuo, sed eorum locum tenent, quibus dixisti: Si diligitis me, mandata mea servate. Comitem Radulphum & uxorem ejus Deus conjunxerat per ministros Ecclesiæ, & Ecclesia per Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Quomodo quos Ecclesia conjunxit, disjunxit eamera? In quo facto illud solum convenienter provisum est, quod in tenebris facta sunt opera tenebrarum. Qui enim male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus in luce. Quid meruit Comes Theobaldus? Quid peccavit homo ille? Si peccatum est, quod diligit justitiam, & odit iniquitatem, non potest excusari. Si peccatum est quod reddit Regi quæ Regis sunt, & quæ sunt Dei Deo, non potest excusari. Si Archiepiscopum Bituricensem suscepit ad imperium vestrum: hoc est maximum & primum peccatum. En sanguis iste de manu ejus exquiritur. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahunt ei, quoniam sequitur bonitatem. Multi clamant ad vos in toto corde suo, ut injuriam filii vestri, & oppressionem Ecclesiæ digna animadversione vindicetis, & artifices hujus sceleris cum ipso eorum capite, cui quidquid libuit, licuit, Apostolico vigore coerceatis, ut in verticem ipsius iniquitas ejus descendat.* Hucusque ad Innocentium S. Bernardus.

Aliæ Bernardi epist. ad Innocentium aliosque datæ. *epist. 217.*

2. In eamque rem aliam tum ad eumdem Innocentium, cum ad alios litteras dedit, cujusmodi est epistola 217. ad Innocentium, qua Theobaldum Campaniæ Comitem a Ludovico graviter vexari ait, eo quod pro justitia certaret, ac sententiam Ivonis legati adversus Rodulphum Comitem, ob repudiatam uxorem, latam tueretur. Unde ne penitus ejusdem terra ab Ludovici exercitu desolaretur, coactus fuerat, *Sub juramento promittere, quatenus sententiam excommu-*

municationis a legato vestro bonæ memoriæ magistro Ivone in terram, & personam adulteri tyranni, seu Rodulphi, *faceret amoveri*; ac Pontificem hortatur ut eam iterum vulgari juberet; *Quatenus ars arte deludatur, & pax proinde obtineatur, & qui gloriatur in malitia, & potens est in iniquitate, nil inde lucretur &c.* Cumque hoc tempore Ivo Apostolicæ sedis legatus obiisset, quem ideo bonæ memoriæ dicit Bernardus, ob ejusdem hæreditatem, seu pecuniam distributam, nescio quam suspicionem adversus Bernardum Innocentius Papa conceperat, quare cum se ab ejusdem gratia excidisse timeret, epistola altera se immunem ab culpa fuisse ostendit Bernardus. *Quando homo*, ideft Ivo, *exuit hominem*, ait, *absens eram, immo valde remotus; Audivi autem ab his, qui adfuerunt, quod ipse fecerit suum testamentum, & quod fecit, fecit & scribi, & de rebus suis quæ voluit, quibus voluit, ipse divisit, quod residuum fuit, duobus Abbatibus assistentibus tunc sibi, & mibi pariter, qui absens eram, dividendum commisit, eo quod nobis nota essent loca pauperiora sanctorum &c.* Ex his autem patet hoc vel sequenti anno, quo eam ad Innocentium epistolam Bernardus scripsit, Ivonem Apost. Sedis legatum obiisse.

JESU CHR. AN. 1142.

epist. 218.

3. Duabus autem sequentibus epistolis Ludovicum Regem arguit, eo quod & Rodulphi Comitis causam, ob repudiatam uxorem tueretur, & Bituricensem Episcopum, ne suæ sedis possessionem iniret, prohiberet; cumque nil apud Regem profecisset, ad consiliarios ejus Sossenum Svessionensem Episcopum, & Sugerium Sancti Dionysii Abbatem literas dedit, quarum est exordium: *Scripseram Regi &c.* Quibus in sui excusationem, & Theobaldi, cum multa afferat, quæ Rex in deterius magis magisque lapsus adversus Ecclesias patraverat, ad ipsos Consiliarios, ut ei resisterent, hæc ad finem habet: *Denique esto quod omnino male meruit Comes, sed Ecclesia Dei quid meruit? Quid, inquam, meruit non jam sola Bituricensis Ecclesia, sed et Catalaunensis, etiam et Rhemensis, etiam et Parisiensis? Habeat Rex adversus Comitem jus, sed de quo jure, obsecro, de quo jure præsumit, ut Ecclesiarum possessiones, et terras devastet, ut Christi ovibus pastores præfici non permittat, ut his quidem electorum promotionem probibeat, aliis vero (quod ba-*

Bernardi epist. ad Ludovicum Regem. 221. 220. 222.

JESU CHR. AN. 1142. *hactenus inauditum est) dilationem electionis indicat, donec universa consumpserit, donec diripuerit pauperum facultates, donec penitus desolaretur terra? An vos ei consuletis talia? Mirum valde si contra vestrum consilium fiunt hæc: mirum magis, & malum si vestro consilio fiunt. Etenim consulere talia, manifeste schisma fabricare est, Deo resistere, Ecclesiam ancillare, & novam in servitutem Ecclesiasticam redigere libertatem &c.* Hæc, & alia ibidem Bernardus.

Bernardi epist. ad Jossenum Svess. Episc. 223.

4. His acceptis mirum in modum offensus Svessionensis Episcopus acerbiores ad eumdem Bernardum litteras reddidit, quibus inter alia ipsum talia scribentem, spiritu blasphemiæ efflatum esse redarguit. Ad quem quidem ista digna perenni memoria idem sanctus Bernardus rescripsit, sale sapientiæ Christianæ condita, quæ sic habent: *Bernardus Josleno Svessionensi Episcopo salutem in Domino, & non in spiritu blasphemiæ.* Minime quidem ego spiritum blasphemiæ habere me arbitror; sed nec cuiquam maledixisse, aut maledicere velle me scio, principi præsertim populi mei. Cæterum quidquid illud sit, quo se læsam vestra dignitas judicat, peto veniam. Scio enim qui dixit: Blasphemamur & obsecramus. Dico ergo cum B. Job. Quæ locutus sum, utinam non dixissem, & ultra non addam. Jam domino Abbati S. Dionysii pro communi querimonia scribens, utrique vestrum responderam, & putaveram me fecisse satis. Et quoniam, ut video, nondum quievit indignatio vestra, quæ forsitan adversus Ecclesiæ conculcatores justius incanduisset, etiam vobis dico: schismaticos vos, aut fomitem esse scandali, nec dixi, nec scripsi, nec credidi, & dico securus, nec vereor quod me mea pagina arguat mendacii. Scrutamini eam, si placet, & si ita inveneritis, reum me fatebor grandis sacrilegii, & revera, sicut notatis, spiritu blasphemiæ agitatum illa scripsisse, Me tamen humilis satisfactio spiritum videatur excludere libertatis: dolui fateor; & doleo, quod nondum vos ea libertate, qua deceret; comperimus Christi ulcisci injurias, Ecclesiæ defendere libertatem. Dolor iste compulit me scribere dura, non tamen illa quæ impingitis. Hactenus de his Bernardus.

Bernardus ne schisma fie-

5. Eodem zelo, quo ut Rodulphi Comitis, qui uxorem, alia superinducta, repudiaverat crimen debita pœna

na coerceretur sollicitus erat Bernardus, ut Apoſtolicæ sedi debita reverentia exhiberetur ab Ludovico Rege, qua Bituricensem Archiepiscopum a Pontifice ordinatum recipere recusaverat, & ne ea de causa schisma fieret vehementer sollicitus erat: hinc ad Romanæ Curiæ Cardinales scribens, Albericum scilicet Oſtiensem, Stephanum Prænestinum, Incmarum Tusculanum, & Gerardum Cancellarium, eosdem, ut cum Ludovico Rege mitius agerent, admonuit, cujus culpam etiam pro viribus excusat. *Quantum malum ſchiſma in Eccleſia ſit*, ait, *& quam ſit deteſtandum, & omnimodis devitandum, evidenter quondam oſtendit famoſa, & horrenda mors virorum illorum, quos ob iſtiuſmodi peſtem terra deglutiens, vivos tranſmiſit ad inferos. Oſtendit & illa perſecutio Guibertina, ſive Burdini temeritas, quos noſtra jam tempora experta ſunt, inter Regnum & Sacerdotium dividentes plaga pene incurabili, & caſtigatione crudeli. Oſtendit et illa quæ nuper adhuc poſt multam et multifariam Eccleſiæ vexationem et vaſtationem, tandem Deo miſerante finem accepit rabies Leonis*, seu recens Anacleti schisma: deinde poſt aliqua. *De duobus non excuſamus Regem, nam et juravit illicite, et perſeverat injuſte*; de quibus sane excusari omnino non poſſe fatetur; *Vos*, subdit, *videte an excuſare aliquatenus eum poſſit ira, ætas, Majeſtas, poterit ſine dubio ſi miſericordiam judicio ſuperexaltandam decernatis, quatenus videlicet talis aliqua conſideratio in Rege, et puero habeatur, ut hac ei vice tali quidem tenore parcatur, quo tale aliquid de cetero non præſumat. Parcatur ſane dixerim, ſi fieri poſſit, ſalva in omnibus Eccleſiæ libertate, ſimul et Archiepiſcopo debita veneratione ſervata, quem manus Apoſtolica conſecravit*, Petrum scilicet Bituricensem. *Hoc ipſe Rex humiliter petit, hoc noſtra univerſa Citramontana nimium jam afflicta Eccleſia ſuppliciter deprecatur etc.*

Jesu Chr. an. 1142. ret, sollicitus est. *epiſt. 219.*

6. Pro eodem Ludovico Rege, vir ſane ſingularis prudentiæ Petrus Abbas apud Innocentium interceſſor quoque ſtetit, qui ad Innocentium ſcribens inter cetera ajebat. *Pro domino Rege Franciæ, magno nobili & ſpeciali filio veſtro, benignitatem Apoſtolicam deprecor, ut quia non ſolum Rex eſt, non solum magnificus rector Chriſtiani populi eſt; ſed etiam quia opus manuum veſtrarum eſt, quem ad regnum provexiſtis, quem*

Petrus Abbas Cluniac. pro Rege intercedit. *lib. 5. ep. 2.*

Jesu Chr. an. 1142.

quem sacris manibus vestris inunxistis, quem Gallis nostris potentiorem patribus Regem designastis: si quid forte adhuc ut aetate juvenis inconsulte agit, ei condescendatis, & ejus forte errorem sapientiae vestrae velamine contegatis. Est enim patris, ut filii, & maxime tanti, & errorem emendet & honorem conservet. Hoc pro dissidio, quod inter ipsum, & dominum Bituricensem Archiepiscopum est, dico. Est enim, sicut sensi, res non levis; & ne de gravi incoepto graviorem vergat in exitum, multum cavenda etc. Haec de causa Regis; His nonnulla de reformatione monasterii a se suscepta addit, in quibus frustra laborasse addit; Nam *In deteriorem statum quam prius fuerat relapsum, omni pene monastica religione et observantia destitutum parum a secularibus differre, in tantum, ut quod priscis temporibus cuncta Galliarum monastera anteibat, nunc pene universa vix a longe sequi videatur.* Haec Petrus Cluniacensis Abbas.

Concilium Vintoniense pro pace restauranda. *Labb. to.* 10. *pag.* 1024.

7. Cum jamdiu civili bello inter Stephanum Regem, & Mathildem excitato, tota exarderet Anglia, ut tot malis aliquatenus mederetur Vintoniae Episcopus, & Apostolicae sedis legatus, hoc anno Episcopos, & Abbates congregavit, ut narrat Malesburiensis; *Cujus concilii actioni, quia interfui, integram veritatem rerum posteris non negabo*, ait: Itaque feria secunda post octavam Paschae cum convenissent Episcopi, praesidente Vintoniae Archiepiscopo, *post recitata scripta excusatoria, quibus absentiam suam quidam tutati sunt*, Episcopos deinde legatus seorsim & Abbates vocavit, & secretum cum iis consilium habuit; Feria autem tertia Patribus denuo congregatis orationem ad eos habuit, qua eosdem ad pacem fovendam hortatus est, ac quid hactenus gestum fuerit, exposuit, quaeque secreto in prima sessione tractata fuerant, de jure eligendi Regem aperte proposuit, ac fratre suo Stephano postposito Mathildem praeferendam esse dixit, fratrisque sui mala in Regni administratione gesta commemorans, haec subdidit. *Scitis quoties eum tum per me, tum per Episcopos convenerim concilio praesertim anno praeterito ad hoc indicto, et nisi odium nihil acquisierim. Nec illud quemquam, qui recta pensare velit, latet, debere me fratrem meum mortalem diligere, sed causam Patris immortalis multo pluris facere. Itaque quia Deus judicium suum de fratre meo exercuit, ut eum, me nescien-*

Labb. pag. 1025. *Vilkins concil. Britan. tom.* 1. *pag.* 420.

sciente, in potestatem potentium incidere permitteret, ne regnum vacillet, si regnante careat, omnes vos pro jure legationis meæ huc convenire invitavi. Ventilata est hesterno die causa secreto coram majori parte Cleri Angliæ, ad cujus jus potissimum spectat Principem eligere, simulque ordinare. Invocata itaque primo, ut par est, in auxilium divinitate, filiam pacifici regis, religiosi Regis, divitis regis, boni regis & nostro tempore incomparabilis in Angliæ, Normaniæque dominam eligimus, ut ei fidem, & manutenementum promittimus. Vintoniensis episcopi postulationi, vel modeste acclamarunt, vel silentes non contradixerunt; ait auctor; feria tamen quarta in concilium introducti Londinensium legati, ab concilio, & legato postularunt, ut Stephanus vinculis quibus tenebatur, liber dimitteretur, quorum petitioni legatus præcipue restitit, sicque nonnullis hinc inde additis, Londinensium legati recesserunt, polliciti se concilii decreta *relaturos & quantum possent favorem suum præstituros*, sicque, *Feria quinta solutum est concilium, excommunicatis ante multis, qui regiarum erant partium: hæc statim post Pascha fuerunt actitata*. Londinenses, *Vix paucis* ante nativitatem S. Joannis Baptistæ *diebus Imperatricem* Mathildem *receperunt*, ait Malesburiensis, qui statim subdit, hoc eodem desinente anno seu in die octavarum S. Andreæ, Episcopos iterum ab Vintoniensi Episcopo, & Apostolicæ sedis legato congregatos fuisse, ubi Rex ipse Stephanus carcere jam eductus, in Regnum restitutus est, ut Innocentius Papa legato scribens jusserat.

8. *Interea legatus, cum quod semel proposuisset, non in effectum relinquere vellet, concilium pro jure legationis suæ apud Vestmonasterium die octavarum S. Andreæ coegit. Ejus concilii actionem non ita exacta fide pronuncio, ut superioris, quia non interfui. Auditum est lectas in eo litteras domini Apostolici, quibus modeste legatum arguerat, quod liberare fratrem suum dissimulasset. Delicti tamen superioris gratiam facere, & magnopere cohortari, ut quocumque modo, vel ecclesiastico, vel seculari posset, ad germani liberationem*, seu Stephani Regis, *accingeretur*. His dictis, seu lectis Innocentii Papæ litteris, in sui excusationem nonnulla legatus addidit, ac tandem *Jubere se*

[Margin: JESU CHR. AN. 1142.]

[Margin: *Malesbur. hist. Novel. li. 2. in fine.*]

[Margin: Concilium Vestmonstariense. *Labb. ut sup.*]

JESU CHR. AN. 1142.

se, addidit, *de parte Dei, & Apostolici, ut Regem voluntate populi, & assensu sedis Apostolicæ junctum, quantis possent viribus, enixe juvarent, turbatores vero pacis, qui Comitissæ Andegavensi faverent* (seu Mathildi) *ad excommunicationem vocandos*, ipsa tamen Mathilde excepta; His dictis omnes vel metu, vel reverentia tacuerunt, unus tantum laicus Mathildis legatus restitit, qui cum multa in eam rem dixisset, in proposito tamen suo legatus perstitit, sicque ut subdit Malesburiensis. *Fuit hic annus, cujus tragædias compendio digessi, fatalis ac pene perniciosus Angliæ &c.* dum scilicet pro Regno certarent Stephanus, & Mathildes, ac Episcopi ipsi cum Henrico Vintoniensi Episcopo, & Rom. sedis legato incerti hœrerent, ita ut hoc eodem anno Mathildem, excommunicatis fautoribus, Stephano prætulerint, eodemque desinente, Henrico faventes, excommunicationis sententiam in Mathildis fautores retorserint, atque in his historiæ suæ finem Malesburiensis posuit: an autem eodem anno vivere desierit, incertum est, id sane verissime adnotavit is auctor, infausta, & perniciosa hæc tempora Anglicanæ ecclesiæ fuisse, ut ad hunc annum adnotat Pagius nota 9. 10. 11. nam vigente bello civili, urbes, oppida, una cum ecclesiis, direptionibus, incendiis, aliisque calamitatibus passim afflictæ sunt, ut Huntidoniensis, Vestmonstariensis, aliique narrant.

Albericus Ostiensis Episc. Synodū Antiochenam celebrat.

Labb. to.10. p.1026. edit. noviss.to.21. p. 578.

Guliel. Tyr. lib. 16. c.15. 16.

9. Labenti Christi anno 1142., Antiochenam synodum ab Alberico Ostiensi Episcopo celebratam fuisse, post Gulielmum Tyrium conciliorum editores tradunt, ibique causa Rodulphi Antiocheni Episcopi, cujus anno *1136.*, quo ordinatus fuit, mentionem fecimus agitata fuit, cum itaque post Petri Lugdunensis Episcopi, & Apostolici legati, qui in Orientem ab Innocentio Papa missus, illuc vix profectus, re infecta, Acconæ obiisset; ac Arnulphus inter Rodulphi accusatores præcipuus, *per Inventores*, ut ait Gulielmus, ab eodem Pontifice obtinuisset, ut alter legatus, idest Albericus Ostiensis Episcopus mitteretur, statim ac, uti narrat Gulielmus, Sidonem applicuit, Hierosolymam transiit, ibique ab Fulcone Rege, & Patriarcha honorifice exceptus; *Completis ibi de more orationibus, & mora per dies aliquot Hierosolymis habita dominus Princeps*, Antiochenus videlicet, *pertentata domini Legati*

ti mente, quid propositi adversus Patriarcham suum Antiochenum *haberet, & invitans eum, ut non tardaret venire, sed fortis & de ejus auxilio certus veniret, Antiochiam reversus est*, deinde Legatus *completis orationibus, dominum Patriarcham* Hierosolymitanum, *& universos regni Pontifices ad Synodum convocans apud Antiochiam, pridie Kal. Decembris illic cum omni celeritate contendit. Die igitur statuta affuerunt de diœcesi Hierosolymitana dominus Vuillelmus Patriarcha, Gaudentius Cæsariensis Archiepiscopus, Anselmus Bethlehemita Episcopus: affuit & dominus Fulcherus Tyrensis Archiepiscopus, S. R. E. multum devotus & fidelis, in quo tota spes Legato erat consummationis negotii: erat autem vir magnanimus & discretus plurimum. Affuit quoque cum duobus suffraganeis suis, Bernardo videlicet Sidoniense, & Balduino Berythense. De provincia autem Antiochena, quoniam viciniores erant, affuerunt universi, quorum varia nimis, & ab invicem dissona erant desideria. Nam Stephanus Tarsensis Archiepiscopus, Gerardus Laodicensis, Hugo Gabulensis Archiepiscopus Canonicorum contra dominum Patriarcham fovebant causam. Franco autem Hieropolitanus, & Gerardus Coritiensis, Serloque Apamiensis, licet ei ab initio adversarius fuisset, conversus ad eum, domino Patriarchæ suum manifeste præstabat patrocinium. Alii in neutram partem manifeste videbantur declinare. Die ergo præfixa, residentibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ex more in Ecclesia Principis Apostolorum, & pontificalibus induti, præsidente domino Legato, vices domini Papæ obtinente, lectus est in publico mandatorum Domini Papæ tenor. Quo perlecto diligentius, & plenius cognito, prodierunt in publicum accusatores Arnulphus sæpe dictus, & Lambertus Archidiaconus*, qui licet aliquatenus cum Patriarcha reconciliatus fuisset, *& beneficii sui obtinuisset restitutionem*, in arcum tamen pravum conversus, denuo accusatorem se constituit.

Jesu Chr. an. 1142.

10. Accusatores itaque Rodulphi in synodum admissi, libello oblato eum accusarunt, *De Enormi, & indisciplinato, & contra regulas sanctorum Patrum ejus in Patriarchatum introitu. Quædam de ejus incontinentia, & operibus simoniacis. His instanter postulantibus, ut se præsentem exhiberet, mit-*

Crimina Rodulpho Antioch. Episc. objecta.

Jesu Chr. An. 1142. *mittuntur qui eum ad Synodum solemniter invitent : & ut ad objecta veniat responsurus, moneant, qui omnino venire refutavit. Ea itaque die nihil amplius processum est in verbo illo, nisi quod exortatorios habuerunt sermones ad invicem, sicut moris est in talibus causis*, sicque prima sessio finita est.

Sessio secunda Serlo Apamiensis Episc. deponitur, ejus obitus.

11. *Secunda die convenientes*, prosequitur auctor, *denuo et ex ordine residentes, iterum citatorio edicto Domnum Patriarcham solemniter vocant. Qui sicut & pridie, omnino venire noluit. Interim Serlo Apameensis Archiepiscopus in choro Pontificum sine veste residens nuptiali (non enim more aliorum indutus erat pontificalibus) a domino legato convenitur, quare reliquis fratribus non consonaret : & quare ad accusandum, sicut aliquando fecerat, non procederet? Respondit : Quod aliquando feci, inconsulto calore, & contra salutem animæ meæ, detrahens patri meo, & more maledicti Cham, verenda patris discooperiens, operatus sum : & nunc ab errore devio me auctore Domino revocans, nec eum accusare, nec judicare præsumtuose tentabo, sed pro ejus statu & incolumitate paratus sum usque ad mortem decertare. Præcipitur ergo exire, & data in eum sententia excommunicationis simul & degradationis, sive juste sive aliter, ab omni officio sacerdotali & pontificali depositus est*; ac adnotat tantum in Episcopis ibidem assidentibus fuisse timorem, ut nemo ei contradicere auderet; Principem vero adversus Patriarcham instigabat *quidam Petrus Armenius, præsidii civitatis custos, vir malitiosus supra modum, sperans quod si Patriarcham deponi contingeret, quendam nepotem suum Haimericum nomine, quem dominus Patriarcha in suam perniciem ejusdem Ecclesiæ Decanum fecerat, posset per seductum Principem in sedem illam provehere, quod & factum est. Serlo igitur sive de facto, sive de jure depositus, Antiochia egrediens, in suam diœcesim se contulit, perveniensque ad castrum Harenc, ægritudine præventus, & curarum anxius pondere lecto decubuit, & conversus ad parietem, & injuriæ enormitatem non ferens, expiravit.*

Sessio tertia.

12. Tandem tertia die iterum convenientes, peremptorio edicto Patriarcham, ut Synodo adesset, citarunt, at is sive

five conscientia criminum detentus, sive Principis violentiam timens adesse renuit, ac in Palatio cum suis subsistens, ad eum legatus, Principis auxilio fretus, in Palatium transiit; *Ibique data in eum sententia depositionis, annulum, & Crucem compulit violenter resignare, inde jubente Legato, Principi traditus, & vinculis miserabiliter alligatus, tanquam vir sanguinum ignominiose tractatus, apud monasterium S. Simonis, juxta mare in monte eminentissimo situm, carceri mancipatus est*. Et infra: *Catenatus in monasterio, diu detentus, tandem elapsus, Romam profectus est. Ibi aliquatenus gratiam Sedis Apostolicæ assecutus, dum redire maturaret, veneno hausto, sceleris ministro porrigente, nescimus quo, miserabiliter interiit*. Hic tandem finis hominis infelicissimi, qui sibi ipsi auctor malorum fuit.

Hierosolym. synodus, & dedicatio ecclesiæ.

13. His Antiochiæ gestis, legatus *Hierosolymam reversus est, ubi usque ad solemnitatem Paschalem moram faciens, habito prius consilio cum Prælatis ecclesiarum, tertia post sanctum Pascha die, una cum domino Patriarcha, & Episcoporum nonnullis templum Domini solemniter dedicavit. Asserunt ibi dedicationis die multi tam de patribus Ultramontanis, quam de Cismarinis regionibus magni & nobiles viri, inter quos affuit & dominus Joscelinus junior Comes Edessenus, qui tunc in solemnibus S. Paschæ diebus magnifice nimis in civitate moram faciebat. Qua celebritate completa, convocatis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis ecclesiarum Prælatis una cum domino Patriarcha, Concilium celebravit in primitiva & ecclesiarum matre sancta Sion, tractans ibi cum eis de iis, quæ instanti tempori videbantur convenire. Cui Synodo interfuit maximus Armeniorum Pontifex, immo omnium Episcoporum Cappadociæ, Mediæ, & Persidis, & utriusque Armeniæ Princeps & doctor eximius, qui Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de Fidei articulis, in quibus a nobis dissentire videtur populus ejus, habitus est tractatus, & ex parte ejus promissa est in multis correctio. Quibus rite peractis, predictus Legatus ad Acconensem rediens civitatem, inde parato navigio Romam reversus est*. Hactenus Alberici Ostiensis Episcopi gesta in ea legatione, ad quem in Oriente longas moras trahentem extat epistola Venerabilis Petri Cluniacensis Abbatis, qua *lib.* 4. 48.
de ejusdem ab urbe absentia, longaque in Orientem mora,

se

Jesu Chr. an. 1142.

se, suosque Cluniacenses afflictos fuisse testatur; eo quod cum in urbe sibi patronum experti hactenus fuissent, ut ibidem videre est.

Gulielmi Vercellensis, & fundatoris monachorum Montis Virginis obitus.

14. Inter Benedictini ordinis propagatores B. Gulielmus Congregationis montis Virginis institutor recensetur, qui medio circiter seculi elapsi Vercellis in Liguria honestis parentibus ortus, a primoeva ætate pietatis officiis totus se dicavit, ac devotionis causa ad S. Jacobi ædem Compostellanam profectus, indeque in Italiam reversus, dum Hierosolymam ire constituit, Neapolim profectus, deinde Amalphim in Apulia, in monte Laceno aliquandiu eremiticam vitam duxit, ubi Joannis Abbatis de Matera dicti fama excitatus, ad eum in monasterio Goniensi degentem transiit. Paulopost inde digressus in monte Virgiliano sedem fixit, ubi austerissimam vitam ducens, fama sanctitatis ejus vulgata, quamplurimi eidem se se sociarunt, ibique congregationis ab monte Virgiliano, seu ut aliis placet Virginiano, nomen habet, fundamenta jecit, quæ tum ob præclara institutoris gesta, monachorumque cum eo degentium disciplinam, & Rogerii Siciliæ Regis, & Ducis Apuliæ liberalitatem, in alia Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ loca propagata est, sanctisque viris floruit; Gulielmus vero institutor, post multa sanctitatis edita signa, multisque monasteriis suæ congregationi adjunctis, laboribus fractus, annisque gravis, anno labente 1142. die 25. Junii ad Cœlestia Regna migravit, cujus vitam discipulus scripsit. ex relatu Joannis de Niesco S. Gulielmi socio; de ejusdem gestis, & progressu congregationis Virginianæ ad hunc annum nonnulla refert Mabillonius in annalibus sui ordinis, plura vero Bollandiani, Bailletius, & præcipue auctor historiæ ordinum religiosorum dabunt. Id sane in Virginiano monasterio portenti loco habendum est, quod ibidem monachi non solum ab carne, sed etiam ab ovis, & lacte abstinere debent, quin & seculares etiam quotquot eo deveniunt, si enim illuc adferuntur, statim quodammodo mons fumat, Cœlum fulgurat, fragore horribili tonat, ac immensa pluvia descendit, quod sæpe experimento se probasse Carnalis Ursinus, postea Rom. Pontifex Benedictus tertius decimus, testatur, ac publico instrumento confirmat, dato Beneventi die nona Januarii anno 1708.

15. Gu-

15. Gulielmo Vercellensi addendus est Joannes Pulsanensis Abbas, qui aliquando Gulielmum hospitem in suo monasterio habuit, quique triennio ante Gulielmum, anno scilicet 1139., in Cælum abiit, hunc quidem inter Gulielmi discipulos, & Virginianos monachos, Virginiani ut plurimum recensent, at auctor religiosorum ordinum Bollandum secutus, & Mabillonium, eum Pulsanensis congregationis auctorem institutoremque fuisse probat, qui Materæ Apuliæ civitate natus, parentibus insciis, in Sicilia, Calabria, & Campania variis in locis eremiticam vitam eamque austerissimam duxit, deinde ad Basilicam S. Michaelis in monte Gargano se contulit, ubi postquam aliquandiu substitit, in quemdam locum Sipontinæ Dioecesis Pulsanum dictum transiit, ibique prope Sipontum monasterium ædificavit, multosque congregavit discipulos, quibus aliquamdiu præfuit; ad ecclesiam deinde B. Jacobi Apostoli, quæ Pulsanensi subjecta erat, profectus, virtutibus miraculisque clarus, anno 1139. ibidem obiit, ac sepultus est, ut pluribus auctor vitæ ejus apud Bollandum loco supraciiato narrat, quem passim sequitur auctor historiæ ordinum religiosorum. Utraque congregatio Virginianorum scilicet, & Pulsanensium fines utriusque Siciliæ vix excessit, ibique eamdem fortunam, quam reliquæ monachorum familiæ expertæ sunt. Per aliquot enim annos monastica disciplina claruit, ea vero paulatim postea defervescente, monachorum, ac monasteriorum numerus imminutus adeo est, ut nostra ætate vix Virginianæ congregationis reliquiæ supersint, Pulsanensis vero jamdiu penitus extincta fuit, ut apud supracitatos auctores videre est.

JESU CHR. AN. 1143. Joannes Matera Pulsanæ Congregat fundator. *Bolland. die 28. Junii Mabill. An. Ord. Bened. lib. 77. n. 44*

JESU CHRISTI AN. 1143. CÆLESTINI II. PAPÆ AN. I. MANUELIS COMNENI IMP. AN. I.

1. Viris Principibus hunc annum fatalem fuisse scimus, nam Innocentius Papa, Joannes Comnenus Imp. & Fulco Hierosolymorum Rex, e vivis abrepti sunt. Itaque Innocentius anno 1130. Romanus Pontifex ordinatus, cum per annos tredecim, menses septem, dies novem Romanam sedem tenuisset, ac pro ejusdem juribus, & privilegiis, a domesticis, externisque usurpationibus fortiter certasset, hoc anno, octavo

Innocentii Papæ obitus et gesta.

JESU CHR. AN. 1143. Kal. Octobris seu die 24. Septemb. e vivis excessit; *Et in Ecclesia Lateranensi honorifice tumulatus, in concha porphiretica mira opera constructa*, testibus Bernardo Guidone, & Card. Aragonio in ejus vita; Inter cetera quæ a Romanis civibus sustinuit, ait Aragonensis. *Circa finem Pontificatus, populus Romanus novitatis amator, sub velamento utilitatis Reipublicæ contra ipsius voluntatem in Capitolium Senatum erexit*; Romanos vero adversus eum ob id maxime exacerbatos fuisse narrat Otto Frisingensis, quod Tiburtinis, in quorum perniciem & excidium Romani conspiraverant, Innocentius, justis conditionibus, in suam gratiam recepisset; Hic autem Pontifex ecclesias plurimas in urbe restauravit, ut idem Aragonius refert, ecclesiam scilicet S. Mariæ titulo Callixti, B. Pauli extra muros, S. Stephani in monte Cœlio & Lateranensem præcipue basilicam, in quam multa contulit, ut Joannes diaconus junior ejusdem ecclesiæ canonicus in libro de eadem ecclesia, qui inter cetera adnotat. *Jacet in navi ecclesiæ Innocentius Papa secundus in concha porphyretica, quæ fuit Adriani Imperatoris sepultura. Hic renovavit tectum hujus Basilicæ propriis expensis, novis trabibus, quas gloriosus & potens Rogerius Siciliæ Rex precibus suis eidem Ecclesiæ transmisit: quod videlicet tectum suo tempore cecidit, suoque tempore restauratum est. Turrim etiam ante Ecclesiam, quæ ruinæ vicina videbatur, renovari jussit: atque quam plurima, dum vixit, Ecclesiæ dona ad ornamentum altaris obtulit, cycladem videlicet auro textam*, & alia ibidem descripta.

Murat. script. Ital. tom. 3. p. 436.

lib. 7. c. 27.

Apud Mab. tom. 2. Musei Ital.

Cælestinus Secundus Rom. Pont. ordinatur.

2. Eo defuncto, tertia die transacta, Guido de Castello natione Tuscus Presbyter Card. S. Marci summus Pontifex renunciatus est; Cum enim civile bellum in urbe instaret, ob Senatum invito Innocentio a Romanis instauratum, absque mora unoque consensu electores eumdem elegerunt, die 26. Septemb. ac Cælestinus secundus dictus est; Qui statim de electione sua Cluniacenses certiores fecit, epistola eisdem scripta *Laterani octavo idus Novemb.* qua ait. *Notum facimus dilectioni vestræ, quod Domino nostro bonæ memoriæ Papa Innocentio octavo Kal. Octob. defuncto, & in Lateranensi ecclesia cum maxima cleri, ac populi Romani frequentia tumulato, Cardinales presbyteri & diaconi, una cum fratribus nostris Episcopis sub-*

Cælestini Papæ ep. ad Cluniacenses *Labb. tom. 10. tom. concil. p. 1031.*

subdiaconis, clero, ac populo Romano acclamante, partim & expetente, tertia die in ipsa ecclesia unanimi voto, & pari consensu, me indignum, & prorsus tanti officii imparem, nescio quo Dei judicio, in Romanum pontificem concorditer elegerunt. Ego autem considerans, infirmitatem meam ad Apostolicæ sedis culmen non posse pertingere: onus hoc malui declinare, ne in pastorali regimine, imparis administrationis actione succumberem. Sed quia contraire non est domini disponentis arbitrio, obedienter sequutus sum, quod misericors de me regentis manus voluerit operari &c. & ne tanto oneri succumberet, se eorum orationibus commendat, eosdemque cum rebus suis sub Apostolicæ sedis, & suæ protectione recipere testatur: ejusdem Pontificis extat altera epistola data *Laterani sexto, Kalend. Martii*, Petro Abbati, ejusque fratribus Cluniacensibus Salamanticæ in Hispania degentibus, qua eorum monasterium a Berengario Episcopo, cum Alphonsi Regis consensu fundatum, auctoritate sua confirmat.

Arnulphi Luxoviensis ep. et Petri Abbatis ad Cælesti num. gratulatoriæ. *lib. 5. ep. 6.*

3. Ut vero vulgatum est Cælestinum Innocentio successisse, gratulatoriæ ad eum undique, & præcipue ex Gallia litteræ advenerunt. Inter primos Arnulphus recensetur, qui ex Archidiacono Sagiensi Luxoviensis Episcopus paullo ante ordinatus fuerat, uti testatur Petrus Venerabilis Abbas in Epistola ad Innocentium secundum, qua eum & Episcopatu dignum, & legitime electum & consecratum fuisse ait. Arnulphus igitur, utpote in Romana ecclesia educatus, ut in eadem epistola adnotat Venerabilis Abbas Petrus, ubi Cælestinum a quo diligebatur, in Romanam sedem evectum accepit, epistolam ad eum dedit, qua de adepto Pontificatu gratulatur, eaque Innocentii gesta in Romanæ ecclesiæ administratione, pro regulari, & ecclesiastica disciplina restituenda laudat, ac quantum in ejus obitu luctum conceperat, tantam ob Cœlestini electionem lœtitiam habuisse addit, ac ut vocationi suæ dignis operibus satisfaciat, vehementer excitat. *Quanto, domine, pluribus votis expetitus es*, ait, *quanta faciliore concordia prælectus, quanto majore omnium exultatione susceptus, tanto te Deo, & hominibus intelligis obligatum &c.* his addit. *Venissem autem ad vos nisi circa confirmandam mibi recentem novi Principis gratiam, & resarciendas*

apud Dacheri. tom 2. Spicl. p.505.

 eccle-

JESU CHR. AN. 1143. *ecclesiæ, & domus nostræ ruinas, & curanda germanorum funera gravius occuparer, quibus caussis nec tempus adhuc, nec alacritatem habui, nec expensas*, venturum tamen se spondet, verum Cælestini, post paucos in Pontificatu exactos menses, obitus, ne iter susciperet in caussa fuit, ostensus quippe magis quam datus fuit, vir sane longiori Pontificatu dignus, qui exiguo tempore, quo Petri cathedram tenuit, magna gessit, & pacem cum Ludovico Francorum Rege iniit, & majora pollicebatur.

Cælestinus Papa Ludovicum Regem absolvit.

4. De eodem chronographus Mauriniacensis, narrata Innocentii morte, hæc adnotat, *Cujus honori subrogatus est Cælestinus, qui alio nomine magister Guido de Castellis nominatus est. Hic vero prælatione illa dignissimus erat, quoniam ei tria, quæ inter homines pene habentur præcipua, simul confluxerant, celebremque Magistrum reddiderant. Nobilitas scilicet generis, mentis industria in omni statu æqualis, litterarum quoque, quarum doctrinæ intentissimus fuit, scientia multiformis. Ad hunc Rex noster* (Ludovicus VII. Galliarum Rex) *Legatos pro pace ineunda misit, quam ita dulcissima impetratione obtinuerunt, ut in conspectu illorum, multorumque nobilium, quorum frequentia Roma fremere solet, benigne adsurgeret, manuque elevata signum benedictionis contra regionem hanc faciens, ipsam a sententia interdictionis absolveret*; Quare Robertus de Monte in Chron. accurate hoc anno scribit: *Pax reformatur inter Capuam, & Regem Ludovicum*, recteque etiam Radulphus de Diaceto in Abbreviato Chron. pag. 569. ait per triennium interdictum durasse.

Petri Abbatis Cluni epist. ad Cælestinum. *l. 5. ep. 15.*

5. Petrus quoque Cluniacensis Abbas, acceptis a Cælestino Papa litteris, quibus de electione sua certiorem eum reddiderat, ut supra diximus, exultans spiritu, ac benedicens Deum, gratulatorias ad eum litteras dedit, quas paulo tardius scripsisse excusat, eo quod tarde, & *Vix in vigilia S. Andreæ epistolam vestram mihi, & conventui missam suscepi, atque die ipsa publice in capitulo lectam tam litteratis, quam illiteratis, quos Conversos vocamus, exposui. Audita est, & vere suscepta ab omnibus filiali affectu, quod vobis melius ore proprio, vel nunciorum proxime per Dei gratiam indicabo; Habeo enim omnimodam voluntatem veniendi ad vos, & novum quidem Patrem, sed antiquam amicum amore & honore debito*

to visitabo & negotium quoddam latoris epistolæ commendat; Quam jucundus Venerabili Abbati fuerit nuncius de electione Cælestini in summum Pontificem, tota ejusdem epistola testatur, cujus hoc est initium. *Benedictus Dominus Deus noster, &c.* qui tantum Præsulem Ecclesiæ suæ præfecerat: de pacifica vero, & unanimi electorum concordia in ejus electione hæc adnotat. *Non hoc (ut jam nobis relatum est) humanus fastus, non sibi providens humana cupiditas, non Romanus turbo sæpe auditus, orbemque terrarum suo impulsu concutere solitus, effecit; sed adversa pacificans, diversa uniens, disciffa redintegrans, Spiritus ille qui ubi vult spirat, velut in sibilo auræ tenuis, juxta verbum Domini factum ad Eliam, leniter adimplevit. Gavisi sumus audientes ista, & in immensum cor nostrum exhilaratum est, agnoscentes, non in armis, non turribus, non minacibus agminibus rem divinam tutari, sed sola misericordis Domini manu & suavi protectione ad pacem compositam esse &c.* ac in communi totius Ecclesiæ lætitia, se quoque cum suo Cluniacensium grege præcipue exultasse addit; *Qui obedientiam, qui subjectionem, qui (quod majus est,) dilectionem, quia per se ipsum non potest ore proprio, per has litteras vobis ingerit, & se totum licet absens, sanctitatis vestræ pedibus subiicit.* Hæc, & alia ibidem Venerabilis Abbas.

JESU CHR. AN. 1143. De pacifica Cælestini electione. *Bar. num. 12*

6. Ad eumdem Cælestinum Pontificem litteras quoque suas S. Bernardus Claravallensis Abbas dedit, alteramque addidit ad Romanam Curiam seu *Episcopis, & Cardinalibus Curiæ*, iisque Cælestini zelum adversus Villelmum Eboracensem Episcopum, quem simoniaca labe infectum putabat, excitat. *Oportet vos*, inquit, *secundum justitiam, quæ ex lege est, suscitare semen fratris vestri defuncti, quod digne implebitur, si Papæ Innocentii, cui in hæreditate domini successistis, & defenditis bene gesta, & minus adimpleta perficitis Præ manibus est in quo id licet experiri. Causam Eboracensis ecclesiæ per eum fuisse decisam quis nesciat. At quomodo exequutioni mandatum sit quod egressum est de labiis tanti viri: utinam nesciretur. Quis det ut annuncietur in Geth, neque in compitis Ascalonis, seu utinam res ubique vulgata non esset*; Et iterum in epistola ad Romanam Curiam. *Non ignoratis prolatam esse sententiam*, ait, *a Domino Papa bonæ me-*

Bernardi ep. ad Cælestinum Papam, et ad Rom. ecclesiæ Cardin. *ep. 235. 236.*

JESU CHR. AN. 1143.

memoriæ Innocentio cum vestro, & Romanæ curiæ generali assensu irritam esse Villelmi Eboracensis electionem immo intrusionem, nisi Villelmus alter tunc Decanus, quod objectum fuerat propriæ manus juramento repelleret. Nec vos latuit, quam plena esset sententia non judicii, sed misericordiæ, nimirum cum hoc Villelmus ipse quesiisset. Sed utinam vel ipsa stet, & quod adversus eum factum est, stare non possit. Quid enim non juravit ille, & iste in cathedra pestilentiæ sedit. Quis tribuat ut adversus hanc fornicationem Phinees cum pugione procedat aut vivat in sede sua Petrus, qui spiritu labiorum suorum interficiat impios &c. Hæc, & alia plura ibidem Bernardus, quem falsis rumoribus deceptum Villelmum stylo suo vexasse constat, unde Baronius, re plenius considerata, quæ adversus Villelmum Bernardi auctoritate motus scripserat, retractavit, ut supra anno 1140. adnotavimus; ac usque ad Eugenii Pontificatum indecisa causa remansit, cum interea Villelmus Eboracensi ecclesiæ præesset.

Joannis Comneni Imp. obitus. *l. 15. c. 23. not. 10. hoc an. alibique. Niceta c. 11. Otto Fris. l. 28.*

7. De anno, quo Joannes Comnenus Imp. obiit, vix inter se scriptores conveniunt, nam Gulielmus Tyrius, quem in chronologia gestorum tenenda, usque ad annum circiter 1154., cum in Orientem transiit, parum accuratum fuisse adnotat Pagius, eum anno 1137. mense Aprili, Imperii anno 27. obiisse scribit; Græcorum tamen plerique, ut Nicetas, & cum eo latinorum etiam plures Otto Frisingensis, & Albericus in chronico, hoc anno eum e vivis abiisse scribunt; quorum sententiam Baronius, Pagius, aliique veriorem censent; De ejusdem obitu hæc adnotat Cinamus in fine libri primi; *Moritur in Cilicia Imperator, Imperiumque adipiscitur Manuel qui erat ætatis posterior, sed patri gratior.* His subdit. *Manuel, qui singularis præ ceteris in parentem amore flagrabat, naturæ leges reveritus, demissis oculis, pronoque in pectus capite, profusis lacrymis pavimentum rigavit* (quando nempe pater ejus accersitis Magnatibus eum sibi successorem designavit) *clamydem tamen induens, sumptoque diademate, ab universo exercitu Imperator proclamatur. Joannes vero paucis post diebus moritur, cum totos viginti quinque annos, mensesque septem Romanis imperasset, octavo die mensis, quem xanticum Greci, Romani Aprilem vocant.* Sed loco, *annos XXV.* legendum *annos XXIV.* ut ex dictis supra de Imperii ejus

Manuel Joannis filius Imperium obtinet.

ejus initio constat; Nec sine divini numinis irati signis e vivis ereptum fuisse scimus, cum ex levissimo vulnere sagittæ venenatæ mori coactus fuerit, eo tempore quo Antiochiam a latinis eripere conaretur; ubi repulsam passus, non solum suburbia, agrosque vastavit, sed monachos etiam circumquaque degentes varie afflixit, ut his verbis narrat Otto Frisingensis in chronico. *Anno ab Incarnatione Domini* 1143. *Joannes Calojoanes Imperator qui filio suo Manuel sororem Reginæ Gertrudis desponsando, cum Romano rege Conrado amicitiæ fœdus inierat, ab Antiocheno principe Raimundo, qui ei provinciam illam pro pecunia cum ipsa urbe juraverat, Syriam cum maximo ingressus exercitu, promisso frustratur. Cui venerabilis Episcopus Gabulensis N. in faciem viriliter restitit: cumque ex parte Romani pontificis, & Imperatoris, eo quod præfata civitas a Latinis possideatur, ut ab ejus impugnatione desistat, intrepide commonuit. Ille autem eo quod a principe delusus esset, civitati quidem pepercit, sed totam ferro flammaque depascens provinciam, Eremitas quoque, quorum grandis ibi copia est, de cellulis suis eductos, non, idest boni Joannis officium agens, crudelissime tractavit. Ipse vero non multo post sagittis toxicatis venationi inserviens, ab una earum ex improviso vulneratus, miserrime rex opulentissimus in ipso procinctu diem obiit, ac Manueli filio suo Regnum reliquit.*

JESU CHR. AN. 1143.

l. 7. c. 28.

8. De nuptiis Manuelis cum sorore uxoris Conradi Regis Germaniæ, hæc etiam adnotat idem Otto Frisingensis. *Circa idem tempus Ioannis regiæ urbis Imperatoris apocrysarii viri clarissimi, Romanorum Principem adeunt, tam confœderationis vinculum ob Rogerii Siculi insolentiam, inter duo imperia, Hesperiæ videlicet, & Orientis, renovare cupientes, quam in hujus rei argumentum aliquam regalis sanguinis puellam filio suo in uxorem dandam, postulantes. Princeps compartis suæ sororem potius illi destinavit: in hujusque rei confirmationem venerabilem Herbipolensem episcopum Embriconem virum prudentem & litteratum, in Græciam misit. Joanne jam mortuo, sedenteque in urbe filio suo prædicto Manuel, qui omnia sapienter & solerter ordinans, nuptias proxima post Epiphaniam hebdomada, in urbe regia celebrari cum fastu & decore regio persuasit. Et ipse non paucis ibi diebus* ad

Manuel Imp. cum Conrado fœdera.

Otto de gestis. Friderici l. 1. c. 23. 24.

Jesu Chr. an. 1143. *ad promotionem hujus, & aliorum regni negotiorum manens; dum remigando ad patriam redire cogitaret, multis Græcorum xeniis honoratus & oneratus, apud Aquilejam vita decessit;* hisque subdit epistolas hinc inde scriptas, Conradi scilicet ad Joannem datas, Joannis ad Conradum, & alteram Conradi ad Manuel post Joannis obitum, quas exscribere longum esset ac in eam rem addit Frisingensis in chronico. *At* lib. 7. c. 18. *Manuel ad Regnum sublimatus nuncios ad regem Conradum cum pretiosis muneribus, sicut prius pater ejus fecerat, dirigens, fœdus renovavit*, adversus Rogerium præcipue, *utriusque Imperii invasorem*.

Aliæ Joannis Comneni Imp. Ep. ad Honorium Papam.

9. Præter has epistolas de nuptiis, & fœdere ineundo a Joanne Comneno ad Conradum datas, vel Conradi ad Joannem quas Otto Frisingensis refert, aliæ ejusdem Imperatoris extant, ab eruditissimo Pepani editore Amadutio t. 1. p. 369. in appendice insertæ. Harum prima ad Honorium secundum data est ante annum 1100., eaque de reintegranda inter latinos, & Græcos concordia agit, ac Pontificem, ut tanto operi manum daret excitat, duas quippe potestates a Deo in terra constitutas fuisse ait, spiritualem scilicet Apostolis, ejusque successoribus datam, & temporalem terræ Principibus tributam, quæ quidem & si distinctæ sint, *Unitæ atque connexæ commodiores fiunt, altero alterum adjuvante, & supplente utroque alterius defectu*, deinde post aliqua. *Tua vero beatitudo recte præstans rebus competenter satage copulare utraque, velut hoc etiam per prudentissimos legatos tuæ Sanctitatis pure cognoverimus, quibus potestatem de inter nos familiarissimæ unionis convenientiis libere tradidit*, eaque de causa se quoque illustres ad eum viros misisse addit; Alteram ad eumdem Pontificem dedit, cum scripturam quamdam de pace concordiaque ineunda Joannes Imp. accepisset, cujus consilium impense laudans, post plurima subdit. *Hoc tuæ sanctitatis laudabile divinumque vere studium. atque consilium Imperium quoque nostrum gratum habens, & veneratione dignum judicans, ad præsentem respexit scripturam &c.*, qua sicuti Pontifex sensus suos ei significaverat, ita Imperator *Modum acceptionis*, ait, *certius agnoscens per missum illuc illustrissimum, & fidelissimum hominem nostræ piæ mansuetudinis:* quod tardius rescripserit, excusationem petiit, ac se orationibus

bus ejus commendat, ac munera mittit, quorum ibidem mentionem fecit, vix tamen exitum hæc habuisse scimus sive ob immaturum Honorii obitum, sive ob bellum adversus Græcos ab Rogerio seniori susceptum, unde inter latinos, & Græcos dissidia prorogata sunt; de epistolis a Manuele Joannis filio, & successore ad Alexandrum tertium Pontificem, & ad alios datis infra suo loco sermo fiet.

JESU CHR. AN. 1143.

10. Eodem fere tempore, quo Joannes Comnenus Imp. obiit, Leo quoque Constantinopoli Patriarcha, Stopiota dictus e vivis ereptus est; Hinc Manuel Imperium adeptus, & urbem cum pompa ingressus, *Facta re divina pro declaratione, & imperii auspiciis, de Patriarchici throni successore, & ecclesiasticæ functionis gubernatore, a quo in Templo domini corona imperatoria ornaretur, deliberat*; *Nam Leo Stopiota morte rebus humanis exemptus erat*, ait Nicetas, Consilio itaque inito, Michael Acuti monasterii monachus eligitur, qui Imperatorem unxit, & coronavit. Vir, ut ait Cinamus in sua historia, *liberalibus disciplinis humanioribusque litteris quidem imbutus, ac morum elegantia, rerumque divinarum scientia nemini inferior, unusque ex iis quorum ea ætate virtus erat maxime conspicua*.

Michael Constantinopoli Patriarcha Leoni succedit.

Nicet. Annal. in Manuel.t.1.pag. 36.

l. 2.c.1.18.

11. Sub Leone Constantinopolitano Patriarcha Michaelis antecessore concilium adversus hæreticos Bogomilos dictos congregatum, ibique damnatos fuisse anno 1140. narravimus, verum cum eadem zizania excrevisset, alteram hoc anno Michael synodum ibidem congregavit, in qua Clemens Sasimorum Episcopus, & Balbissa Thianensis, tamquam contra canones ordinati, et Bogomilorum hæresi suspecti, vel etiam infecti damnati sunt, in ordinatione quippe eorum ecclesiæ canones, seu ut ait synodus, Apostolorum canon violatus fuerat, eo quod ab uno tantum Episcopo ordinati fuerant, cum a duobus, vel tribus saltem Episcopis ordinatio peragenda esset. Ex scriptis vero eorum synodo oblatis, Bogomilorum hæresi infectos fuisse, seu Messalianorum dictum est, hæc quippe docebant; *Maritis abstinendum a legitime sibi conjunctarum mulierum consuetudine, carne item, & lacte, & vino per tres annos, quibus decursis, sine ullo peccato illis uti fruique omnimodis posse, item neminem secularem salvari, licet omnis virtutis viam iniverit, nisi*

Michael Constantinopoli Patriarcha concilium adversus Bogomilos celebrat.

Concil. edit. noviss. t.21. pag. 583.

JESU CHR. AN. 1143.

Monachus fiat, qui sacris initiati sunt, per septem dies a mutuo commercio impediri; Tondere licere homines invitis uxoribus, & uxores invitis maritis; Nonnullos Christianos demortuos insepultos, & absque cantu negligere, & neque vivos eosdem in pœnitentiam admitti; effodere, proiicereque Christianorum reliquias, tum intra, tum extra Ecclesiam repositas. Peccatores esse affirmant, qui fato functi sunt, & Dæmones in defunctorum corporibus habitare: nullo modo permitendam esse Crucis adorationem, nisi inscriptum habeat, Jesus Christus Filius Dei. Rebaptizasse & filios Christianorum, dicentes, peccatores esse, qui baptizarunt: & ordinasse mulieres Diaconissas, quibus consuetas Ecclesiæ petitiones facere permittunt, & sanctorum Evangeliorum lectionem, easque cum eodem Clemente Missæ sacrificium celebrasse: sanctas contrivisse imagines. De Cruce magni Archistrategi innumera miracula faciente dicunt, ea ex Diabolica operatione fieri: anathematizasse Deum in quem credebant &c. Hæc, hisque similia cum iis objecta essent, ac *ut ad hæc responderent*, cum plene non satisfecissent, etsi quædam in gestorum suorum excusationem protulissent, anathemati damnati sunt, ut ibidem videre est. Synodi acta cum aliis iu eam rem gestis Leo Allatius vulgavit, lib. 7. cap. 12. de consensu orientalis, & occidentalis ecclesiæ.

Clemens, & ScantiusSasimorum, & Balbissa Episcopi damnantur.

Nipho Monachus Sectæ Bogomilitæ damnatur.

12. In eadem Constantinopolitana synodo, seu ejusdem synodi sessione altera Nipho quidam monachus ejusdem Bogomiliticæ hæresis sectator, & propagator anathemate damnatus est *Octobris die sexta, indict. septima*, & in monasterium Peribleti relegatus, inde vero die tertia Februarii anni proximi, ut in locum remotiorem ablegaretur, statutum est, ut ibidem *Quiete agat, & a nemine visitari, ne pestis illius in alios quoque derivetur*. Synodi quoque hujus, seu sessionis Constantinopolitanæ sequenti anno celebratæ gesta ab Allatio vulgatæ, cum duabus aliis synodis Constantinopolitanis contra eamdem hæresim anno 1140. & labenti celebratis in novissimam conciliorum editionem insertæ sunt, quare plura ibidem videri possunt.

Fulconis Regis obitus, cui Balduinus 3. succedit.

13. Anno proximo 1142. Idibus Novembris Fulconem Hierosolymorum Regem obiisse cum Baronio scribit Pagius, at ad labentem usque 43. vixisse. Fulconem Mansius scribit, pro-

probareque contendit, de quibus nihilominus litem nemini intentamus; Hic autem, ut narrat Tyrius, cum Acconæ esset, dum leporem venando persequeretur, ab equo præcipitatus vix alitum trahens Acconam delatus, quatriduo post obiit, ac inde Hierosolymam translatus, honorifice ibidem in ecclesia Dominici Sepulchri, ubi antecessores ejus delati fuerant, & ipse, Gulielmi Hierosolymorum Episcopi opera, sepultus est; Moriens Fulco duobus liberos impuberes reliquit, Balduinum primogenitum annorum tredecim, & Amalaricum septennem, *Reseditque regia potestas penes dominam Milisendem Deo amabilem Reginam, cui jure hæreditario competebat*, ait Gulielmus Tyrius, qui libri sequentis initio, de Balduini tertii Regno sub matris tutela, deque ejusdem animi, vel corporis dotibus, deque moribus, & conversatione stylo fusiori agit, ejusdemque gesta tum laude, tum vituperatione digna in adolescentia commemorat, ac solemniter in ecclesia S. Sepulchri a Gulielmo Episcopo inauguratum fuisse tradit. *Quarto idus Novemb. proxime subsecuto Dominici natalis die Anno Dominicæ Incarn.* 1141. *Præsidente S. Rom. Ecclesiæ Domino Eugenio Papa tertio*, in quo sane, vel in anno fallitur, nam Eugenius anno tantum 1145. Romanus Pontifex creatus fuit.

JESU CHR. AN. 1143.
Pag. not. 3. an. 1142.
Gull. Tyr. l. 15. in fine.
lib. 16.

14. Cum Regni administrationem Melisendes Fulconis vidua suscepisset, Bernardus Claravallensis Abbas, qui pro modulo suo Occidentalis æque ac Orientalis Ecclesiæ sollicitudinem gerebat, ad eam continuo litteras dedit, quibus eam ad rectam Regni administrationem excitavit. Post aliqua hæc addit. *Mortuo Rege viro tuo, & parvulo Rege adhuc minus idoneo ad portanda negotia Regni & ad prosequendum regis officium, oculi omnium in te respiciunt, & in te solam universa regni moles inclinata recumbit. Opus est, ut manum tuam mittas ad fortia, & in muliere exhibeas virum, agens ea quæ agenda sunt in spiritu consilii & fortitudinis. Ita prudenter & moderate oportet te cuncta disponere, ut omnes, qui viderint, ex operibus regem te potius, quam reginam existiment, ne forte dicant in gentibus, ubi est Rex Judeorum &c.* eamque ut fortiter ageret, ac ut in Deo confideret, hortatur. Epistola altera paulo post data Præmonstratenses monachos Hierosolymam peregrinantes com-

Bernardi epist. ad Melisendem Reginam Hierosolym. *epist.* 354. 355.

Jesu Chr. An. 1143. epist. 206.

mendat, eosdemque laudat, & iterum altera epistola juvenem quemdam consanguineum suum illuc peregrinantem & ut ceterorum curam haberet, hortatur. *Peregrinis*, ait, *egenis, & maxime inclusis curam impendite, quia talibus hostiis promeretur Deus &c.* & ut in terris ita viveret ut in æternum cum Christo regnare posset admonet.

Bernard. litteræ hortatoriæ ad eamdemReginam Hierosol. ep. 209.

15. Post annos aliquot, cum multo tempore nullas ab Milisende litteras S. Abbas accepisset, ac quædam audisset, quæ famam ejus lœdere poterant, etsi hæc falsa ab avunculo suo Andrea, qui inter Templi milites illustris erat, didicisset, datis ad eam iterum litteris, post annum 1050. eamdem de vita recte instituenda admonuit; *Audivimus*, ait, *fateor, nescio quæ sinistra, quæ etsi non pro certo credidimus, doluimus tamen sive veritate, sive mendacio tuam aliquatenus decolorari opinionem. Sane intervenit Andreas carissimus avunculus meus, cui in nullo decredere possumus, scripto suo nobis significans meliora: quod scilicet pacifice & mansuete habeas, sapienter & consilio sapientium te, & tua regas; Fratres de Templo diligas, & familiares habeas, periculis imminentibus terræ, secundum sapientiam tibi a Deo datam, salutaribus consiliis & auxiliis provide & sapienter occurras. Talia prorsus, talia decent opera mulierem fortem, humilem viduam, sublimem reginam. Neque enim quia regina es, indignum tibi viduam esse, quod si voluisses non esses. Puto quod & gloria tibi est, præcipue inter Christianos, non minus vivere viduam, quam reginam. Illuc successionis est, hoc virtutis: illud tibi ex genere, istud ex munere Dei: illud feliciter nata es, hoc viriliter nacta. Duplex honor, alter secundum sæculum, alter secundum Deum: uterque a Deo. Nec parvus tibi videatur honor viduitatis, de quo Apostolus: Honoravi duas,* quæ vere viduæ sunt &c. Hæc, & alia ibidem Bernardus, hujus temporis pro domo Dei, seu Ecclesia zelator eximius, cujus epistolas ad Milisendem Reginam diverso tempore datas, hoc anno, quo eamdem Regni administrationem accepit, simul commemorandas putavimus.

Concilium Londinense contra violatores rerum, & personarũ Ecclesiæ.

16. Dum civili bello tota exarderet Anglia, ut supra diximus, ecclesiæ quoque statum turbatum fuisse scimus, ita ut ecclesiæ bona, ac cujuslibet ordinis clerici secularium injuriis, direptionibusque passim expositi erant; ut igitur tantæ licen-

licentiæ frænum injiceretur, Londini hoc anno concilium præsente Rege Stephano celebratum est, uti his verbis narrat Rogerius in annalibus. *Anno gratiæ* 1143., *qui erat annus octavus Regni Regis Stephani, Rex Stephanus interfuit concilio Londoniæ in media Quadragesima. Quo quia nullus honor vel clericis, vel ecclesiæ Dei a raptoribus deferebatur, & æque capiebantur & redimebantur clerici ut laici, tenuit idem Vintoniensis Episcopus Urbis Romanæ legatus concilium apud Londoniam, clericis pro tempore necessarium: in quo sancitum est, ne qui alicui clerico violentas manus injecerit, ab alio possit absolvi, quam ab ipso Papa, & in præsentia ipsius. Unde clericis aliquantulum serenitatis vix tandem illuxit*; Eadem fere ad hunc annum, vel proxime elapsum de Londoniensi synodo narrat Matthæus Paris.

Jesu Chr. an. 1143. Vilkins conc. brittan. tom. 1 pag. 422. Labb. tom. 10 pag. 1033.

17. Synodum quoque Moguntiæ ab Henrico Moguntino Archiepiscopo hoc anno celebratam fuisse adnotat Mansius, cujus hactenus nulla in collectionibus conciliorum occurrit mentio, memoria tamen ejus extat in diplomate ejusdem Henrici pro componenda lite de prælio quodam inter monachos Erfarrenses, & Disibodengenses · *Anno Dominicæ Incarn.* 1143. *Indict. 6. regnante Conrado hujus nominis tertio*.

Moguntina synodus.

18. Hoc etiam anno quinto Kal. decembris, Conventus Episcoporum, & Procerum congregatus est, in quo a Raimundo quarto Comite Barcinonesi, & Aragoniæ Rege nova militia constituta est, ad defendendam occidentalem ecclesiam, seu Hispanicam a Saracenorum infestationibus, ita tamen, ut eadem Templi militibus Hierosolymitanis subjecta esset: eam ob rem Raimundus castra quædam Roberto Magistro militum Hierosolymitanorum concessit, ut ex litteris ea de causa datis constat, quas Balutius in appendice ad Marcam hispanicam retulit, unde in novissimam conciliorum editionem illata sunt tom. 21. pag. 604. Tota rei gestæ series illis exponitur; *Quod est actum*, ut ibidem legitur, *quinto Kal. Decem. apud Gerundam Domino Guidone S. R. E. Cardinale diacono & legato, celebrante conventum in præsentia omnium subscriptorum. Anno Domini Incarn.* 1143.

Gerundense concilium novam militiam contra Saracenos instituit.

19. Dum Germaniæ Rex Conradus cum Guelphone ob Ducatum Bojaricum bellum gereret, ut Dodechinus, Otto Frisigensis narrant, Italiæ urbes, Germanico excusso jugo, & li-

Tota Italia civili bello vastatur.

JESU CHR. AN. 1143. & libertatem adeptæ, mutuis se cladibus afficiebant; *His diebus*, ait Otto, *propter absentiam Regis Italiæ*, seu Corradi; *Veneti cum Ravennatibus, Veronenses, & Vicentini cum Paduanis & Tarvisanis, Pisani, & Florentini cum Lucensibus, & Senensibus atrociter debellantes, totam pene Italiam cruore, prædis & incendiis permiscuere. Præter enim ea, quæ supra diximus Paduanis priori anno illata incommoda, Veronenses, & Vicentini sequenti anno castella, vicos & agros Tarvisiensium ferro flammaque vastavere. Veneti etiam, ac Ravennatenses plurima mala terra marique alterutrum intulere: at Pisani, & Lucenses propter nimiam viciniæ opportunitatem, indefesso furore bellantes, ruinæ suæ omnes Tusciæ vires implicuere. Nam et Florentini una cum Marchione Terræ Ulrico, usque ad ipsas portas Senensium procedentes, suburbia ejus cremaverant. Senenses vero numero, et viribus impares se cognoscentes Florentinis, Lucensium auxilium flagitant. Lucenses tam pro ipsis, quam pro Comite Guidone Guerra, qui et ipse cum Florentinis atrox bellum gerens, eos adierat, Florentinos hostes pronunciant. Illi autem Pisanis adjuncti, non solum Lucenses bello attentant, sed & castella, oppida, agros præfati Comitis incendio et rapina devastant. Senenses etiam, qui ad vastandum agros eorum egressi fuerant, insidiis a tergo positis, vix paucis fuga elapsis, captivant. Porro ex Pisanis, et Lucensibus non tantum plurimi ferro cæsi, compendio mortis miseriam miserabiliter terminavere, sed et innumerabiles utrobique comprehensi, ac longe (ut ipse vidi) carceris inedia & squallore macerati, omnibus prætereuntibus lacbrymabile humani casus in spectaculum se præbent*, ait is auctor.

Dodec. in chron. Marian. Otto Frising. l. 7. cap. 26.

Cassinense monasterium a Rogerio Rege direptum.

20. Et ne Italiæ locus a belli calamitatibus immunis esset, Rogerius Rex Siciliæ, Apuliæque Dux, Marsicanam provinciam usque ad Arcem filiorum suorum opera invasit, ut Joannes a Ceccano narrat. Idem vero Rogerius Rex Cassinum transiens, barbarorum exempla imitatus, omnem inde thesaurum abstulit. *Rex iterum ad hunc locum venit*, ait auctor anonymus chronici Cassinensis, *Terra Marsorum se ei tradidit: Thesaurum hujus loci omnem cum tabulis ante Altare tollit, præter Crucem majorem cum ciborio, & tribus tabulis altaris*, quæ ut verosimile est argenteæ erant.

apud Murat. scr. Ital. tom. 5. pag. 64.

21. De

21. De origine ordinis Theutonicorum equitum, variæ occurrunt scriptorum sententiæ, ac passim circa annum 1190. exortum fuisse scribunt, annoque sequenti 1191. ab Cælestino tertio Papa confirmatum, verum ut in historia ordinis Hierosolymitani eruditus vir Paulus Antonius Pauli adnotat, longe antea, & circa annum 1130. Theutonicorum ordo originem habuit, ita tamen, ut Hierosolymitano Magistro subesset, quod ex Gregorii noni bulla a Sebastiano Pauli in Codice diplomatico ordinis Hierosolymitani edita confirmat junior Pauli Sebastiani nepos in historia originis ordinis Hierosolymitani; Atque hunc Theutonicorum ordinem, ex Hierosolymitano prodiisse, ejusque ramum quodammodo fuisse contendit. Aucto enim Hierosolymitano ordine, Theutonicorum plurimi, eidem adscripti, ut Theutonicæ nationis peregrinis in loca sancta adventantibus subvenirent, eosque in itinere cum opus esset, tuerentur, novum Hierosolymis hospitale erexerant, idque ut coniicit Paulus Pauli inter annum 1124. & annum 1130., cumque temporis tractu, & circa annum 1143. Hierosolymitanis equitibus subesse Theutonici numero, & potentia, vel divitiis aucti recusarent, Cælestinus secundus lites inter Hierosolymitanos, & Theutonicos sub certis conditionibus componere curavit, quas iterum excitatas anno 1154. Hadrianus Papa quartus extinguere conatus est. Cumque in sua sententia Theutonici perseverarent, seque omnino ab Hierosolymitanis sejunxissent, ad Gregorium nonum quærelas suas Hierosolymitani detulerunt, anno 1240. ad Theutonicos bullam dedit, qua jubebat, ut aut justis Hierosolymitanorum equitum postulationibus satisfacerent, aut rationem redderent; Irritam nihilhominus hanc Gregorii noni sollicitudinem, pro ineunda inter eos concordia fuisse certum est, nam jamdiu se se Theutonici ab Hierosolymitanorum jurisdictione, & potestate subduxerant, fortasse sub Clemente, & Cælestino tertiis, circa annum 1190. Unde factum est, ut ejusdem ordinis originem anno 1191. scriptores passim adscripserint. Hinc interpolator chronici Aquicinctini ad annum 1191. scribit. *Ordo Theutonicorum militum inchoatur, quem anno 1191. Febr. die 22. Cælestinus Papa confirmavit. Primus hujus ordinis Magister creatus fuit Henricus Vvalpot.* De ejusdem ordinis institutione hæc

Jesu Chr. an. 1143.

De origine ordinis Equitum Teutonicorum.

Baron. Pagius an. 1198 Heliot. hist. ordin. relig. tom. 3. an. 1143. tom. 1. pag. 272.

Jesu Chr. an. 1144. hæc etiam narrat Nauclerus. *Anno Domini* 1191. *apud Accon, seu Ptolemaidis, quidam Bremenses, & Lubecenses cives, hospitale in honorem Beatæ Mariæ Virginis ad infirmorum opus tempore obsidionis ex velis navium fecerunt, obtinuerunt auxilio Friderici Ducis Sueviæ a Cælestino Papa, cooperante ad hoc Henrico*, qui hoc anno, Friderico successit, *Rege Romanorum ordinem istum sub titulo Hospitalis B. Mariæ Virginis domus Theutonicorum in Jerusalem confirmari*; *Ex eo tempore incœpit habere magistrum ordinis generalem prosapia nobilem*: omnium primus, ut diximus, fuit Henricus Vvalpot; Ex hac autem confirmatione, ab Cælestino concessa, ordinis hujus initia scriptores plurimi statuerunt, cum hactenus ab ejusdem institutione ad hæc tempora, Magistro, & regulæ Hierosolymitani ordinis subesset, uti jam supra adnotavimus, eamdemque regulam cum circa infirmorum curam, tum ad pugnandum contra Saracenos cum Hierosolymitanis retinuerunt, crucem tamen nigram in albo vestitu Cælestini Papæ jussu ferebant. Quot quantosque post hac progressus hic ordo fecerit, cum præsertim desperatis jam in Oriente rebus, in Germaniam transierunt, quotque barbaras et Septentrionales nationes armis suis subegerint, totum scilicet Brandeburgicum tractum, cum Livonia, Curlandia aliisque regionibus infra dicturi sumus, at viribus, divitiis, regnisque auctus, in effrænem superbiam elatus mutuis inter se primum contentionibus aliisque vitiis foedatus est, cumque Lutherana hæresis Septemtrionales regiones infecisset, Theutonici equites una cum Magistro Generali Brandeburgico Duce eamdem passim secuti sunt, & vix reliquiæ aliquot catholici hujus ordinis supersunt.

Pag. not. 2. an. 1198. Naucl. t. 2. chronol.

JESU CHRISTI AN. 1144. LUCII II. PAPÆ AN. 1. MANUELIS COMNENI IMP. AN. 2.

Clementis Papæ obitus

1. Mensibus quinque cum diebus 13. vel 14. in Pontificatu exactis Cælestinus Papa, *septimo Idus Martii*, vel ut aliis placet, octavo, *obiit*, & sepultus est in Laterano, ut Vido, & Aragonius in ejus narrant, cujus nonnullæ ad huc supersunt epistolæ, de scriptis ab eo cum vix Pontifex ordinatus fuisset anno proximo egimus; His tres ad-

addendæ sunt, quarum prima Toletano Archiepiscopo inscripta, jubet, ut parochiæ quædam ab Asturicensi Episcopo usurpatæ absque ulla dilatione Auriensi Episcopo restituerentur, sicut ab legato suo jussum fuerat; Si quid vero juris in eas Asturicensis ecclesia se habere contenderet; *Congruo loco, & tempore, ait, in tua præsentia utriusque partis causa audiatur, & terminetur &c.* Altera ad Gerhoum Recherspengensem Abbatem data est, qua eum ab adversariis suis multa sustinentem consolatur, et ut ad se veniat, invitat. Tertia ad Alvisum Atrebatensem episcopum directa, qua causam matrimonii initi ab Stephano illustri Blesensium comite cum filia Theodorici nobilis Flandrensis Comitis, ad Apostolicam sedem suumque judicium reservat, ut ibidem videre est.

Jesu Chr. an. 1144.

Labb.Concil. tom.21. pag. 590. noviss. edit.

2. Triduo ab Cælestini obitu vix exacto, Lucius secundus Romanus Pontifex electus, et ordinatus fuit, qui antea Gerardus Caccianimicus dicebatur, patria Bononiensis, patre Alberto, ut ait *Guido, vel Alberio* ut scribit Aragonensis, seu patre Alberto urso genitus professione Canonicus regularis, ab Honorio secundo Cardinalium collegio inscriptus, vir sane tanta dignitate dignus. Cur vero tam cito successor defuncto Pontifici datus fuerit, tum dissidia cum Rogerio Apuliæ duce, cum turbæ in ipsa urbe excitatæ, in causa fuerunt. Arcis quippe Oppidum ab Rogerii filiis occupatum fuisse anno proximo diximus, at *Rex Rogerius audiens promotionem Lucii Papæ gavisus est valde*, ait Romualdus Salernitanus in chronico, *eo quod compater, & amicus ejus extiterat, qui statim missis nunciis suis prædicto Papæ, pro more usque Gajetam veniens, ei apud Cepranum occurrit*, cum quo, ut subdit, Pontifex pacem iniisset, nisi Cardinales restitissent, unde re infecta discesserunt, et indignatus Rex in Siciliam rediit, filius vero ejus Rogerius Apuliæ Dux in Campaniam transiens, Ferentum usque, seu Ferentillum in Hernicis depopulatus est, et cepit, ait is auctor; De turbis vero in urbe excitatis, jam supra adnotavimus sub finem Pontificatus Innocentii secundi Romanos scilicet cives Senatus auctoritatem restituere conatos fuisse, cui etiam Patricium addere hoc anno præsumpserunt; *Non multo post* Lucii nempe in urbem reditum, ait idem

Lucius secundus Pontifex ordinatur.

Lucius Papa de pace ineunda cum Rogerio egit sed frustra.

Murat. tom. 7. p. 191.

Jesu Chr. An. 1144.

idem Romualdus; *Populus Romanus contra voluntatem ejusdem Papæ, Jordanum filium Petri Leonis in Patricium promovit, et Senatores de novo in urbe creavit,*

Lucius Papa ab Romanis vexatus, ab Corrado auxilium postulat.

Otto lib. 7. cap. 31. pag. 157.

3. De Romanorum rebellione adversus Pontificem excitata, cujus causa a Corrado Rege auxilium Pontifex petiit, hæc narrat Otto Frisingensis in chronico: *Per idem tempus Lucius Papa vir pro mansuetudine, et humilitate sui officio Sacerdotali dignus, Cælestini qui non plene sex mensibus sederat, successor gravem a civibus persecutionem passus, humiles ad Regem Conradum tam suam oppressionem continentes, quam de incolumitate, & prosperitate ejus Deo gratias agentes, ipsumque ad patrocinium Rom. Ecclesiæ invitantes litteras misit, his verbis conceptas: Populus Romanus nullas insaniæ suæ metas ponere volens, Senatoribus, quos antea instituerat Patricium adjiciunt, atque ad hanc dignitatem Jordanem Petri Leonis filium eligentes, omnes ei tamquam Principi subiiciuntur, deinde Pontificem suum adeunt, ac omnia regalia ejus tam in urbe, quam extra posita ad jus Patricii sui reposcunt, eumque*, idest Pontificem, *more antiquorum Sacerdotum de decimis tantum et oblationibus sustentari oportere dicentes, de die in diem animam justi affligere non timuerunt*; Quare Lucius *quotidianis cruciatibus, ac tædio vitæ affectus infra anni spatium Pontificatus sui diem obiit*, & Eugenium successorem habuit, ut anno sequenti dicturi sumus. Quemnam hæc exitum habuerint, non constat; aliquot post annos circa annum 1150.. Senatus populusque Rom., cum Eugenius Romanam teneret sedem adversus Pontificem rebellis, urbis possessionem Corrado obtulit, ab eoque auxilia, datis litteris, postulavit, quarum infra sermo fiet.

Petri Abbatis Epist. ad Lucium Papam, & Lucii ad Petrum.

lib. 5. Epist. 18. 19.

4. Lucium Pontificem adierat Petrus Ven. Abbas, ad suos deinde reversus, litteras ad eumdem scripsit, quibus de sua, suorumque Cluniacensium benevolentia certiorem reddidit, ac an menachos suos ad urbem mittere deberet, expostulat; *Hoc autem a vobis mandari postulo.* ait, *utrum pro ut mihi Romæ a majestate vestra iniunctum est duodecim fratres cum tertiodecimo, qui eis in Abbatem præficiendus sit usque ad festum S. Andreæ Romam mittere debeam, nam hoc vestro suscepto mandato, statim eos ad iter para-*

parabo. His respondens Pontifex, de gestis abs se cum Rugerio agit, ac tribulationibus circumdatum se esse testatur *Dilectionis tuae litteras, debita benignitate suscepimus, & petitiones tuas, quae nobis, & fratribus nostris rationabiles visae sunt, libenter admisimus. De statu vero nostro te sollicitum cognoscentes, scire te volumus, quia omnipotens Dominus sua nos gratia visitavit, castigans, castigavit, sed morti non tradidit. Per ipsius misericordiam convalescimus, & pristinam sanitatem in brevi nos recepturos speramus. Ad colloquium Regis Siciliae condescendimus; & quia ad honorem Dei, & Ecclesiae suae firmam pacem cum eo facere non potuimus: instante tamen ipsius violentia nos cogente, treguam cum eo composuimus. Placet autem nobis, ut sicut literis tuis significasti, tresdecim de fratribus tuis, quam citius poteris ad nos transmittas: quia nos, Domino auxiliante, eos honeste recipere, & ad honorem Dei, & Cluniacensis ecclesiae collocare curabimus. Sanctam Congregationem vestram pro nobis orantem gratia divina custodiat, & ab omnibus peccatis absolvat. Datum Laterani decimo Kalendas Octobris*. Extat altera ad eundem abbatem anno proximo epistola, in qua Cluniacensi congregationi Monasterium S. Sabae in urbe tribuit; ut ibidem monasticam disciplinam, jamdiu collapsam restitueret, quod etiam confirmatur ex aliis ejusdem Petri litteris ad Eugenium Lucii successorem, eaque narrat monachos ex Sancti Sabae monasterio pulsos atque verberatos, benigne ab Pontifice susceptos fuisse, his verbis. *Unde hoc tam antiquo usu, quam jam experta erga nos in expulsione Fratrum nostrorum de S. Sabba, pastorali dilectione ac studio vestro; quos ejectos suscepistis, desoltos aluistis, verberatos confovistis, &c.* a quibusnam vero haec passi sint monachi an ab Arnaldistis, vel ab indisciplinatis monachis incertum est; extat & altera epistola, seu diploma ejusdem Lucii Pontificis ad eumdem Petrum, cui post Pontificem Cardinales Rom. Ecclesiae Episcopi, Presbyteri, & Diaconi subscripserunt, ac datum dicitur Laterani per manum Baronis, eaque epistola inmunitatates, & privilegia ab praedecessoribus suis, quorum ibidem nomina recensentur, Cluniacensibus data, confirmat, ut ibidem videre est.

Labb. concil. tom. 21. noviss. edit. epist. 1. 5. et 6.

Jesu Chr. an. 1144. Lucii Papæ epist. ad Raimundum de Primatu Toletano. *Concil. tom. 21. epist. 3. 4.*

5. Inter Lucii epistolas altera ad Raymundum Toletanum Archiepiscopum data est, qua eidem, & successoribus in Toletana sede Primatus dignitatem in tota Hispania tribuit seu potius confirmat, ac Toletanum Archiepiscopum, pro causa qualibet, soli Apostolicæ sedi subesse decernit, eodemque tempore ad Archiepiscopos, & Episcopos Hispaniarum scribens, ut ei tamquam Primati parerent, jussit; utraque Laterani data est, tertio Idus Maji Indict. septima anno Incarnationis 1144. seu hoc anno.

Lucii Papæ epistolæ in Gallias. *tom. 21. epist. 7. 8. 9. 10.*

6. Plurimas quoque in Gallias epistolas Lucius Papa brevissimo Pontificatus sui tempore misit, prima ad Abbatem S. Germani Antissiodorensis inscripta est undecimo Kal. Aprilis, eique jubet, ut causam cum Vizeliacensi Abbate componeret, ac interea per vim ablata restitueret, ad Pontium postea Vigeliacensem Abbatem scribens, sexto Idus Aprilis, quieti, & incolumitati monasterii ejusdem consulens, ab eodem monasterio, vel Burgo arcendos omnino eos esse jubet, qui participes olim homicidii Artaldi abbatis fuerant, Comitem etiam Nivernensem epistola altera admonuit, ut *Stratam quam de Vigeliaco diceris abstulisse, & alio divertisse, ad prædictum locum restituas*; Eodemque fere tempore ad S. Bernardum Clarevallensem abbatem scribens eum rogavit, ut Nivernensem Comitem admoneret, ne occasione qualibet, Pontio abbati, vel monachis Vigeliacensibus molestiam inferret; *Ideoque per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus eumdem Comitem ex nostra parte diligenter commoneas, ut pro B. Petri reverentia, cujus juris idem monasterium esse dignoscitur, ab hujusmodi exactione desistat, aut in præsentia venerabilium fratrum nostrorum A. Hostiensis, & S. Tuscul. Episcoporum, Apostolicæ sedis legatorum, juxta tenorem sedis Apostolicæ privilegiorum, quod justitia dictaverit, ab eodem Abbate recipiat. Quod si hoc recipere noluerit ipsum monasterium tam injuste opprimi pati non poterimus, & quod nostri interest officii, autore Domino faciemus. Datum Laterani 13. Kal. Decemb.* Ad Atrebatensem quoque, & Morinensem Episcopos scribens, Valterum quemdam de Verdone ad se venisse ait, ac quærelas detulisse, eo quod dum Hierosolymam profectus esset, ab eorum parochianis damna in possessionibus suis, et prædiis, habuis-

Epist. 10.

Concil. novis. edit. tom. 21. p. 617.

habuisset, Pontifex itaque jubet, ut censura canonica ad damna reficienda eosdem cogeret, ac data dicitur 13. *Kal: Julii Ceprani*, quo loco Lucius cum Rogerio Rege colloquium habuit, ut supra diximus; Decimo autem sexto Kal. Julii ad Attrebatensem, & Cameracensem Episcopos scribens, ut causam matrimonii Ebraldi de Britolio cum consanguinea initi, a cujus consortio tunc sese disjunxerat, alteramque duxerat, cognoscerent, & judicarent jubet, & excomunicationem contra eos olim latam relaxarent. Hæc, & alia ibidem, sicque maximam sollicitudinem pro ecclesiarum incolumitate, justitiaque ubique reddenda Pontificem gessisse patet, qui multo sane majora tentasset, si diutius Romanam Ecclesiam, aut meliori fortuna usus, retinuisset, ob quam rem Hincmarum ex Anglicana legatione, in Gallias misisse ejusdem epistola ad Bernardum data indicat, qua jubet, ut *aut ab hujusmodi exactione desistat*, *aut in præsentia venerabilium* fratrum nostrorum. *Ac Ostiensis*, *&* *Tusculani Episcoporum Apostolicæ sedis legatorum* causam diceret. Hic porro Imarus, seu Hincmarus ex monacho Cluniacensi, & Abbate monasterii Pictaviensis ab Innocentia secundo Cardinalis, & Tusculanus Episcopus creatus fuerat, ut in chronico Cluniacensi legitur; Ab Lucio autem secundo legatus in Angliam missus, ac inde in Gallias fuerat: de ejusdem legatione in Angliam meminit Cronographus Mauriniacensis pag. 387. ubi de Lucii ordinatione agens, subdit. *Hic diversarum ecclesiarum statui consulere volens*, *duos legatos a latere suo mittere curavit*, *Alterum in Angliam &c.*

7. Hoc etiam tempore Alphonsus Portugalliæ Rex seu Dux, Regnum suum Rom. Ecclesiæ vestigale obtulit, ac auri uncias quatuor ab se, suisque successoribus soluturum promisit, ut etiam Innocentius tertius epistola sua testatur, extantque adhuc litteræ ab Alphonso ad Lucium, & Lucii Papæ ad Alphonsum in eam rem datæ ex Balutio in novissimam conciliorum editionem relatæ. Alphonsus itaque se Petri devotum esse testans, utpote cui Jesus Christus Regni Cælorum claves tradiderat, ac *patronum habere cupiens*; *Per manum* Domini *G. Diaconi Cardinalis Apostolicæ sedis legati Domno*, *&* *patri meo Papæ hominium feci*, *&* *terram quoque meam beato Petro &* *S. R. E. offero sub annuo cen-*

Alphonsus Rex Portugalliæ Regnum Rom. Ecclesiæ Vectigal. offert.

Innoc. epist. lib. 1. epist. 100.
Labb. concil. tom. 21. noviss. edit. pag.615.

JESU CHR. AN. 1144. *censu quatuor unciarum auri, ea videlicet conditione, & tenore, ut omnes qui terram meam post decessum meum tenuerint, eundem censum annuatim beato Petro solvant, & ego tamquam proprius Miles beati Petri, & Romani Pontificis, tam in me ipso, quam in terra mea, vel in his etiam quæ ad dignitatem & honorem meæ terræ ac etiam defensionem & solatium Apostolicæ sedis habeam, & nullam potestatem alicujus Ecclesiastici, secularisve Domini, nisi tantum Apostolicæ Sedis, vel a latere ipsius missi, unquam in terra mea recipiam. Facta oblationis, & fortitudinis charta Idus decembris æra* 1080. *Ego supradictus Adelfonsus Portugaliensis Rex hanc chartam fieri jussi, & libenti animo coram idoneis testibus propria manu confirmo. Ego Joannes Bracarensis Episcopus confirmo. Et ego Petrus Portugaliensis Episcopus confirmo*; His acceptis Lucius Papa has ad eum reddidit *Lucius &c. Alphonso illustri Portugaliensium Duci &c. Devotionem tuam dilecte in Domino fili agnoscens maxime congaudemus, quod te ipsum de illis ovibus recognoscens, quas Dominus noster Jesus Christus Petri custodiæ commendavit, cum ad expugnationem paganorum intentus, multisque negotiis secularibus occupatus, Apostolorum limina visitare non posses, per manum dilecti filii S. Diaconi Cardinalis tunc in partibus illis ApostolicæSedis Legati, prædecessori nostro felicis recordationis Papæ Innocentio hominium laudabili devotione fecisti, & terram tibi a Deo commissam beato Petro Apostolorum principi obtulisti, atque personam tuam, & terram ipsam ipsius patrocinio hu-militer commisisti, postmodum vero tam per litteras tuas, quam per venerabilem fratrem nostrum S. Bracarensem Archiepiscopum nobis etiam promisisti, ut tam tu, quam hæredes tui de terra ipsa quatuor uncias auri annis singulis Romano Pontifici persolvatis. Nos itaque, qui licet indigni, beati Petro loco residere conspicimur, tam te, quam filios tuos, & successores vestros intra hæredes ipsius Apostolorum principis ipso adjuvante suscipimus, ut in ejus benedictione & protectione tam animarum, quam corporum maneatis, per quam ab hostium visibilium expugnatione defensi. ad cœlestia regna pervenire largiente Domino valeatis. Datum Laterani Kal. Maji.*

Ludovicus Rex Galliæ 8. Ab Cæleſtino Papa Galliarum Regem Ludovicum ab excomunicationis sententia absolutum fuisse anno proximo dixi-

diximus; Hoc autem anno idem Lodovicus; qui cum Theobaldo Campaniæ Comite, ob Bituricensis Episcopi electionem, aliasque causas non sine maximo fidelium, & ecclesiarum scandalo & detrimento, jamdiu dissidebat, hoc anno inquam Bernardi Abbatis opera, & sollicitudine pax inter eos reintegrata fuit, ut Robertus de Monte in chronico ad hunc annum adnotat. *Mediante Abbate Clarevallensi simultas, quæ inter Regem Ludovicum, & Comitem Theobaldum incanduerat, sopitur*; initæ pacis meminit idem Bernardus in epistola ad Regem, & ne violaretur, hortatur; *Valde autem*, ait, *contristat me unum; quod in litteris vestræ celsitudinis continetur, quod videlicet debeat obviare res ista paci factæ inter vos, & Comitem Theobaldum &c.* Firma nihilhominus hæc pax adeo perseveravit, ut Ludovicus Rex post divortium cum Eleonora, & post Constantiam secundam uxorem vita functam, Adelam Theobaldi filiam matrimonio sibi copulaverit, ex qua Philippum cognomine Augustum, Regnique hæredem genuit.

JESU CHR. AN. 1144. cam Theobaldo Campaniæ Duce reconciliatur Bernardi epistol. 220. ad 227.

Epist. 220.

9. Quam luctuosus esset hoc tempore ob civile bellum inter Stephanum Regem, & Mathildem excitatum, status Angliæ, Gulielmus Neoburgensis auctor coævus Lib. 1. cap. 22. fusiori stilo narrat; inter cetera. *Primo quidem videbatur Regnum Angliæ scissum esse in duo, quibusdam Regi, quibusdam Imperatrici faventibus, cum neuter interea regnaret; deinde. Neuter enim in suos imperiose agere, & disciplinæ vigorem exercere poterat, sed uterque suos, ne a se deficerent, nihil negando mulcebat*; cumque alternante fortuna diutius inter se Rex cum Mathilda certassent, *Castella per singulas provincias studio partium crebra surrexerunt, erantque in Anglia tot Reges vel potius tyranni, quot Domini Castellorum &c.* ac pro lubitu singuli dominantur rapinis coedibusque passim, & incendiis. *In fertilissima olim patria, fere omne robur panis assumpsere*, ait auctor; Quo tempore accidit, ut ecclesiæ quoque in Castella ab tyrannis converterentur, quos Dei vindicta manifestis signis mulctavit, ut narrat Rogerius Vestmonstariensis in annalibus.

Miser status Ecclesiæ, & Regni in Anglia.

10. *Mense autem Augusto*, ait auctor *miraculum justitia sua dignum virtus divina monstravit, duos namque qui monachis evulsis, ecclesias Dei converterant in castella similiter*

Ultio in raptores, violatoresque Ecclesiarum.

JESU CHR. AN. 1144. *liter peccantes simili pœna mulctavit. Robertus namque Mamium vir bellicosus hoc in Ecclesia de Conventu perversus egerat. Porro Gaufredus (ut diximus) in Ecclesia Ramesiensi scelus idem patraverat. Insurgens igitur Robertus Marmium in hostes, inter ingentes suorum cuneos coram ipso monasterio solus interfectus est, & excommunicatus, morte perenni depascitur: Similiter Gaufredus prædictus Consul novus inter acies suorum confertas a quodam pedite vilissimo solus sagitta percussus est: ipse quidem vulnus ridens, post aliquot dies tamen ex ipso vulnere excommunicatus occubuit. Ecce Dei lampabilis, & omnibus seculis prædicanda ejusdem sceleris eadem vindicta. Dum autem ecclesia illa pro castello teneretur, ebullivit sanguis a parietibus ecclesiæ & claustri adiacentis, indignationem divinam manifestans, sceleratorum exterminationem denuntians. Quod multi quidem viderant, & ego ipse quidem meis oculis inspexi. Quia igitur improbi dicebant Deum dormire: excitatus est Deus, & in hoc signo, & in significato.*

Alia de his prodigia.

11. His alia ibidem edita prodigia addit. *Eodem anno & Arnulphus filius Gaufredi Consulis, qui post mortem patris ecclesiam incastellatam retinebat, captus est, & per hoc exulatus. Et princeps militum suorum in hospitio suo ab equo corruens, effuso cerebro expiravit: Princeps autem peditum suorum Reimerius nomine, cujus officium fuerat frangere ecclesias, vel incendere: dum mare cum uxore sua transiret (ut multi perhibuerunt navis immobilis facta est). Quod monstrum nautis stupentibus, forte data rei causam inquirentibus, res cecidit super Reimerium. Quod cum ille nimirum totis contradiceret viribus: secundo & tertio sors jacta in eum devenit. Positus igitur in scapha est, & uxor ejus & pecunia sceleratissime acquisita, & statim navis cursu velocissimo, ut prius fecerat, mare sulcat. Scapha vero cum nequissimis subita voragine circumducta, in æternum absorta est.* Hucusque Rogerius de ecclesiarum violatoribus.

S. Bernardus adversus Villelmum Eborac. Episc. scribit. *Epist. 360.*

12. Imarus interea, seu Hincmarus in Angliam ab Lucio Pontifice missus, ut diximus, pallium Villelmo Eboracensi detulit, cujus ordinationi S. Bernardus, falso rumore deceptus diu acriterque restitit, uti supra diximus; Unde hoc anno Villelmo Abbati de Rievalli in Anglia scribens,

bens, hæc iterum ingerit *Laboravimus quantum potuimus adversus pestem comunem* idest Villelmum electum Eboracensem, *etsi quo minus impetravimus, quod optavimus, manet tamen nobis fructus laboris nostri apud Deum, apud quem nullum bonum irremuneratum est*. Post aliqua subdit: *Nos tamen quod potuimus, suggessimus Domino Tusculano Episcopo* (nempe Ymaro in Anglia Legato), *cui injunctum est, ut legatione fungatur in partibus illis, & omnibus modis observaturum, ne tradat ei Pallium quod portat, si non juraverit Decanus* (nempe Eboracensis, de quo supra egimus) *nunc vero Episcopus* (nempe Dunelmensis), *in cujus juramento causa pendebat: sed causam referat ad dominum Papam*. De pallio ab Hincmaro tunc delato, hæc etiam Joannes prior Hagustaldensis in historia adnotat: *Hincmarus Episcopus Cardinalis directus ab Apostolico Lucio legatus, venit in Angliam habens pallium Villelmo Archiepiscopo destinatum &c.* an autem illud acceperit, incertum est, nam ob Lucii obitum, Hincmari, seu Imari legatio vix cœpta, finem habuit.

Edessa ab Turcis capta. *not. ad an. 1142. et ad an. 1144. Vill.Tyr. lib. 16. cap. 4. et seqq. Otto Frising. lib. 7. cap. 30.*

13. De Edessæ expugnatione variæ occurrunt eruditorum sententiæ, cujus cladem anno 1145. Baronius narrat, labenti alligavit Pagius. Mansius tamen anno superiori 1143. expugnatam fuisse tradit, eo intermedio tempore, quo Falco Hierosolymorum Rex obiit, & filius ejus Balduinus ad Regnum evectus est; ut ait Villelmus Tyrius, idque die Natali instante accidisse Otto Fribugensis, aliique adnotant, cumque a Natali annum nonnulli auspicarentur, alii ab Kalendis Januarii, hinc cum anno proximo, alii cum labenti, vel futuro luctuosam historiam alligarunt, atque ex Christianorum Principum discordia, & præcipue Antiocheni Principis cum Edesseno Comite eam calamitatem accidisse adnotant, de qua hæc narrat Otto. *Anno Domin: Incarn:* 1145. seu potius 44. *In ipsa sacrosancta Nativitatis Christi solemnitate, lugubre & miserabile ex peccato Christiani populi accidit in Oriente piaculum. Sanguinus enim Halapensis Syriæ ac Mesopotamiæ, excepta Antiochia & Damasco Princeps, Persarum vero & Medorum Regis, seu Soltani* (nempe Bagadensis) *subditus, Edissam quæ nunc Rohas dicitur, uni cum Hierosolymitanæ Ecclesiæ pro magnitudine ab abundantia sui refugium, cum infinita Saracenorum*

Jesu Chr. An. 1144. *multitudine circumdedit, ac in ipsa, ut dixi, Nativitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum urbe Christianis in ore gladii occisis, vel miserabili captivitate in servitutem redactis, Ecclesias Christi, & precipue B. Mariae semper Virginis Basilicam, & eam, in qua Thomae Apostoli corpus reconditum est, ad Salvatoris nostri ignominiam intro ferens. ea quae non licebant foede polluit, nostrisque penitus exterminatis, Saracenos ibi ad habitandum collocavit*; Illustrem urbem ab Armenio proditam fuisse, ac Saguino traditam, dum ei nocte Nativitatis Domini portam aperuit, ut de injuria filiae suae ab Principe Edesseno stupratae ulcisceretur, narrat Neubrigensis lib. primo de rebus anglicis cap. 18. Villelmus vero Tyrius fusiori stylo haec narrans; *Capta urbe, & hostium gladiis tradita, qui prudentiores erant ex civibus, vel magis expediti, in praesidia, quae in urbe esse diximus cum liberis, & uxoribus, ut vitae saltem licet tempore modico consulerent, se contulerunt*, tantus porro tunc fuit concurrentium numerus, ut quam plurimi, *miserabiliter suffocati interirent*, inter quos fuit Hugo Edessae Archiepiscopus, cum clericis aliquot, qui cum eo erant, hunc tamen ad Altare adstantem ab Turcis cum reliquis ibidem congregatis mactatum fuisse ait supracitatus Neubricensis, majorem tamen fidem utpote & tempore & loco vicinior sibi Gulielmus vindicat, ac subdit, merito eum sic periisse, eo quod cum ingentem pecuniae summam collegisset, ea adhibita auxilium infelici urbi afferre potuisset, quam cum retinere magis elegisset, vitam cum pecunia amisit, ac expertus est sanctae scripturae sententiam. *Pecunia tua tecum sit in perditione*. Edessa capta, cum Hierosolyma quoque periclitaretur, hinc factum est, ut nova ad bellum in Oriente gerendum expeditio pararetur, cujus praecipuus auctor Eugenius Papa Lucii successor fuit, praedicator vero S. Bernardus Abbas, ut infra dicturi sumus. *Actor. c. 8.*

Christianus exercitus Crucis ope ab interitu liberatur.

14. In tanto christianorum moerore ob Edessam a Sanguino Turcarum duce captam, aliquanto post ob exercitum divina ope ab imminenti strage ereptum aliquatenus recreati sunt; *Non multo post tempore*, ab Edessa capta, ait Gulielmus, *Anno secundo Regni Domini Balduini*, profugus quidam Turcarum Hierosolymam adveniens, se Bostrensem *lib. 16. cap. 8. ad 14.*

fem urbem Arabiæ Metropolim Christianis facile traditurum promisit, si cum aliquali exercitu ibidem transiissent; Quare ea spe adducti illuc exercitus christianorum transiit, at multis detenti periculis, in extremas pene angustias deducti sunt; Nam ut narrat Tyrius, *videntes hostes, quod sit non proficerent ad alia se convertunt molimina, erat sane regio tota vepribus & frutetis humilibus, cardonibus aridis, & qualis silva, veteribus stipulis & frugibus jam maturis obsita: his omnibus ignem subijciunt, vento nostris obvio fomitem & vires ministrante. Hic incendii viciniores afflatu, fumique occurrentis nube densissima nostris ingeminatur molestia: Cum ecce ad venerabilem virum dominum Robertum Nazarenum Archiepiscopum, qui Crucem Dominicam bajulabat, omnis populus cum clamore & ejulatu conversus, postulabat cum lacrymis, dicens: Ora pro nobis pater, & per hoc vivificæ Crucis lignum, quod manibus gestas, in quo nostræ salutis auctorem credimus pependisse, erue nos ab his malis, nam diutius sustinere non possumus. Erat autem populus in modum fabrorum ferrariorum officinas exercentium vento agitante fuliginem, tam facie, quam toto corporis habitu nigredine factus ciclops, & tam æstatis quam incendiorum calore duplicato, ad supremum afflictus siti supra vires laborat. Ad has itaque gementis populi voces*, vir Dei erecta Cruce auxilium a Deo imploravit, cum repente fumus & caligo, quæ christianos hactenus afflixerat, in hostes conversa est, cumque iterum in alia incidissent pericula, & in invio, desertoque loco errarent, *& ab ingruentibus hostibus omnes cædendi essent*, prævio ignito duce, nempe *cælesti nuncio eodemque signifero, per alias vias est secure deductus Hierosolimam usque* &c. ait auctor stilo fusiori hæc enarrans.

Jesu Chr. an. 1144.

JESU CHRISTI an. 1145. Eugenii II. Papæ an. 1.
Manuelis Comneni Imp. an. 1.

1. Cum menses undecim, dies quatuor Romanam sedem tenuisset Lucius Papa, quinto Kal. Martii. seu potius 15. Kalend. ut in veteri necrologio Cassinensi legitur, Romanorum factione undique afflictus, seu rebellione, vi-

Lucii Papæ obitus, qua morte obierit.

Jesu Chr. an. 1145. Murat. rer. Ital. tom. 7. Murat. tom. 3. p. 437.

vere desiit, vir quidem in rebus arduis fortis, & prudens; *Habito cum ecclesiæ fidelibus consilio*, ut ait Aragoniensis Cardinalis in ejus vita, *Senatores, qui contra prohibitionem prædecessoris sui Papæ Innocentii Capitolium conscendere, & magisterium sibi usurpare præsumpserunt, & de Capitolio descendere, & Senatum objurare coegit, sed repentina ægritudine occupatus, & nociva morte præventus objuratio ipsa viribus caruit, & ignis, qui videbatur extinctus denuo invaluit, et in majores flammas exigentibus peccatis excrevit*, sub successore ejus Eugenio tertio, ut infra dicturi sumus; De Lucii Papæ obitu agens auctor anonymus de privilegiis Rom: ecclesiæ a Baronio citatus lapidis ictu percussum fuisse, dum Senatus conatus reprimere conaretur, ac paulo post morbo obiisse narrat, quod etiam Gothefridus viterbiensis hujus seculi scriptor confirmat. *Lucius secundus*, inquit, *intendens Senatum extinguere, cum ingenti militia Capitolium Romæ conscendit, ut sedentes ibi tunc Senatores cum dedecore removeret .. Senatus, autem populusque Romanus ad arma conversus, Papam cum suis omnibus a Capitolio in momento repellunt, ubi Papa, sicut tunc audivimus lapidibus magnis percussus, usque ad obitus sui diem, qui proxime secutus est, non sedit in sede, cui tunc successit Eugenius Abbas S. Anastasii Romæ &c.* sepultusque est in ecclesia Lateranensi, ut narrat Aragoniensis, ac Joannes Diaconus Lateranensis Canonicus in libro de ecclesia Lateranensi apud Mabillonium tom. 2. Musæi Italici confirmat, *quam ecclesiam* ut subdit, *per omnia dilexit, & magnis beneficiis honoravit*, quæ ibidem distincte commemorat, inter cetera, ut etiam adnotat Aragoniensis, Ecclesiam S. Joannis ante portam latinam, & Sancti Nicolai ad hospitale, cum omnibus pertinentiis Lateranensi ecclesiæ dedit.

Eugenius tertius Rom. Pontifex ordinatur.

2. Lucio vix defuncto, cum urbs civili bello flagraret, ac Senatus Populusque Romanus invito Clero urbis possessionem usurpasset, in unum Cardinales congregati in ecclesia S. Cæsarii, miro consensu Bernardum Pisanum, monasterii triumfontium, seu S. Anastasii Abbatem. S. Bernardi discipulum, virum pietate, & prudentia præclarum in Pontificem elegerunt, qui Eugenius tertius dictus est, in Pontificem autem ab Cardinalibus electus, *Propter metum Senatorum., qui contra voluntatem prædecessoris sui*

sui ab populo fuerant electi , ad Farfense monasterium se transtulit , ibique , convocatis Cardinalibus , & Prælatis munus consecrationis accepit , ait Bernardus Guido in ejus vita , fusius vero rem narrat Aragonius Cardinalis his verbis . *Electus* , Eugenius , *deductus est ad Lateranense Palatium , & in Apostolica sede secundum consuetudinem morem positus est , & nominatus Eugenius Papa Tertius . Qui cum proxima die Dominica consecrationis munus apud S. Petrum , sicut consuetudinis ordo poscebat , & dispositum fuerat , deberet suscipepere : precognito Senatorum perverso consilio , quo ejus electionem violenter retractare diposuerat , nisi eorum voluntatem faceret , & usurpatum Senatum eis Apostolica auctoritate confirmaret : noctis silentio Urbem cum paucis fratribus exiit , & ad Arcem Monticelli se in tutum recepit . Congregatis vero alia die cunctis Patribus , qui dispersi fuerant propter metum furentis populi , processit ad Farfense monasterium Sabinis positum cum domestica familia , & consecrationis gratiam insequenti Dominica pro plenitudine sui Apostolatus , secundum morem Ecclesiæ , Domino auctore suscepit &c.* Otto vero Frisigensis , *Eugenius* electus *cum Episcopis , & Cardinalibus urbe cedit , & proxime Dominica in monasterio Farfensi consecratione Pontificali , ob persecutionis immanitatem , morem mutans sublimatur* , postque Viterbium veniens ibi per *aliquod tempus moram fecit* , idest usque ad hujus anni finem , cum eos pacem petere coegit , & concordia inita in urbem Eugenius rediit , ut mox dicturi sumus .

JESU CHR. AN. 1145. *Mura.tom.3.*

Eugenius Papa in urbe profusus ordinatnr.

lib.7 .cap.31

3. Interea ob Pontificis ab urbe fugam exasperatus , & *in furorem actus Romanus populus cum Patricio suo Jordano* , ut narrat Otto , *omnes Principes ac nobiles & ex civibus ad subjectionem Patricii compellunt , & non solum quorundam illustrium laicorum turres , sed & Cardinalium , ac clericorum domus subruentes , prædam immensam diripiunt . Ecclesiam etiam Beati Petri omnium ecclesiarum caput , incastellare sacrilege ac profanissime non metuunt : peregrinos causa orationis advenientes , ad oblationem quæstus gratia , plagis , & verberibus cogunt , ac quosdam ex ipsis , offerre nolentes , in ipsa porticu & vestibulo templi nefario ausu occidere non verentur . Quos venerabilis Pontifex , percusso*

Seditiosi urbem turbant, ac prædantur

ut sup. pag. 156.

prius

Jesu Chr. An. 1145.

prius cum quibusdam fautoribus suis anathematis gladio Jordane, adjuncta Tyburtinis Romanorum antiquis hostibus, militia coercuit tandemque pacem petere coegit. Hæc is auctor; eademque fere Cardinalis de Aragonia in vita Eugenii, *Senatores vero, & populus Romanus, ait in incœpta malitia, & consueta pravitate persistens ejdem Pontifici in cunctis adversabantur, & fideles ecclesiæ intra urbem, & extra multis ac variis modis affligebant, civitates & castra B. Petri assiduis rapinis, & gravibus guerris persequi non cessantes; abutentes patientia pii patris, & pastoris &c.* ut tam nefarie in urbe ab Romanis gesta audivit S. Bernardus, commota quodamodo sunt viscera ejus, & stylum acuens, eosdem, ut hæc emendarent fusiori stilo scripta, hortatus est; cujus hoc est initium: *Sermo mihi est ad te popule sublimis & illustris, cum sim vilis exiguaque persona, ac nullius pene momenti homuncio* &c. & post plurima; *Quid vobis visum est, o Romani, ait, offendere Principes mundi, vestros autem speciales patronos: Cur Regem terræ, cur Dominum cœli furore tam intollerabili, quam irrationabili in vos pariter provocatis, dum sacram & Apostolicam Sedem divinis regalibus privilegiis angulariter sublimatam ausu sacrilego incessere, suoque minuere honore contenditis, quam vel soli contra omnes, si oportuisset, defendere debuistis? Sic fatui Romani non judicantes, neque quod honestum est discernentes; caput vestrum atque omnium, quod in vobis est, deturpatis, pro quo magis nec vestris ipsis cervicibus parcendum a vobis foret, si necessitas exegisset? Patris vestri Urbi orbem subjugaverunt, vos Urbem properatis orbi facere fabulam. En Petri hæres Petri Sede & urbe a vobis expulsus est. En rebus & domibus suis, vestris manibus spoliati sunt Cardinales, atque Episcopi ministri Domini. O popule stulte & insipiens, o columba seducta non habens cor! Nonne ille caput, & illi oculi tui erant? Quid ergo nunc Roma, nisi sine capite truncum corpus, sine oculis frons effossa, facies tenebrosa? Aperi gens misera, aperi oculos tuos, & vide desolationem tuam jamjamque imminentem. Quomodo in brevi mutatus est color optimus, facta est quasi vidua domina gentium, Princeps Provinciarum? Verum initia malorum sunt hæc, graviora timemus &c.*

Bernardi Epist. 243. objurgatoria ad Romanos.

4. Post

4. Post plurima ibidem, vel apud Baronium videnda his tandem verbis Romanum populum compellat *Obsecramus pro Christo reconciliamini Principibus vestris (Petrum loquor & Paulum) quos utique in Vicario & successore suo Eugenio suis sedibus & aedibus effugastis. Reconciliamini, inquam, orbis Principibus, ne forte incipiat pro eis pugnare orbis terrae contra insensatos. An nescitis, quia his offensis nihil omnino valetis, his propitiis nihil omnino timetis? Non, inquam, non timebis sub horum tutela millia populi circumdantis te, Urbs inclyta, civitas fortium. Reconciliare etiam omni ecclesiae Sanctorum, qui ubique terrarum, audito hoc verbo scandalizati sunt. Alioquin pagina ista contra te in testimonium erit: sed & ipsi Apostoli & Martyres tui stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum, sed jam finem loquendi omnes pariter audiamus: Annuntiavi justitiam praenunciavi periculum, veritatem non tacui, hortatus sum ad meliora: superest ut aut de vestra citius correctione laetemur, aut de justa imminenti damnatione certi inconsolabiliter lugeamus, arescentes & tabescentes prae timore & expectatione quae supervenient universae Urbi.* Hucusque S. Bernardus ad contumacem populum.

JESU CHR. AN. 1142. Bernardi ad Rom. populum exhortatio.

5. Eodem tempore litteris suis Conradum Regem ad Romanorum ulciscendum crimen, comprimendamque temeritatem excitavit; Cumque Ecclesiam, & Imperium uno corpore quodammodo Deum conjunxisse ut invicem sese adjuvarent adnotasset, subdit; *Non ut enim utriusque institutor Deus in destructionem ea conjunxit, sed in aedificationem. Si hoc scitis: quousque vos communem contumeliam, communem dissimulatis injuriam? Nonne ut Apostolica Sedes, ita & caput Imperii Roma est? Ut ergo de Ecclesia taceam, num honor Regi est, truncum in manibus tenere imperium? Et quidem ignoro, quid vobis super hoc consultant sapientes vestri & Principes regni: sed ego in insipientia mea loquens, quod sentio non tacebo &c.*, ac tandem ut ecclesiam, & urbem a seditione liberaret, excitat; certam ei victoriam promittens; *Quamobrem accingere gladio tuo, ait super faemur tuum potentissime, & restituat tibi Caesar, quae Caesaris sunt, & quae sunt Dei Deo. Utrumque interesse Caesaris*

Bernardi epistola ad Regem Conradum contra Romanos. *epist. 244.*

Victoriam Conrado spondet.

Jesu Chr. an. 1145.

ſaris conſtat, & propriam tueri coronam, & Eccleſiam defenſare. Alterum Regi, alterum convenit Eccleſiæ Advocato. Victoria in Domino confidimus, præ manibus eſt. Superbia & arrogantia Romanorum plus quam fortitudo eorum. Quid enim? Nunquid quiſpiam magnus vel potens, verbi gratia, Imperator, aut Rex fœdam rem iſtam in Imperium pariter ſacerdotiumque præſumit? Sed populus hic maledictus & tumultuoſus, qui ſuas neſcit metiri vires, cogitare finem, conſiderare proventum, in inſipientia ſua furore ſuo auſus eſt hoc grande ſacrilegium attentari. Abſit ut vel ad momentum ſtare poſſit ante faciem Regis popularis manus, vulgi temeritas. Hæc, & alia ibidem Bernardus adverſus Romanos Arnaldino furore adverſus Eugenium Pontificem baccantes.

Eugenius Papa in urbem redit. ibique Natale celebrat. *Otto Friſing. Chr. lib. 7. 31.*

6. Cum toto fere anno, ob Romanorum rebellionem, turbatæ in urbe res fuiſſent, tandem excommunicationis ſententia rebelles, armiſque compreſſi, pacem petere eos Eugenius cœgit, ut ait Otto, *quam pacem eo tenore dedit, ut Patriciatus dignitatem exfeſtucarent*; ſeu imminuerent, *& præfatum Pontificem in priſtinam dignitatem reciperent, Senatores autem ex ejus auctoritate tenerent, ſicque in urbem rediens nativitatem Domini ibidem celebravit, incipiente anno Dominicæ Incarn:* 1146, *ubi rurſus a populo Romano pro excidio Tiburtionorum in tantum de die in diem ſollicitatur, ut a Lateranenſi Palatio improbitatem eorum non ſuſtinens ad tranſlyberinam regionem migrans, & animam ſuam vitæ ſuæ tædere confiteretur*, & ſane toto Pontificatus ſui tempore ab Romanis vexatum fuiſſe, ac iterum urbe excluſum infra videbimus.

Bernardi epist. ad Eugenium 238.

7. Interea ut Bernardus fama didicit Bernardum Piſanum diſcipulum ſuum, & monaſterii trium fontium Abbatem in Romanum Pontificem electum fuiſſe, ac Eugenium dictum, antequam ab eo, utpote aliis curis, & fuga ab urbe diſtento, litteras acciperet, ad eum exultans pene, ac rem præter expectationem geſtæ admiratus hanc epiſtolam dedit; *Auditum eſt in terra noſtra, & celebri ſermone vulgatum verbum hoc quod factum eſt de vobis a Domino. Preſſeram ſtylum hactenus, remtacitus conſiderabam. Expectabam enim litteras veſtras, & præveniri a vobis in benedictionibus dulcedinis. Expectabam virum fidelem, qui veniret*

ret a latere tuo, qui diceret cuncta per ordinem quid quomodo, vel qualiter actum esset. Expectabam si quis forte de filiis meis reverteretur, qui leniret dolorem Patris, qui diceret: Joseph filius tuus vivit, & ipse dominatur in tota terra Aegypti. Hinc est quod literæ istæ non sunt voluntatis, sed necessitatis, & amicorum extortæ precibus, quibus negare non possum modicum illud quidquid residuum est vitæ meæ. Quia tamen semel cœpi, loquar ad dominum meum: jam enim filium dicere non audeo, quia filius in patrem, pater mutatus est in filium. Qui post me venit, ante me factus est, sed non invideo: quia quod mihi deerat, in eo me habere confido, qui non solum post me, sed etiam per me venit. Nam si dignaris, quodammodo per Evangelium ego te genui. Quæ est ergo spes nostra & gaudium nostrum, & corona gloriæ, nonne vos ante Deum? Denique filius sapiens gloria est patris. Amodo tamen non vocaberis filius: sed vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi, & multi in mutatione ista gaudebunt. Post aliqua *Intellige quæ dico*, subdit, *dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam ejus principem meam, sed principem: nihil tuum in ea vindicans, nisi quod pro ea si oportuerit, etiam animam dare debes. Si Christus te misit, æstimabis te non ministrari, sed ministrare venisse: & ministrare non solum substantiam, sed ipsam quoque animam, sicut præfatus sum. Verus successor Pauli dices cum Paulo: Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudii vestri. Petri hæres audiet Petrum dicentem: Neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis. Sic enim jam non ancilla, sed libera etiam & formosa speciosissimi sponsi per te in desideratos adciscetur amplexus. Alioquin per quem alium hæc tam debita libertas sperabitur; si & tu (quod absit) in Christi hæreditate quæras quæ tua sunt, qui jam & ante didiceras, non dico tua non retinere, sed nec tuus esse? Ergo fiduciam talem habens in te, qualem in nullo prædecessorum tuorum multis retro temporibus visa, est habuisse, exultat merito ubique: & gloriatur in Domino omnis Ecclesia sanctorum: & specialiter illa, cujus uterus te portavit, & cujus ubera tu suxisti &c.* ac quanto altiorem locum obtinuerat, tanto periculosiorem esse, eidem

Bernardi ad Eugenium monita.

JESU CHR. AN. 1145. exponit; deinde adversus Eboracensem Episcopum electum, Gulielmum scilicet, & Vintoniensem, eo quod malis artibus eas sedes invasisse putabat stylum acuit, & subdit. *Cum acceperis tempus, secundum opera manum illorum retribues illi, ut sciant prophetam esse in Israel*; in quam rem duas alteras paulo post ad eumdem Pontificem scripsit epistolas 239. & 240., ut ibidem videre est.

Ut Ecclesiam reformet S. Bernardus hortatur.

8. His addit. *Quis mihi det antequam moriar videre ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis: quando Apostoli laxabant retia, non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum; Quam cupio illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es sedem; Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem. O vox tonitrui! o vox magnificentiæ & virtutis, ad cujus terrorem confundantur & convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion! Hoc vehementer expectat, & omnino expetit a te mater tua; hoc filii matris tuæ pusilli cum majoribus desiderant, hoc suspirant, ut omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim constitutus super gentes, & regna, ut evellas, & destruas, & ædifices, & plantes. Multi audito hoc verbo, dixerunt apud se: Jam securis ad radicem arborum posita est. Multi dicunt in corde suo: Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, in quo sarmenta sterilia reciderunt, ut ea quæ prævalent, uberius fructum afferant. Confortare igitur, & esto robustus, manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Vindicat tibi animi tui constantia & vigore spiritus partem, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam & tulit de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis memento te esse hominem, & timor ejus, qui aufert spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tuæ certissimæ & citissimæ decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta memorare novissima tua, quia quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem*. Hactenus ad Eugenium Sanctus Bernardus.

Ad

9. Ad Cardinales vero, & Episcopos Rom. Ecclesiæ scribens, quasi indignatus, quod Eugenium elegissent, hanc epistolæ suæ præfationem præfixit; *Parcat vobis Deus, quid fecistis? sepultum hominem revocastis ad homines, fugitantem curas, & turbas, curis denuo implicuistis, & immiscuistis turbis. Fecistis novissimum primum, & ecce novissima illius periculosiora prioribus. Crucifixus mundo per vos revixit mundo: & qui elegerat abjectus esse in domo Dei sui, ipsum vos in dominum omnium elegistis. Cur consilium inopis confudistis? cur pauperis hominis & mendici & compuncti corde judicium perturbastis? Currebat bene. Quid vobis visum est sepire vias ejus, avertere semitas, gressus involuere? Quasi descenderet de Hierusalem, & non magis ascenderet de Jericho, sic incidit in latrones. Et qui se tanquam violentis quibusdam diaboli manibus, carnis illecebris & gloriæ seculi potenter excusserat, non tamen valuit effugere manus vestras. Num idcirco Pisam deseruit ut reciperet Romam? Num qui in una Ecclesia non sustinuit Vicedominatum, dominatum in omni Ecclesia requirebat? Quid igitur rationis seu consilii habuit, defuncto summo Pontifice, repente irruere in hominem rusticanum, latenti iniicere manus, et excussa e manibus securi & ascia, vel ligone, in palatium trahere, levare in cathedram, induere purpura & bysso, accingere gladio ad faciendom vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis? Sic non erat inter vos sapiens & exercitatus, cui potius ista convenirent; Ridiculum profecto videretur, pannosum homuncionem assumi ad præsidendum Principibus, ad imperandum Episcopis: ad regna & imperia disponenda. Ridiculum an miraculum; Plane unum horum. Non nego, non diffido posse fuisse hoc etiam opus Dei, qui facit mirabilia magna solus, præsertim cum audiam usquequaque ex ore multorum, quoniam a Domino factum est istud. Sed nec ego oblitus sum judiciorum Dei antiquorum, & Scripturæ plurimos recensentis ex privata, seu etiam rusticana vita olim assumptos in voluntate Domini ad regendum populum ejus. Denique nonne (ut unum pluribus memorem talem quodammodo elegit David servum suum, & suscepit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum? Ita inquam, ita & de nostro Eugenio in beneplacito domini po-*

JESU CHR. AN. 1145. Bernardi epist. ad S. Rom. ecclesiæ Cardinales. *epist. 237.*

Jesu Chr. An. 1145.

potuit contigisse &c. atque ut illi totis viribus assisterent, manusque porrigerent, hortatur. Hæc autem, & alia, quæ ad Eugenium, ad Cardinales, & ad Romanos cives Bernardus scribens direxit, fusiori, liberiorique adhuc stilo in libris quinque de Consideratione retractavit, uti suo loco infra dicturi sumus.

Eugenius Papa cum honore in urbe exceptus

9. Armis paratis, & sententia excomunicationis adversus Romanos rebelles lata, Eugenium contumaces cœgisse, ut tandem cederent, ac cum eo concordiam inirent, supra adnotavimus; Quare desinente hoc anno in urbem Eugenius rediit, ibique Nativitatem Domini solemniter celebravit, cujus reditus triumphatori similis fuit, ut his verbis narrat Aragoniensis Cardinalis in ejus vita. *Factum est igitur Deo auctore gaudium magnum in tota urbe, & in optato ingressu ipsius Pontificis, occurrit ei maxima, & frequens populi multitudo cum ramis, & ad ejus vestigia continuo corruentes post pedum oscula elevabantur ad oris oscula. Præcedebant Signiferi cum bannis, sequebantur Scrinarii, & Judices. Judæi quoque non deerant tantæ lætitiæ, portantes in humeris suis legem Mosaicam. Universus etiam Romanus Clerus psallebat in unum, dicens:* Benedictus qui venit in nomine Domini. *Sic itaque cum magno populorum gaudio, & clamore idem Pontifex Lateranense Palatium conscendere meruit &c.* Dein profectionem ejus in Gallias narrat, de qua anno sequenti.

Murat. to. 3. pag 439.

S. Bernardus Henricum hæreticum confutat.

10. Bernardus interea ecclesiæ necessitatibus semper, & ubique præsens, cum accepisset Henricum, Petri de Bruis discipulum, magistri sui impia dogmata in Tolosano agro docere, ac sub protectione Comitis de S. Ægidio impune grassari, ad Hildefonsum Comitem S. Ægidii litteras dedit, eumdem deprecans, ut eam pestem e finibus suis expelleret. *Quanta audivimus*, inquit, *& cognovimus mala, quæ in Ecclesiis Dei fecit, & facit quotidie Henricus hæreticus! Versatur in terra vestra sub vestimentis ovium lupus rapax: sed ad Domini designationem, a fructibus ejus cognoscimus illum, Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia sunt, & sine Christo denique Christiani. Ecclesiæ synagogæ reputantur; sanctuarium Dei sanctum esse negatur: sacramenta non sancta censentur: dies festivi frustrantur solemnes. Moriuntur homines in peccatis suis; rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum, heu! nec*

Henrici impia dogmata, & scelerata gesta. *epist. 241.*

nec pœnitentia reconciliati, nec sancta communione muniti. Parvulis Christianorum Christi intercluditur vita, dum baptismi negatur gratia: nec saluti propinquare sinuntur, Salvatore licet pie clamante pro eis: Sinite, inquit, *parvulos venire ad me &c.*, & post plurima de ejusdem Henrici impietate, & gestis, hæc addit. *Sed nunc audi, quis ille sit Homo apostata est, qui relicto religionis habitu (nam monachus extitit) ad spurcitias carnis, & seculi, tamquam canis ad suum vomitum, est reversus. Præ confusione autem habitare inter cognatos, & notos non sustinens: vel potius non permissus ob magnitudinem criminis; succinxit lumbos suos, & iter qua nesciebat, arripuit, factus gyrovagus, & profugus super terram. Cumque mendicare cœpisset, posuit in sumptu Evangelium (nam litteratus erat,) & venale distrahens verbum Dei, evangelizabat ut manducaret. Si quid supra victum elicere poterat a simplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum; id ludendo aleis, aut certe in usus turpiores turpiter effundebat. Frequenter siquidem post diurnum populi plausum, nocte insecuta cum meretricibus inventus est prædicator insignis, & interdum etiam cum conjugatis. Inquire, si placet, vir nobilis, quomodo de Lausana civitate exierit: quomodo de Cenomannis: quomodo de Pictavis: quomodo de Burdegalis, nec patet ei uspiam reversionis aditus; utpote qui fœda post se ubique reliquerit vestigia. Tu de tali arbore tandem bonas sperabos fructus? Terræ profecto in qua est, fecit fœtere odorem in universa terra: quia non potest, juxta sermonem domini, orbor mala fructus bonos facere &c.* Hæc Bernardus, qui eà de causa etiam illuc profectus est; *Et nunc hujus rej gratia, licet in multa corporis infirmitate, iter arripuit ad has partes*, sociumque sollicitudinis suæ, Apostolicæ Sedis legatum Ostiensem Episcopum, Albericum scilicet Cluniacensem monachum ab Innocentio secundo inter Cardinales adscitus se habuisse testatur; *In quibus*, ait, idest cooperatoribus suis, *præcipuus est Venerabilis Ostiensis Epscopus ab Apostolica Sede ad hoc ipsum directus, homo, qui magna fecit in Israel.* Is porro Idelphonsus S. Ægidii Comes cum Ludovico Francorum Rege in Orientem biennio post profectus; *Navali exercitu Palestinam applicuit, & cum magnum quid facturus speraretur, Reginæ (ut ajunt) dolo malo potatus,* apud

JESU CHR. AN. 1145.

apud Cæsaream Palestinæ moritur, ait Robertus de Monte; & Ajmonii continuator in fine operis.

Quæ, & quanta Bernardus in ea legatione egerit.

Bernardi opera tom.6.lib. 3. cap. 6.

11. Quanta autem ibidem Bernardus egerit; Goffridus in ejus vita pluribus narrat. Inter cetera. *In partibus Tolosanis*, ait, *Henricus quidam olim monachus, tunc apostata vilis pessimæ vitæ, perniciosæ doctrinæ, verbis persuasibilibus gentis illius occupaverat levitatem*. Et infra: *Hac necessitate vir sanctus iter arripuit, ab ecclesia regionis illius sæpius jam ante rogatus, & tunc demum a Reverendissimo Alberico Ostiensi Episcopo, & Legato Sedis Apostolicæ persuasus pariter, & deductus. Veniens autem, cum incredibili devotione susceptus est a populo terræ, ac si de cœlo Angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset, tanta erat frequentia diebus ac noctibus adventantium, benedictionem expetentium, flagitantium opem. Prædicavit tamen in civitate Tolosa per aliquos dies, & in cæteris locis, ubi miser ille frequentasset amplius, & gravius infecisset, multos in fide simplices instruens, nutantes roborans, errantes revocans, subversos reparans; subversores, & obstinatos auctoritate sua premens, & opprimens, ut non dico resistere, sed ne assistere quidem, & apparere præsumerent. Cæterum etsi tunc fugit hæreticus ille, & latuit: ita tamen impeditæ sunt viæ ejus, & semitæ circumseptæ, ut vix alicubi postea tutus, tandem captus, & catenatus Episcopo traderetur. In quo itinere plurimis etiam signis in servo suo glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans, aliorum corpora a languoribus variis sanans*.

Miracula in fidei Catholicæ confirmationem edita.

12. De miraculis ab sancto viro in confirmationem catholicæ veritatis ea in legatione Tolosæ, alibique editis, hæc idem auctor addit. *Est locus in regione eadem Sarlatum nomen est illi, ubi sermone completo, plurimos ad benedicendum panes (sicut ubique, fiebat) Dei famulo offerebant. Quos ille elevata manu, & signo Crucis edito, in Dei nomine benedicens. hoc, inquit, scietis vera esse quæ a nobis, falsa quæ ab Hereticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem. Timens autem venerabilis Episcopus Carnotensium magnus ille Gaufredus, siquidem præsens erat, & proximus viro Dei: Si bona, inquit, fide sumpserint, sanabuntur. Cui pater sanctus, de Domini virtute nihil hæsitans: Non hoc ego dixerim, ait, sed vere qui gustaverint, sanabun-*

tur

tur : ut proinde vero nos , & veraces Dei nuntios esse cognoscant . Tam ingens multitudo languentium , gustato eodem pane , convaluit , ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur ; & vir sanctus per vicina loca regrediens , ob concursus intolerabiles declinaverit , & timuerit illo ire . Audisti Lector, viri sanctissimi fidem firmam de Orthodoxa Fide , quam tuebatur , & securitatem certam , certitudinemque securam de veritate Catholicæ Fidei , quam prædicabat : ut libera promissione , nulla licet fide petentis opitulante , spondeat in confirmationem Catholicæ veritatis a Deo exhibenda esse miracula .

Paraliticus Tolosæ ab Bernardo sanatus .

13. De paralitico etiam Tolosæ sanato hæc addit . *Præcipuum sane miraculum , quod per famulum suum in urbe Tolosa Christus exhibuit, paralytici cujusdam clerici curatio fuit . Hunc in domo Regularium clericorum S. Saturnini , quorum unus ipse erat , ad petitionem Abbatis , & Fratrum , circa noctis crepusculum visitans homo Dei , moribundum invenit hominem , qui extremum spiritum trahere videretur . Consolatus itaque miserum , & data benedictione egrediens (sicut postea confessus est) loquebatur in corde suo fidelis servus ad Dominum tam fiducialiter quam fideliter , dicens : Quid expectas Domine Deus ? Generatio hæc signa quærit . Alioquin minus apud eos nostris proficimus verbis , nisi abs te fuerint confirmata sequentibus signis . Eadem hora exiliit paralyticus de grabato , & accurrens secutus , & consecutus est eum , sacra vestigia devotione qua debuit amplexatus . Cui subito procedenti obvians ex Concanonicis unus expavit , & exclamavit , siquidem phantasma putabat . Quando enim de lectulo eum crederet surgere potuisse ? Egressam magis a corpore ejus animam phantastice sibi apparuisse arbitratus , aufugit : sed ipsa demum tam ei quam cæteris rei veritas fidem fecit . Egreditur exinde sermo inter fratres , curritur ad spectaculum tam jucundum . Ipse etiam occurrit inter primos Episcopus , & Legatus : inde pergitur ad Ecclesiam : eo ipso qui convaluerat præeunte conclamatur in laudes Dei , eodem pariter concinente &c.* Pergit dicere de multiplicitate signorum , ex quibus populus , qui conversus forte fuerat in arcum pravum , damnans hæreticum una cum hæresi , est reversus ad Fidem Catholicam , sicque factum , ut legatio ista optimum finem habuerit . Inde vero digressus Bernardus , cum eosdem Tolosates in fide constantes perseverare ab altero Bernar-

Jesu Chr. an. 1145. Epist. 242.

nardo Abbate de Grandisilva accepisset, cum eis gratulatus est & ut ab falsis prophetis, seu prædicatoribus caverent, admonuit; *Hoc etiam moneo vos*, ait in fine epistolæ, *quod, & dicebam vobis cum præsens essem, ut nullum extraneum, sive ignotum prædicatorem recipiatis, nisi qui missus à summo, seu a vestro permissus Pontifice prædicaverit &c.*, Albericus autem Card. Ostiensis in ea legatione Bernardi socius non multo post obiit, nam idem Albericus concilio Remensi anno 1148. celebrato, morte præventus interesse non potuit, ut Gaufridus Cisterciensis monachus in epistola ad Albanensem Cardinalem Episcopum post annos aliquot data testatur, qua ab eo de gestis in Remensi synodo, cui adsuerat, se edoceri rogat, quam Baronius anno 1148. num 20. recitat. Henrici hæretici amores, gestaque perversa pluribus exponunt acta Episcoporum Cenomanensium apud Mabillonium tomo tertio Analectorum pag. 313. & sequentibus.

Apostolici ab Bernardo confutati. *Bernardi in Cantica ser. 66.*

14. Eodem fere tempore adversus alios hæreticos certamen Bernardus habuit; qui cum auctorem non haberent, Apostolicorum nomen usurpaverant, quos his coloribus S. Abbas describit. *Nunc autem videte si non proprie dæmonum, & non hominum ludificatio hæc secundum quod prædixerat Spiritus: Quære ab illis suæ sectæ auctorem, neminem dabunt. Quæ hæresis non ex hominibus habuit proprium hæresiarcham? Manichæi Manem habuere principem, & præceptorem, Sabelliani Sabellium, Arriani Arrium, Eunomiani Eunomium, Nestoriani Nestorium: ita omnes ceteræ ejusmodi pestes, singulæ singulos magistros homines habuisse noscuntur, a quibus originem simul duxere, & nomen. Quo nomine istos titulove censebis? nullo: quoniam non est ab homine illorum hæresis &c.* Sed quod auctore carerent, & nomine, se ipsos nominavere Apostolicos idem docet inferius, dum hæc ait S. Bernardus: *Non ignoro quod se, & solos Corpus Christi esse glorientur: sed sibi hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie in mensa sua Corpus Christi, & Sanguinem consecrandi ad nutriendum se in Corpus Christi, & membra. Nempe jactant se esse successores Apostolorum, & Apostolicos nominant, nullum tamen Apostolatus sui signum valentes ostendere.* Hæc de nomine, & sua ipsorum æstimatione S. Bernardus. De conditione autem istorum ista superius: *Rusticani homines sunt, & idiotæ, & prorsus contempti-*

ptibiles . Sed non est (dico vobis) cum eis negligenter agendum : multum enim proficiunt ad impietatem &c. Porro de insania Manichæorum eosdem prodiisse vero proximum est : siquidem plura cum illis communia habent , atque imprimis secretum cum perjurio , quod Manichæorum erat , usurpantes , de quibus idem superiori sermone : *Denique indixere (ut dicitur) latebras sibi : firmaverunt sibi sermonem nequam , istiusmodi scilicet : Jura , perjura , secretum prodere noli .* Cum alioquin alias ne tenuiter quidem jurare ullatenus acquiescunt propter illud de Evangelio : *Nolite jurare neque per cœlum , neque per terram &c.* Quorum de juramento cavendo insaniam pluribus damnat , & confutat idem sanctus Bernardus . Cum Manichæis etiam in eo consentiebant , quod omnes qui de Ecclesia sunt, canes esse censerent, & porcos , ut idem subdit : *De Manichæorum quoque schola erat , quod conjugium abhorrerent , cum tamen impudicissimis sese luxuriis jugiter inquinarent . Ad hæc insuper ex eadem schola Manichæorum illud erat , abstinere a carnibus , & omnibus quæ ex carne generantur . Sed , & non nisi ex moribus Manichæorum illud prodibat , quod tales esse hæretici ne convinci possent , ut Orthodoxi in Ecclesiam cum Catholicis convenirent :* nam de his idem Sanctus : *Cumque pateat opus , non apparet auctor : ita per ea quæ in facie sunt , cuncta dissimulat . Denique si fidem interroges , nihil Christianius : si conversationem , nihil irreprehensibilius , & quæ loquitur , factis probat . Videas hominem in testimonium fidei suæ frequentare ecclesiam , honorare presbyteros , offerre munus suum , confessionem facere , sacramentis communicare . Quid fidelius ? Jam quod ad vitam , moresque spectat ; neminem concutit , neminem circumvenit , neminem supergreditur . Pallent insuper ora jejuniis , panem non comedit otiosus , operatur manibus unde vitam sustentat .* Hæc quidem ad formam Manichæorum esse composita , si legas superius in Annalibus , cum de ipsis est actum , de eisdem scripta invenies . Prodibat insuper , & de Manichæis quod subjicit : *Mulieres relictis viris , & item viri relictis uxoribus ad istos se conferunt , promiscuos , & clandestinos conventus agentes , mutuo sese omni spurcitia polluunt , cum tamen votum præferant castitatis .* Adhuc illud , quod Testamentum vetus non reciperent , sed Evangelium tantum : ex Manichæorum istos schola prodiisse quis non intelligat ? Sed adhuc audi ex eodem S. Bernardo alias his admistas hære-

JESU CHR. AN. 1145. reses, communes cum nostri temporis Novatoribus, ut ex istis se genitos esse parentibus rusticanis, & impiis glorientur: *Irrident*, inquit, *nos quia baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis, quod Sanctorum suffragia postulamus*. Et paulo post: *Porro mortuos viventium fraudantes auxiliis: viventes nihilo minus, Sanctorum, qui decesserunt, suffragiis spoliantes*. Et inferius post ista confutata, subjicit: *Non credunt autem ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem*. Et adhuc effutiebant illud: *Peccatores sunt Apostolici*, nempe Romani Pontifices, *Archiepiscopi, Episcopi, presbyteri: ac per hoc nec dandis, nec recipiendis idonei sacramentis*. Hæc & alia recitat, pariter & confutat per singula idem S. Bernardus. Quem scientia divinitus illustratum in virtute miraculorum multiplicium a Deo missum, & probatum, atque egregia vitæ sanctitate imbutum, Dei amicum fuisse, cum certo sciam, eidem firmiter inhærendo, qui inhæsit Deo, securus existo, ait Baronius, deplorans ex Christiana charitate perditissimos Novatores, qui hos nefandissimos hæreticos, se in pluribus sectantes, iisdem plus deferunt, quam Bernardo.

15. Hoc tamen constat perversam hanc zizaniam temporis tractu eo usque excrevisse, ut desinente hoc seculo, sequentisque progressu maximas ibidem turbas excitaverit, ut suo loco adnotaturi sumus; Ii quippe ex Manichæorum hæresi exorti, ut in egregio opere de variationibus Protestantium demonstrat Bossuetius lib. 11., & Bonacursus confirmat; qui Catharos consutavit, sub variis nominibus prodierunt; Ex Petro scilicet de Bruis Petrobusiani, ex Henrico Henriciani, ex Tanchelino, & Arnaldo Arnaldistæ, & Tancheliani

Dacher. spicili tom. 13. pag. 63.

Ex Manichæorum hæresi multi hæretici prodierunt.

16. In Italia autem dicti sunt Cathari, eo quod se mundos esse jactarent, atque ex eodem fonte temporis progressu Hussitæ, & Viclefistæ, ac tandem pauperes de Lugduno, & Valdenses, aliique ejusdem furfuris hæretici, prodiere quos uti parentes suos decimisexti seculi pseudo reformatores, se habuisse glorientur, quod absque invidia iis concedi potest; atque hinc facile ab Manete, etiam impurissimæ sectæ auctore, origines suas derivare poterunt; cum numquam penitus pestifera Manichæorum secta extincta remanserit, quæ etsi sæpe in Oriente unde ortum habuit, exagitata fuerit, hinc inde dispersa, & vagans, seculo nono ineunte, & decimo,

la-

latebras inter Occidentales quæsivit, temporis autem progressu variis in provinciis latenter primum Manichæi venena sua sparserunt; dejecti ubique condemnati sunt; ut ex hactenus dictis, & dicendis infra aperte constabit. Jesu Chr. an. 1145.

17. Cum in tanta negotiorum frequentia, & varietate, ad Eugenii Papæ tribunal delata, periculum esset, ne ei ex subreptione nonnulla minus caute, aut juste exciderent, quod non semel idem Pontifex sibi contigisse conqueritur; unde quædam ejusdem sententia ab Innocentio tertio revocanda etiam fuerit; Nam *perspeximus*, ait, *quod primo mense sui Pontificatus fuerit*, *ab eo*; Eugenio scilicet, *sententia promulgata*, *quando non plene de meritis ipsius causæ videbatur instructus illa nitens præcipua ratione*, *quod privilegium Urbani secundi ex parte vestra productum subjectum fuerit falsitati*, *cujus tenorem nos in registro nostro invenimus incorruptum &c.* Quare ut iis quantum fieri poterat occurreret Bernardus, Robertum Pullum Eugenii Cancellarium litteris suis excitavit, ut quanta pollebat dexteritate, & diligentia eumdem adjuvaret. *Benedictus Deus*, ait inter cetera, *qui secundum suam misericordiam Eugenium nostrum immo suum prævenit in benedictionibus dulcedinis*; deinde. *Quamobrem sollicitus sit charissime pro eo*, *cui te consolatorem*, *& consiliarium ordinavit Deus*, *& observa caute*, *secundum datam sibi sapientiam ne forte inter tam multiplicium negotiorum tumultus*, *malignorum fraude circumveniri possit*, *ut surripiatur ei verbum*, *quod indignum sit Eugenii Apostolatu*. Hæc, & alia ibidem Bernardus, quam epistolam Rolando inscriptam fuisse scribit Baronius, at ut Mabillonius, & Pagius adnotant, Roberto data fuit; qui sub initio Pontificatus Eugenii dignitatem Cancellarii R. Ecclesiæ obtinuit; eique post annos aliquot successit, ab eodem Eugenio Diaconus primum Ss. Cosmæ, & Damiani, deinde Presbyter tituli S. Marci Cardinalis ordinatus, ac tandem Romanus Pontifex Alexander tertius dictus. De Roberto Pullo ad annum 1147. vel 46. ut ait Pagius hæc adnotat Joannes Hagustaldensis in historia. *Præminuit his diebus in Clero Robertus Pollanus Cancellarius Apostolicæ Sedis in omni sapientia*, *& doctrina experientissimus*, *Britannia oriundus*; At is non diu post hunc annum superstes fuit, ait Mabillonius, cui successit Guido Card. S. Mariæ in porticu, Guidoni autem Rolandus circa annum 1150..

Bernardi epistol. ad Robertum Pullum S. R. E. Cancellarium. *Epist.* 362.

Cap. Tum ex litteris de restit. in integrum in sexto.

Mabill. Annal. Ord. Bened. lib. 77. *n.*64.*p.* 392.

JESU CHR. AN. 1145.

Petrus Abbas Venerab. Eugenium adit. *lib. 2. de Miraculis cap. 25. Epist. 177.*

18. In Primordiis *Pontificatus Domni Papæ Eugenii*, ait Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas *Romam adii visitandum tam ipsum Pontificem, quam communem matrem Romanam ecclesiam*; cum eum Romam profecturum audisset Bernardus, commendatitias pro eo ad Eugenium Papam litteras dedit, quibus eum impense laudat, & ut digno honore exciperet, rogat. *Honorate virum*, ait, *ut vere honorabile membrum in Christi corpore &c. Nam si nescitis*, subdit post aliqua *Iste est qui manus suas extendit ad pauperes ordinis nostri, iste est qui ex possessionibus ecclesiæ suæ, quantum cum pace potest suorum, libenter frequenterque largitur ad cibum &c.* ac multa in ordine suo eo auctore emendata fuisse addit. Unde etsi aliqualis inter eos disceptatio intercessisset, absque mutuæ charitatis læsione eos certasse, mutuamque benevolentiam servasse patet.

Villelmus defunctus Petro Abbati apparet.

19. In urbem adveniens Petrus *apud Cardinalatum*, idest titularem ecclesiam, *S. Mariæ novæ, quod juxta antiquum Romuli Templum constructum est, hospitium suscepi. Ibi dum nocte quadam quiescerem ecce vir venerandæ vitæ Dominus Villelmus, qui nuper de vita excesserat mihi dormienti visus est in somno adstare*, ac visionem de Gulielmo Cluniaci Priore, qui eo absente ab indisciplinato monacho, & sceleratissimo, veneno propinato necatus fuerat, fusiori stilo describit; ab urbe in Gallias reversus, & Cluniacum perveniens, *quæ de morte sancti viri suspicatus fueram*, subdit, *ipsius nefarii parricidæ publica confessione vera fuisse probavi; Quem cum ecclesiastica pietate probibente, gladio, laqueis, ignibus, vel extremis nefandorum suppliciis punire non poteram, perpetuo exilio, quod pene solum licuit, infernalem proditorem gebenna dignissimum damnavi*, ait idem venerabilis Abbas; Dum autem Venerabilis Petrus in Gallias rediret, in agro Placentino ab Marchione Opizone in itinere spoliatus fuit, sed opera Placentinorum sua omnia recepit, ut in epistola ad Eugenium quinquennio post data testatur; *Ante quinquennium*, ait, *quando videndi, & visitandi vos gratia Romam pergebam super injuria mihi, imo & vobis a Marchione Opizone illata fecerint* Placentini, *quantum inde doluerint, quanta vi fugitantem, & latibula quærentem bestiam de fovea sua ad publicum protraxerint, quidquid sorbuerat totum usque ad obulum revomere compulerunt, satisfacere tam ipsum, quam sceleris socios*

De Mirac. lib. 2. cap. 29.

Lib. 6. epist. 45.

tios pro arbitrio meo vellent, nollent, coegerint. Hæc ibidem Petrus Placentinos Eugenio Papæ commendans.

Jesu Chr. an. 1145.

20. Dum Eugenius Pontifex non semel Romanorum rebellione urbe excedere coactus fuit, ac Arnaldistarum factio urbis dominio Apostolicam Sedem spoliare præsumeret, externorum legationibus, ab ultimis etiam, remotisque orbis finibus eadem Apostolica Sedes frequentabatur, ita ut tunc quoque, ut adnotat Baronius hoc anno renovatum est divinum oraculum. *Venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob, & filii Regni eiicientur in tenebras exteriores*, ab extremo quippe Europæ limite anno proximo, ut diximus Alphonsus Portugaliæ Princeps honorificentissima in urbem legatione missa, ut obsequium, reverentiamque suam in Apostolicam Sedem testaretur, vectigale quodammodo Regnum suum fecit hoc anno, ut Otto Frisingensis narrat, ac dum Viterbii adhuc esset Eugenius Papa, Armenorum legationem suscepit.

Externorum frequentes legationes ad Sedem Apostolicam.

Mattai 8.

Otto chron. lib. 7. 32.

21. *Ea tempestate*, ait supracitatus Otto, *legati Armenorum Episcoporum, eorumque Metropolitani, quem ipsi Catholicon, id est, Universalem, propter infinitum, id est, amplius quam mille Episcoporum sub se habentem numerum vocant, Legati ab ultimo pene Oriente, Summum Pontificem Viterbii, laboriosum iter per annum, & sex menses complentes, adeunt, eique ex parte illius Ecclesiæ subjectionem omnimodam eum consultando offerentes, causas viæ nobis cum aliis multis præsentibus apud veterem aulam aperiunt, quæ tales erant: Inter ipsos, & Græcos quædam de ritu sacrificii habitudo est in quibusdam, in aliis vero discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem sicut nos, & illi. Præterea Nativitatem Domini, Epiphaniæ continuantes, duas illas festivitates unam faciunt. Pro his, & aliis, dum inter se dissentirent. Romanam Ecclesiam judicem eligentes, consultum veniunt, formamque sacrificii juxta consuetudinem ejus sibi tradi deposcunt*. Hos autem *Romanus Antistes gratanter suscipiens*, addit Otto, *Missarum solemniis, ac sacrificiis secretis adhibuit, diligenterque ea quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit. Quod dum facerent, intentique sacro altari adstarent, unus ex eis Pontificali dignitate præditus, sicut postmodum in plena Curia retulit, in B. Martini octava quando dedicatio Ecclesiæ B. Petri celebrari solet, Summo Pontifice divina mysle-*

Legatio Armenorum ad Apostol. sedem.

Jesu Chr. an. 1445. *steria agente, splendido fulgore radium Solis super caput ejus coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes, & descendentes vidit. Cumque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret, Deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat, aperuit. At venerabilis Pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cælitus hoc sibi monstratum affirmabat; ut videlicet Ecclesia, a qua ipse missus fuerat, sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps quali ea reverentia, & forma tractare deberet, addisceret. Retulit etiam præfatus Episcopus, quod in confinio Armeniæ quædam gentes essent, quæ fœtentes generarent, easque statim ad aquas Armeniorum lavandos transmitterent. Quos cum illi baptismatis unda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remissi ad paganismi ritum, & spurcitiam redibant. Quod utrum faciendum esset item Romanam Ecclesiam consuluerunt*; An autem sincero animo hæc ad Apostolicam Sedem deferentes, egerint, dubitari potest, ait Pagius, nam extant duæ Isaacj Catholici invectivæ adversus Armenios a Combefisio editæ, ibique eos, ut Apostolicam communionem promererentur, nonnulla dissimulasse ait; Ottonem vero ab Armeniorum legatis deceptum fuisse adnotat Combefisius, dum eos fermentato in Eucharistia conficienda uti dixit, etsi antiquitus eos Azimum quoque panem adhibuisse constet, ut hoc anno adnotat Pagius not. 8.

Combef. act. bibliot. Patrum tom. 2. pag.

Aliæ Orientalium legationes ad Apost. Sedem.

22. His alias ad Apostolicam sedem ex Syria, Hierosolymis, & ex internis Asiæ provinciis legationes addit. *Vidimus etiam ibi*; idest Viterbii, *tunc prætaxatum de Syria Gabulensem Episcopum, cujus præcipue opera ad plenum Antiochia Romanæ Sedi subesse cœpit, tam de Patriarcha suo Antiocheno, & de Principis matre Balduini Hierosolymitani quondam Regis filia querimoniam facientem, quam de spoliis Saracenis ablatis, jure antiquitatis exemplo Abrahæ decimas (qui a Deo recognoscens victoriam, de suis spoliis Melchisedech dedit) exigentem, ac super hoc Apostolicæ Sedis auctoritatem requirentem. Audivimus eum periculum transmarinæ Ecclesiæ post captam Edessam lacrymabiliter conquerentem, & ab hoc Alpes transcendere ad Regem Romanorum, & Francorum pro flagitando auxilio volentem.*

23. De

23. De Joanne autem Presbytero, & Rege, quem in Æthiopia regnasse quamplurimi cum Baronio tradiderunt, etsi in interioribus Asiæ regionibus Principatum tenuisse constet, hæc addit Otto. *Narrabat etiam* Gabulensis Episcopus, *quod ante non multos annos Joannes quidam, qui ultra Persidem, & Armeniam, in extremo Oriente habitans, Rex & Sacerdos cum gente sua Christianus est,* (*sed Nestorianus*) *Persarum, & Medorum reges fratres, Samiardos dictos, bello petierit, atque Ecbactani, cujus supra mentio facta est, sedem regni eorum expugnaverit. Cui dum præfati reges cum Persarum, Medorum, & Assyriorum copiis occurrerent, triduo utriusque, mori magis quam fugere volentibus, dimicatum est, Presbyter Joannes* (*sic enim eum nominare solent*) *tandem versis in fugam Persis, cruentissima cæde victor extitit. Post hanc victoriam dicebat prædictum Joannem ad auxilium Hierosolymitanæ ecclesiæ procinctum movisse, sed dum ad Tygrim venisset, ibique nullo vehiculo traducere exercitum potuisset, ad septentrionalem plagam, ubi eumdem amnem hyemali glacie congelari didicerat, iter flexisse. Ibi dum per aliquot annos moratus, gelu expectare, sed minime, hoc impediente aeris temperie, obtineret, multos ex insueto cælo de exercitu amittens ad propria redire compulsus est*, eosque ex Magorum origine, qui Jesu Christi incunabula adorarunt, prodiisse, addit; de quo plura adnotaturi sumus ad annum 1177. cum alter ejusdem regionis, & nominis Princeps, seu hujus successor, Joannes etiam Presbyter dictus, ad Alexandrum Papam tertium litteras misit, ab eoque accipere meruit.

JESU CHR. AN. 1145. De Joanne Presbytero, & Rege. *Lib.7.cap.33*

24. Ex Anglia etiam Eugenium Pontificem adiit Alexander Ligoniensis Episcopus, ut narrat Rogerius. *Eodem anno Episcopus Ligoniensis Alexander iterum Romam petens susceptus est honorifice ab Eugenio Papa novo, viro summa dignitate condigno, cujus discretio semper æqua, cujus facies semper non solum hilaris, sed etiam, & jucunda.*

Legatio ex Anglia Lingon. Episc.

25. Interea cum Eugenius Pontifex Edessa capta, Syriam, & Hierosolymam totamque Palæstinam periclitari adverteret, Christianorum Principum arma in Seracenos converti, novamque expeditionem parari curavit, ac Ludovicum Francorum Regem, ut ceteros exemplo suo excitaret, admonuit, ad quem dum adhuc exul ab urbe esset, & Vetrallæ prope Viterbium sub-

Eugenii sollicitudo pro expeditione Orientali.

Jesu Chr. An. 1145. Labb.to. 10. pag. 1046.

subsisteret, Kal. Decembris has litteras dedit. Eugenius Episcopus &c. *Quantum prædecessores nostri Romani Pontifices pro liberatione Orientalis Ecclesiæ laboraverint, antiquorum relatione didicimus, & in gestis eorum scriptum reperimus. Prædecessor enim noster felicis memoriæ Papa Urbanus, tamquam tuba intonuit, & ad ipsius deliberationem S. R. E. Filios de diversis mundi partibus sollicitare curavit. Ad ipsius siquidem vocem Ultramontani, & præcipue Francorum regni fortissimi, & strenui bellatores, & illi etiam de Italia, charitatis ardore succensi convenerunt, ut maximo congregato exercitu, non sine magna proprii sanguinis effusione, divino eos auxilio comitante, civitatem illam, in qua Salvator noster pro nobis pati voluit, & gloriosum ipsius sepulchrum passionis suæ nobis memoriale dimisit, & quamplures alias, quas prolixitatem vitantes, memorare supersedimus, a Paganorum spurcitia liberarent. Quæ per gratiam Dei, & patrum vestrorum studium, qui per intervalla temporum eas defendere, & Christianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus studuerunt, usque ad nostra tempora a Christianis detentæ sunt, & aliæ urbes Infidelium ab ipsis viriliter expugnatæ*. Nunc autem Edessa capta, in maximum discrimen Christianorum res in Oriente esse persequens addit. Quare *Universitatem vestram* ait Pontifex, *in domino commonemus, rogamus, atque præcipimus, & in peccatorum remissionem injungimus, ut qui Dei sunt, & maxime potentiores, & nobiles, viriliter accingantur, Infidelium multitudini, quæ se tempus victoriæ super nos adeptam lætatur, sic occurrere, & Ecclesiam Orientalem tanta patrum vestrorum (ut prædiximus) sanguinis effusione ab eorum tyrannide liberatam, ita defendere, & multa captivorum millia confratrum nostrorum de ipsorum manibus eripere studeatis; ut Christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur, & vestra fortitudo, quæ per universum mundum laudatur, integra, & illibata servetur*, atque ut Mathatiæ zelum, & fortitudinem imitarentur, excitat.

Eugenius Francos ad expeditionem hortatur.

Privilegia Crucesignatis concessa.

26. Atque ad eam expeditionem profecturis non solum peccatorum remissionem, olim ab Urbano secundo prædecessore tributam promittit, sed eos, eorumque possessiones sub Apostolicæ protectionis tutela se suscipere testatur, itaut toto peregrinationis tempore, usque ad reditum, nulla iis quæ-

stio

ftio aut lis intentari possit, nec ære gravati, eo tempore usuras solvere cogerentur; *Liceat eis etiam terras, sive cæteras possessiones suas postquam commoniti propinqui, sive domini, ad quorum feudum pertinent pecuniam commodare, aut voluerint, aut non voluerint: Ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, vel aliis quoque fidelibus libere sine ulla reclamatione impignorare &c.* hæc, & alia ibidem, quæ ut vulgata fuere tota Gallia commota est, ut anno sequenti dicturi sumus. Jesu Chr. an. 1145.

27. Nam Ludovicus Rex jamdiu de Hierosolymitana peregrinatione suscipienda sollicitus erat, ut votum a Philippo Fratre suo defuncto, editum solveret, is enim Basilicam Vitriaci incenderat, ibique mille tercentum promiscuæ multitudinis, ætatis, & sexus adstantes interfecerat, quare Theodosium in Thessalonicensium strage imitatus, eumdem in pœnitentia agenda imitari voluit, cumque ea ætate peregrinatio ad loca sancta inter maximas haberetur, Hierosolymam peregrinari decreverat, ut passim scriptores Gallici a Pagio relati referunt, de quibus hæc narrat Otto Frisingensis. *Ludovicus dum occulte Hierosolymam eundi desiderium haberet, eo quod frater suus Philippus eodem voto adstrictus, morte præventus fuerat: diutius protelare nolens propositum, quibusdam ex Principibus suis vocatis, quid in mente volveret, aperuit. Erat tunc temporis in Gallia cœnobii Claravallensis Abbas quidem Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia, literarumque scientia præditus, signis & miraculis clarus. Hunc Principes vocandum, ab eoque, quid de hac re fieri oporteret, tamquam a divino oraculo consulendum decernunt. Vocatur præfatus Abbas, consiliumque ipsius super prædicti exposcitur Principis voluntate. Ille de tam grandi negotio ex propriæ auctoritatis arbitrio responsum dare frivolum judicans: ut ad Romani Pontificis audientiam, & examen deferatur, optimum esse respondit. Itaque missa ad Eugenium legatione, totum illi negotium aperitur, qui antecessorum suorum exempla revolvens*, Urbani scilicet secundi, *votis prædicti Regis annuit*, quin, & datis litteris, quarum supra meminimus, quasque ex Ottone integras recitat Baronius, excitavit.

Ludovicus Hierosolymam peregrinari cogitat.

Pag. not. 12. 13. an. 1145.

Otto de gestis Freder. lib. 1. cap. 34.

Jesu Chr. an. 1146.

JESU CHRISTI an. 1146. Eugenii III. Papæ an. 2. Manuelis Comneni Imp. an. 4.

Eugenius tertius ab Romanis vexatus in Gallias transit.

Otto Frising. lib. 7. cap. 34.

Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 142.

1. Cum jamdiu inter Romanos, & Tiburtinos mutuæ exardescerent odia, ac horum opera & armis, Romanorum temeritatem Eugenius compressisset, uti anno superiore diximus, Romanorum in eos indignatio eo usque hac de causa processit, ut cum Eugenium Pontificem pro eorumdem excidio urgerent, idque Pontifex prohibuisset; *a Lateranensi Palatio improbitatem eorum non sustinens*, ait Otto, *ad Transtiberinam regionem migrans, vitæ suæ tædere confiteretur*, ac inde etiam excedens, urbemque iterum relinquens, in Gallias profectus sit, ut præsentia sua, & exhortationibus indictam expeditionem in Orientem sollicitaret. Post Pontificis discessum Tiburtini Romanorum iram experti sunt; Unde Anonymus Cassinensis ad annum 1145., seu 1146. Eugenius *Papa per transtyberim exiens, Viterbium devenit, & pacem cum Romanis reformans muros Tiburtinæ Civitatis destrui præcepit, & Civitatem Lucensem adiit*.

Romani in Tiburtinos soevitia.

Otto de gestis Frider. Imp. lib. 1. cap. 46.

2. Murorum ruinam Eugenius præcepit, aut saltem permisit, ne Romani in Tiburtinos ultra sævirent; At, his nequaquam contenti fuerunt, quin ut narrat auctor chronici Fossæ novæ ad hunc annum *Romani venerunt super Tiburim & multos ex eis decollaverunt*; Eugenius vero in Gallias profecturus Thusciam pertransiens, dum Senis esset, Arnaldus, & Calo Archidiaconi ecclesiæ Pictaviensis, Gibertum Porretanum Pictavis Episcopum, quod nonnulla circa Trinitatis mysterium docuisset, accusarunt, *Quibus Romanus antistes auditis*, ut ait Otto, respondit, se Gallias introire, ibique eam causam tractaturum, quare *Archidiaconi in Gallias redeunt, ac consulto Bernardo supra memorato Abbate, eum in comodum caussæ suæ adversus Episcopum inclinant*, ait auctor; at de gestis ab Eugenio Papa, & Bernardo in ea causa infra. Nunc Pontificis iter in Gallias prosequimur, qui ex Thuscia in Longobardiam transiens, decimo Kal. Septemb. Brixiæ degens litteras ad Gerardum Episcopum Bononiensem dedit, quibus docuit, se Regiensibus, & Parmensibus præcipisse, ne Mutinensibus adversus Nonantulanum Abbatem certantibus sese conjungerent.

2. Ibi

2. Ibi quoque epistolam Romano Clero dedit, qua jubet, ut Arnaldum Schismaticum, ejusque sectatores omnino vitarent, & Cardinalibus, ac Archipresbyteris obedientiam exhiberent, *dat. Brixiæ idibus Julii*; Inde terrestri itinere, sub initium anni proximi Gallias ingressus est, ab Ludovico, & Episcopis, ac Proceribus summo cum honore exceptus.

JESU CHR. AN. 1146. Eugenii Papæ epist. ad Clerum Romæ.

3. Interea cum Eugenius litteris suis Francorum Regem, Galliarum Proceres ad expeditionem Orientalem excitasset, Bernardi præcipue opera ad opus promovendum usus est, ut his verbis narrat continuator chronici Ottonis Frisingensis capite primo. *Anno Domini Incarnationis* 1146. *Summus Pontifex Eugenius ecclesiæ transmarinæ paterne condolens, multos ad Jerosolymitanum iter accendit, ac venerabili Bernardo Clarevallensi abbati onere prædicationis vice sui imposito, ex omnibus mundi partibus cismarinis innumerabilem exercitum coadunavit. Venerabilis itaque pater Bernardus indutus virtute Spiritus ex alto, ad injunctum sibi prædicationis officium non segniter accingitur, virtuteque verbi, omni gladio ancipiti penetrabiliori, miraculorum comitante incomparabili gloria, totam Galliam, & Germaniam peragravit, & ad expeditionem transmarinam innumerabiles excitavit*; Quot ea de caussa litteras scripserit, labores sustinuerit, ac ex infausto etiam expeditionis exitu ludibria expertus sit, ex dicendis constabit. Neque etenim alia res fuit, quæ Bernardi animum majori mœrore affecerit, quam ista, eo usque res progressa, ut, ne Dei providentia offenderetur, *lubens in me recipio*, ajebat, *detrahentium linguas maledicas, & beatus qui non fuerit in me scandalizatus*. Quanta fuerit Bernardi super hoc negotio tristitia, ex ejusdem Epistola 288. patet, quam in lecto, fortasse ob animi ægritudinem, decumbens, scripsit.

S. Bernardus præcipuus expeditionis sacræ prædicator.

Bernard. de consider. li. 2.

4. Igitur *ut ad narrationem redeamus*, ait Otto, *Bernardus Abbas Venerabilis concessa sibi Apostolica Sedis auctoritate non abusus, gladio verbi Dei fortiter accingitur, ac excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis, tandem curia generalis apud Verzelacum Galliæ oppidum, ubi B. Mariæ Magdalenæ ossa recondita sunt, indicitur, convocatis ex diversis Galliæ provinciis optimatibus, virisque illustribus, ibi Ludovicus Francorum Rex Crucem a prætaxato Abbate*,

Conventus Vezialiacensis pro expeditione ineunda indicitur. *Otto de gestis Frider. lib. 10. 36.*

JESU CHR. AN. 1146.

te, Bernardo, *cum multa mentis alacritate sumens, militiam transmarinam professus est cum Theodorico Flandrensi, & Henrico Theobaldi Diesensis filio Comitibus, ac aliis de Regno suo baronibus, virisque nobilibus*; de eodem Vegaliacensi conventu agens Odo de Diogilo Dionisianus monachus in ejusdem monasterii præfectura Sugerii successor, Ludovici Regis profectionem, & gesta prosequens libro primo hæc adnotat *anno verbi incarnati* 1146. *gloriosus Rex Francorum &c. . . . . ut dignus esset Christo, Vizeliaco in Pascha bajulando Crucem suam aggressus est eum sequi &c.* Chronographus etiam Mauriacensis, expositis christianorum calamitatibus, & periculis post Edessam captam, Regem Francorum, Regnique Proceres in Paschate convocasse, ait, iisque dixisse *magnam super hoc scitote jam mihi devotionem incumbere, unde, & vos obnixe deprecor, ut in eam studeatis voluntatem vestro comitatu, & auxilio roborare*: Vizialensem conventum anno proximo desinente, seu in Natali Domini Ludovicus indixerat; *ubi primitus secretum cordis sui* de expeditione suscipienda, revelavit, ait Diogilo S. Dionysii Abbas, ibique, *statutus est dies alius Vizeliaco in Pascha, quo in passione Domini omnes unanimiter convenirent &c.*

Ludovicus Rex, aliique plurimi Crucis insignia induunt.

5. His ibidem gestis *suscepit Rex a summo Pontifice sibi missum Crucis insigne, & Proceres multi cum eo*; Bernardus vero, qui Cruces distribuerat, de loco eminentiori in aperto campo, quoniam tantæ multitudini in oppido locus non erat, *cum cœleste organum more suo divini verbi rorem fudisset, cœperunt undique conclamando Cruces expetere, & cum earum fascem præparatam seminasset potius, quam dedisset, coactus est vestes suas in Crucem scindere, & seminare*; *In hoc laboravit quamdiu fuit in Villa*, Vezelacensi scilicet, ait supracitatus Dionysianus Monachus, qui post alia subdit. *Tandem edicto, quod post annum progrederentur, omnes ad sua cum gaudio repedarunt*, ut ad iter necessaria pararent.

Concil. to.21. pag.692. noviss. edit.

Conventus Laudunensis & Carnotensis.

6. Pro eadem Orientali expeditione paranda, alterum Lauduni conventum ab Ludovico celebratum fuisse, his verbis narrat Sugerius in epistola ad Petrum Cluniacensem Venerabilem dictum. *Inde est, quod Archiepiscopi, & Episcopi, quin etiam Dominus Rex, & Regni optimates, & nos super hoc Lauduni convenimus*; ibique conventus alter Carnuti indictus est, unde Sugerius subdit. *Et usque adeo res pro-*

lib.6. Apud Petrum Ven.

processit, quod quindecim dies post octavas Paschæ Carnuti generaliter conventum celebrare super hac causa, & multarum provinciarum Archiepiscopos, Episcopos, Abbates convocare &c. ad eum conventum S. Bernardus Petrum Abbatem Cluniacensem invitavit, *Episcopi Franciæ una cum Domino Rege, & Principibus tertia Dominica post Pascha apud Carnutum venturi sunt, & de verbo hoc tractaturi*, scilicet de misera-bili statu ecclesiæ Orientalis; *ubi utinam mereamur habere præsentiam vestram*; at Petrus Abbas S. Bernardo, & Sugerio respondens, se quidem calamitatibus Orientalium quammaxime compati in utraque epistola testatur, duabus tamen de causis, ne Carnuti ad diem statutam adesset, prohiberi ait; *Huic ergo tam sancto, tamque necessario tractatui*, ait; *ad quem humilitatem meam venerande vir, invitare voluisti, libentissime ut dixi interfuissem, si ullo modo potuissem. Quæ iter hoc meum impediant, multa sunt. Sed inter alia, specialia duo sunt. Unum, multiplex incommodum corporis mei, quod a natale Domini usque ad hoc tempus, pene assidue passus sum; aliud conventus magnus priorum, quos antequam de istis quæ mandastis aliquid scirem, in ipso fere initio quadragesimæ, pro consilio inevitabilis rei, Cluniacum ea die, qua conventus vester apud Carnutum, indictus est, venire præceperam*. Eadem fere in epistola ad Bernardum repetit.

JESU CHR. AN. 1146. *lib. 6. epist.* 21. *lib. 6. epist.* 19. *lib. 6. epist.* 20. 22. *Epist.* 22.

7. Quem Orientalis expeditionis præconem Eugenius Papa destinaverat, eumdem, Bernardum scilicet, exercitus Ducem, delegavit, ut idem Abbas ad Eugenium scribens testatur. *De cetero, ait, verbum illud quod jam, ni fallor, audistis, quomodo videlicet in Carnotensi conventu (quonam judicio satis miror) me quasi in ducem, & principem militiæ elegerunt: certum sit vobis, nec consilii mei, nec voluntatis meæ fuisse vel esse, sed nec possibilitatis meæ (quantum metior vires meas) pervenire usque illuc. Quis sum ego, ut disponam castrorum acies? ut egrediar ante facies armatorum? aut quid tam remotum a professione mea, etiam si vires suppeterent, etiam si peritia non deesset? sed neque hoc meum est, vestram docere sapientiam, nostis hæc omnia. Tantum obsecro per illam charitatem, qua mihi specialiter debitor estis, ne me humanis voluntatibus exponatis. sed sicut singulariter vobis incumbit, divinum consilium perqui-*

S. Bernardus Dux expeditionis eligitur. *Bernardi epistol.* 256.

Jesu Chr. An. 1146. *quiratis, & operam detis, ut sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.*

Quo exitu expeditionem Bernardus prædicaverit.

8. Ducatum quidem exercitus respuit Bernardus, contentus tuba canere, ad bellum animos excitare, quo autem exitu, idem Bernardus in altera ad Eugenium epistola indicat; *Mandastis, & obedivi, & fæcundavit obedientiam præcipientis auctoritas. Si quidem annuntiavi, & locutus sum, & multiplicati sunt super numerum. Vacuantur urbes, & castella, & pene jam non inveniunt, quem apprehendant septem mulieres virum unum, adeo ubique viduæ vivis remanent viris.* Hæc ad Eugenium Papam Sanctus Bernardus, nec mirum tot, tantosque viros, quin, & cujuslibet conditionis, & ætatis Bernardi prædicatione commotos, ad eam expeditionem, iterque suscipiendum sese devovisse, cum Deus frequentibus signis, tanti viri sanctitatem, opusque ab eo susceptum confirmasset, de quibus hæc Goufridus in ejus vita. *Evidenter enim verbum hoc*, inquit *prædicavit Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis, & quam multiplicibus signis? quanta vel numerare, nedum narrare, difficile foret: Nam, & eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demum scriptorum numerositas, scribendorum, & materia superavit auctorem, nimirum cum aliquando una die viginti, seu etiam plures ab incommodis variis sanarentur, nec facile ab hujusmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Christus per servi sui tactum, & orationem, ex ipsis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convalescere, surdos fecit audire, & mutos loqui, mirabilius restituente gratia, quod minus præstitum fuerat a natura.* Hæc ipse.

lib. 3. cap. 4.

Bernardus pro Remensi Archiepiscopo apud Eugenium intercedit.

9. Interea cum ea consuetudo tunc vigeret, ut in solemnioribus festis Reges ab Episcopis coronarentur, dum Carnuti conventus haberetur, absente Petro Bituricensi Episcopo, Sampson Remensis Regem Ludovicum coronavit, quod cum perperam ab eo tentatum fuisse Eugenio Pontifici Eugenio nonnulli suggessissent Sampsonem Remensem Eugenius Papa ab Pallii usu privavit. Quod cum accepisset S. Bernardus, pro amico suo Sampsone statim apud Eugenium intercessor fuit, ac præposteræ severitatis Pontificem arguit, cum præsertim circumstantiis loci, & temporis attentis, dissimulare id debuisset. *Parcat vobis Deus,*

Deus, ait Abbas, *quid fecistis, faciem hominis verecundissimi confudistis, & cujus laus est in Ecclesia, ipsum in facie Ecclesiæ humiliastis, lætificastis omnes inimicos ejus, sed quantos vos contristasse putatis? Non est modus condolendi, quia amicorum non est numerus. Dilectus a Deo, & hominibus grandis criminis luit pœnas, nullius convictus, nullius confessus, Tenemus, Phinees sentimus zelum: Israelites perfoditur, sed non cum Madianitide. Imponitur ei quod Regem coronavit: sed in hoc non existimat excessisse se tenorem privilegiorum suorum. Obiicitur quod scienter divina præsumpserit celebrare in Ecclesia interdicta: negat. Suo tempore probabitur illud, purgabitur istud. Esto autem, putemus omnia constare, quæcumque in absentem adversariis ejus licuit, aut libuit loqui: debuit ne hoc solo excessu, cujus cætera laudabilia extiterunt, tam dure feriri, tam severe animadverti? semel excessisse etiam virtus poterat reputari, si de vestro, non de vultu inimicorum ejus judicium prodiisset. Deinde quid in arcto illo fieri oportebat? Dies celebris, solemnis Curia, juvenis Rex; & quod his majus est, Dei negotium de Hierosolymitana scilicet expeditione, propter quod omnes convenerant. Prorsus hæc omnia, Missarum, & coronæ regiæ solemnis, debitique honoris frustrationem nullatenus admittebant. Sed nec ipsi Bituricensi Archiepiscopo omnino expediebat, ut honor Regis per eum impediretur. Quæ cum ita se habuerint, æstimamus locum misericordiæ non deesse, ubi tanta necessitas typum excusat contumaciæ &c.* & iterum post aliqua, *tolerabilius fateor habuissem interdici mihi Missarum celebrationem, quam Archiepiscopo pallii usum. Est etiam quod non mediocriter vestro pio rigori obviat in hac parte, quod filio vestro Regi Ludovico possit hinc non parvæ offensionis, & irritationis occasio dari, cum ipse sibi tota mali hujus videatur esse occasio. Quod plane tempore isto non expedit, ne bonum, quod vestro hortatu bono, & magno animo cœpit, dignum, quod absit, non habeat exitum*; expeditio, scilicet, Orientalis, pro qua tantam hactenus idem Rex Ludovicus sollicitudinem gesserat. Nam, ut Odo Diogilo narrat. *Rex quasi jam nactus gaudium suum fidei propagandæ, de spe futuri exercitus copiosi, in Apuliam Regi Rogerio nuncios mittit. Qui de omnibus rescripsit ad libitum. Insuper viros remisit nobiles, qui regnum suum in victualibus, & navigio, & omni*

JESU CHR. AN. 1146. Epist. 247.

LudoviciRegis sollicitudo proOrientali expeditione.

Jesu Chr. an. 1146. lib. 1.

ni necessitate , & se vel suum filium itineris socium promittebat . Misit etiam alios CPolitano Imperatori (nempe Manueli), *cujus nomen ignoro , quia non est scriptum in libro vitæ . Hic in longo rotulo prolixam adulationem depinxit , & Regem nostrum nominando sanctum , amicum , & fratrem , promisit plurima , quæ opere non implevit &c.* Scripsit quoque ut subdit auctor , ad Conradum Germaniæ , & ad Geisam Hungarorum Reges , quos , ut sibi , suisque in Orientem transituris rogavit , ut commeatum pararent , transitumque permitterent , *quorum nuncios , & litteras ad suam volontatem recepit*, ait auctor , quare Parisios reversus *Imperatorum sacras* , seu Emanuelis litteras , *& Ducum chartas offerunt , verboque & litteris , quidquid poposcerat , pollicentur*, eaque spe innixus anno sequenti iter ingressus est .

Manuelis Imper. epist. ad Lodovicum Franc. Regem . *tom. 1. p. 400. Pepani opere tom. 1. p. 400.*

10. Extat etiam Manuelis Imp. epistola ad Ludovicum Regem , qua , uti supra ex Odone audivimus , Francorum Regem *Sanctum , amicum , & fratrem* nominat , cui *promisit plurima , quæ opere non implevit* . Eam in thesauro anecdotorum vulgarunt Martene , & Durandus , eamdemque in appendice ad Pepanum intulit Amaduzius , *delata est Imperio meo* , ait Imperator , *littera tuæ nobilitatis , atque sublecta in qua scripsisti Imperio meo quia disposuisti exire in viam Dei & expetisti Imperium meum concessionem viæ , transitusque simul , & emptionem* , victualium scilicet ; *Cum audisset Imperium vestram motionem , gratiosam habuit hanc , & gavisum est in hujusce auditu ; Crede namque semper cupiebat hujusmodi , hominem videre , qualis est tua nobilitas , & jungi , & colloqui ei , etest Dei volontas , & veniat tua nobilitas , in magnam acceptionem erit hoc Imperii mei ; Cupit enim Imperium meum , crede , nobilitatem tuam videre , cum audierit , qualis est Dej gratia &c.* , ac se legatos ejus cum gaudio suscepisse , suosque misisse , ac adventum ejus se quammaxime exoptare addit , *& Millies , millies utinam veniat nobilitas tua &c.* , & iterum . *Ne speret ergo tua nobilitas impedimentum quodlibet ab Imperio meo reperire . Cum magna enim lætitia accepturum est tuam nobilitatem Imperium meum , & opportune viam tuam præparaturum , & transitus extructurum tuæ nobilitati , & panegyra , et conventa rerum venalium* , idest , victualia præstiturum : at hæc omnia fide Græca promisit , ut ex dicendis infra constabit .

11. Nunc

11. Nunc ad Bernardum redimus, qui cum innumerabiles ferme in Galliis ad transmarinam expeditionem excitasset, *Orientale Francorum Regnum aggredi, disponit*, seu Germaniam, ait Otto, *tam ob hoc, ut animum Principis Romanorum*, seu Corradi Regis, *sacræ exhortationis verbo, ad accipiendam crucem emolliret: quam ut Rudolfo, occasione Judæorum crebras in civitatibus seditiones populo contra Dominos suos moventi, silentium imponeret. Audiens hoc Princeps, generalem curiam in Nativitate Domini apud Spiram civitatem celebrandam indixit. Quo veniens prædictus Abbas, Principi cum Friderico fratris sui filio, aliisque Principibus, & viris illustribus crucem accipere persuasit, plurima in publico, vel occulto faciendo miracula. Moguntiam quoque veniens, Rudolfum in maximo favore populi morantem invenit. Quo accersito, præmonitoque, ne contra monachorum regulam, per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis assumeret, tandem ad hoc eum, ut sibi promissa obedientia, in cœnobium suum transiret, induxit: populo graviter indignante, & nisi ipsius sanctitatis consideratione revocaretur, etiam seditionem movere volente*. Hæc Otto Frinsingensis Episcopus, qui unus ex Cruce signatis fuit, ac de gestis anni proximi initio, post hæc, subdit, *Princeps*, Corradus, Bojariam ingreditur, ibique mense Februario *generalem curiam celebravit, ducens secum vice Claravallensis abbatis, Ebberacensem abbatem Addam, virum religiosum, & honeste eruditum, qui Missarum solemnia ex more celebrans, invocataque sancti spiritus gratia, ambonem ascendit: ac lectis Apostolicæ Sedis, & Claravallensis abbatis litteris, brevi exhortatione facta, pene omnibus qui aderant, præfatam militiam profiteri persuasit. Neque enim persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, vel artificiosa juxta præcepta Rhetorum orationis circuitus insinuatione egebat: cunctis qui aderant, ex priore rumore excitatis, ad accipiendam crucem ultro occurrentibus. Accepere eadem hora crucem tres Episcopi, videlicet Henricus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Reginbertus Pataviensis, & Dux Noricorum Henricus frater Regis; de ordineque Comitum nobilium, virorum illustrium innumerabiles. Tanta etiam (mirum dicta) prædonum, & latronum advolabat multitudo, ut nullus sani capitis hanc tam subitam quam insolitam mutationem, ex dextera excelsi* pro-

JESU CHR. AN. 1146.

S. Bernardus Germaniæ Populos ad sacram expeditionem hortatur.

Otto Frising. de gestis Frider. lib. 1. cap. 39.

cap. 40.

JESU CHR. AN. 1146.

provenire non cognosceret, cognoscendo, attonita mente non obstupesceret. Guelfo quoque Henrici prioris Ducis frater, de nobilissimis regni optimatibus, in ipsa nativitatis dominicæ nocte, in propria villa Bitengou, eamdem militiam cum multis professus fuerat. Sed, & Dux Boemorum Labeslaus, & Styrensis Marchio Odoacer, & Carinthiæ illustris Comes Bernardus non multo post cum magno suorum comitatu Cruces accepere &c.

Bernardi epistol. ad Episcop. Germaniæ hortatoria. *Epist. 364.*

12. Quos vero verbis præsens ad transmarinam expeditionem excitare non poterat, litteris usquecumque vulgatis, ad iter suscipiendum Bernardus excitavit, cujus extat epistola ab Ottone relata Archiepiscopis, Episcopis, & universo clero, & populo Orientalis Franciæ, & Bojariæ, qua se de Christi negotio, communique salute tractaturum ait, deinde. *Agerem id libentius viva voce, si ut voluntas non deest, suppeteret & facultas. Ecce nunc, fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies copiosæ salutis. Commota est siquidem & contremuit terra, quia cœpit Deus cæli perdere terram suam. Suam in qua visus est, & annis plusquam triginta homo cum hominibus conversatus est: suam utique, quam illustravit miraculis, quam dedicavit sanguine proprio, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt. Et nunc, peccatis nostris exigentibus, Crucis adversarii caput extulere sacrilegum, depopulantes in ore gladii Terram benedictam, Terram promissionis. Prope est, si non fuerit qui resistat, ut in ipsam Dei viventis irruant civitatem, ut officinas nostræ redemptionis evertant, ut polluant loca sancta, Agni immaculati purpurata cruore. Ad ipsum proh dolor, religionis Christianæ sacrarium inbiant ore sacrilego, lectumque ipsum invadere, & conculcare conantur, in quo & propter nos Vita nostra obdormivit in morte. Quid facitis viri fortes, quid facitis servi Crucis? Itane dabitis sanctum canibus, & margaritas porcis? &c.* quare eos ut arma adversus Christi hostes sumerent, quæ sæpe ob privata diffidia tractaverant, hortatur. Eos deinde admonet, ne Judæis infesti essent, neque eos interficerent, aut suis sedibus ejicerent, id tantum *ab eis exigendum tenore Apostolici mandati, ut omnes, qui Crucis signum susceperint ab usurarum exactione liberos omnino dimittant &c.*

Salubre Bernardi consilium.

13. Tandem saluberrimum iis consilium, seu præceptum his verbis suggerit. *Illud quoque admonitos vos esse, est*

est necesse fratres dilectissimi, ut si quis forte amans primatum gerere inter vos, expeditione sua regni voluerit exercitum prævenire, nullatenus audeat: & si a nobis missum se simulet, non est verum: aut ostendat literas tamquam a nobis datas: sed omnino falsas, ne dicam furtivas esse dicatis. Viros bellicosos & gnaros talium duces eligere est, & simul proficisci exercitum Domini, ut ubique habeat robur, & non possit a quibuslibet violentiam sustinere. Fuit enim in priori expeditione, antequam Hierosolyma caperetur, vir quidam Petrus nomine, cujus & vos, ni fallor, sæpe mentionem audistis. Is populum qui sibi crediderat, solum cum suis incedens tantis periculis dedit, ut aut nulli, aut paucissimi eorum evaserint, qui non corruerint aut fame, aut gladio. Propterea omnino timendum est, si similiter & vos feceritis, ne contingat, & vobis similiter, quod avertat a vobis Deus, qui est benedictus in secula. Amen. Hactenus S. Bernardus.

JESU CHR. AN. 1146.

14. Dum Bernardus ad transmarinam expeditionem Orientales Francos, seu Germaniæ populos excitabat; Rodulphus quidam monachus, seu Eremita, indiscreto zelo motus, vel captandæ plebis gratia, non solum Crucem sumere populos hortabatur, sed etiam adversus Judæos excitabat, cumque ex Argentina, Moguntia, Spira, Vormatia, Agrippina multa hominum millia collegisset, ut Judei tamquam christianæ religionis hostes trucidarentur, jussit, quorum plurimi cum interempti essent, ceteri Norimbergam, aliaque in Norico oppida sub Romanorum tutela transierunt, ait Otto, Germaniæ etiam Episcopi Rodulphi prædicatione totam fere Germaniam perturbari conquesti sunt, quasi id Bernardi jussu, vel consensu perageret; *At præfatus Claravallensis Abbas hujusmodi doctrinam præcavendam docens, ad Gallia, Germaniamque populos nuncios, seu litteras destinavit*, quibus ex sacræ scripturæ auctoritate docebat Judæos ob eorum excessus, non occidendos, sed dispergendos esse, illud præcipue ex psalmo 57. usurpans. *Deus ostendit mihi super inimicos meos ne occidas eos*, & iterum *disperge eos in virtute tua*.

Bernardus Judæos vexari prohibet.

Otto Frising. de gestis Frider. lib. 1. 37.

cap. 38.

15. Quare, ut supra diximus, dum Germaniæ Episcopos, & populos ad Crucem sumendam excitavit, ut ab inferenda Judæis injuria se abstinerent, admonuit; Altera vero epistola ad Henricum Moguntinum Archiepiscopum, se in-

Bernardi epistol. 365. ad Henricum Mogunt. Ep.

scio

JESU CHR. AN. 1146. scio, & invito, Rodulphum ea prædicasse, vel perpetrasse testatur; ubi post exordium de factioso Rodulpho hæc addit. *Homo ille, de quo agitur in litteris vestris, neque ab homine, neque per hominem, sed neque a Deo missus venit. Quod si se monachum aut eremitam jactat, & ex eo sibi assumit libertatem vel officium prædicationis, potest scire & debet, quod monachus non habet docentis, sed plangentis officium, quippe cui oppidum carcer esse debet, solitudo Paradisus. Hic vero a contrariis, & solitudinem pro carcere, & oppidum habet pro Paradiso. O hominem sine pectore, o hominem sine fronte, cujus stultitia elevata est super candelabrum, ut appareat omnibus, qui sunt in domo! Tria sunt in eo reprehensione dignissima, usurpatio prædicationis, contemptus Episcoporum, homicidii approbati libertas &c.* & post alia in detestationem tanti sceleris, seu hæresis, ut ait Bernardus, hæc iterum adnotat. *O monstruosa scientia, o sapientia infernalis, contraria Prophetis, & Apostolis inimica, subversio pietatis & gratiæ! O immundissima hæresis! O meretrix sacrilega, quæ impregnata de spiritu falsitatis, concepit dolorem & peperit iniquitatem. Libet, sed non licet ultra progredi. Ad ultimum, ut omnia quæ sentio super his, breviter comprehendam: homo est magnus in oculis suis, plenus spiritu arrogantiæ, verba, & opera ejus prætendunt, quod conatur sibi facere nomen juxta nomen magnorum, qui sunt in terris: sed non habet sumptus ad perficiendum.* Hucusque de Rodulpho, novæ hæresis auctore, Bernardus,

Petri Clun. Abbatis epistol. ad Lodovicum de Judæis. *lib. 5. epist. 33.*

16. Judæorum patrocinium Petrus quoque Cluniacensis Abbas hoc eodem tempore datis ad Lodovicum Francorum Regem litteris suscepit; Atque dum susceptum itineris propositum laudat, post multa de Saracenorum, Judæorumque perfidia adnotata, hæc addit. *Nec ad hoc ista dico, ut regalem, vel Christianum gladium in necem nefandorum illorum exacuam, quia scriptum de eis est in psalmo. Ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos*; legibus tamen pœnisque coercendos esse admonet, quos multis modis christianis infestos esse probat, dum usuris exhauriunt, vel res furtivas, ecclesiæ etiam vasa, sacrasque supellectiles abscondunt, furesque fovent.

Christianus puer a Judæis crucifixus.

17. Ut in Judæorum perniciem, vel necem indiscretus Christianorum zelus hoc tempore exardesceret, præter an-

antiquam maledictionem, qua tota Judæorum natio tenetur, atrox ipsorum facinus in Anglia recens admissum, novos stimulos addidit; ad hunc quippe annum pseudo Robertus in appendice ad Sigebertum narrat. *Apud Norvicum Angliæ civitatem Judæi crucifixerunt puerum quemdam christianum nomine Villelmum, quem etiam foras civitatem ab eis sepultum, divina lux, ut ferunt, super eum emicans declaravit, sicque a fidelibus inventus, honorabiliter est in ecclesia positus*; hæc autem ut in orbem vulgata sunt, christianorum iram in eos excitavit. Idem facinus in Anglia perpetratum Vestmonasteriensis in chronico anno superiori 1145., ac alterum Judaicæ perfidiæ, & crudelitatis exemplum ad annum 1160. Henrici Regis anno 6. narrat Brontonus, pueri scilicet a Judæis crucifixi prope Gloverniam, ut videre est pag. 1050. Neque hic finis crudelitatis: rursus enim anno 1181. *martyrizatus est ad Pascha apud Sanctum Edmundum a Judæis puer quidam Robertus nomine: qui in proximo in Ecclesia S. Edmundi honorifice sepultus, multis, ut fama fuit, claruit miraculis*, inquit Gervasius Monachus in Chron. Denique Henricus de Knygton Leicestrensis Abbatiæ Canonicus lib. 2. de eventibus Anglorum cap. 15. affirmat, quod *anno 1255. Judæi crucifixerint Hugonem, novennem puerum Lincolniæ Kal. Augusti*, tam infandi sceleris exempla profert Bollandus ad diem 25. Martii, dum de pueri Villelmi Norvici martyrium narrat. JESU CHR. AN. 1146.

18. Dum tota Gallia, & Germania sese ad transmarinum iter pararent, altera eodem fere tempore expeditio adversus Boreales Sclavos, qui adhuc in Idolatriæ cultu cœcutiebant, annuente Eugenio Papa, vel etiam jubente suscepta est; *Saxones* quippe, *quia quasdam gentes spurcitiis Idolorum deditas vicinas habent, ad Orientem proficisci abnuentes, crucis itidem, easdem gentes bello attentaturi, assumpserunt, a nostris in hoc distantes, quod non simpliciter vestibus assutæ* cruces scilicet, *sed a rota subterposita in altum protendebantur*. Hæc Otto, qui ista tunc præsens inspiciebat. Sed qui tunc scribebat Saxo Grammaticus, de ista expeditione in Boreales Paganos sicut luculentius, ita & locupletius tractat, aitque: *Per eadem tempora Romanus Antistes barbaricæ tempestatis procella rem divinam pene obrutam ever-* Expeditio Crucesignatorum in Sclavos.

sam-

JESU CHR. AN. 1146.

famque conspiciens, datis per Europam epistolis, universos Christianæ credulitatis hostes ab ejus cultoribus oppugnari præcepit. Singulæ autem Catholicorum provinciæ confinem sibi barbariem incessere jubebantur. Ne ergo Dani privatæ militiæ rebus publicæ religionis officia detrectarent, sumptis sacræ peregrinationis insignibus, imperium amplectuntur. Igitur Canutus, ac Sueno, invicem obsidibus datis, depositisque inimicitiarum exercitiis, rei melius gerendæ gratia pacem pro tempore statuunt, revocatumque a suis visceribus ferrum, ad sacrorum vindictam convertunt. Discordiam itaque a regni æmulatione profectam sociæ expeditionis fœdere castigantes, junctis viribus Sclaviam petunt, Germanis ex condicto diversam ejus invadentibus plagam. Erant hi Saxones, ut ex Ottone nuper audisti, nam & paulo inferius idem scriptor hæc subdit: *Occurrunt in littore Saxones, & ipsi vindicandæ religionis cupientissimi, militiæ socii Danis futuri:* Sed quam parum felicem exitum habuerit expeditio ista, ad sociale bellum conversis Principibus, idem auctor pluribus narrat. At non in Boreales tantum Paganos, sed & in Saracenos illos, qui adhuc loca quamplurima Hispaniæ possidebant, expeditionem navalem motam esse, Dodechinus tradit in Chronico anno sequenti. Quod autem in Paganos idolorum cultores perfici hoc anno non potuit, feliciter postea peractum per Waldemarum filium S. Canuti martyris Daniæ Regis, suo loco dicturi sumus.

Anselmus Tornacensis Episc. ordinatur.

19. Hoc itidem anno Tornacensis ecclesia, quæ per quingentos, & ultra annos Episcopis Noviomensis ecclesiæ commendata, eique unita fuerat, proprium Episcopum Anselmum ex Abbate S. Vincentii Laudunensis habere meruit ab Eugenio Papa; Tornacensis quippe ecclesia anno 532. Noviomensi sub Sancto Medardo Episcopo unita fuerat: Tornacenses vero non semel se proprium Episcopum habere tentaverant, sed Carnotensis Episcopus, de utriusque Episcopatus unione agens veritus ne inde schisma in Regno Franciæ oriretur scripsit ad Paschalem II. Epistolam 238. eumque rogavit, ut statum duarum illarum Ecclesiarum inconcussum manere concederet, *ne hac occasione schisma, quod est in Germanico regno adversus Sedem Apostolicam in Galliarum regno suscitetur.* Paulo post: *Præterea cum dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honeste ferre non valeat, providen-*

dendum est, ne ista divisione uterque Episcopus fiat pauper. Paschali II., e vivis erepto Tornacenses majori studio Callistum secundum, ut proprius eidem Ecclesiæ Episcopus restitueretur, rogaverant, qui tamen rogatu Lodovici VI. Francorum Regis rescriptum dedit pro confirmatione unionis duarum Ecclesiarum, a Marloto lib. 2. Hist. Metropolis Remensis cap. 31. relatum, in quo ait: *Noviomensis, & Tornacensis Ecclesiarum, & Parochiarum unitatem, a nostris prædecessoribus inconvulsam, usque ad hæc tempora conservatam, præsentis decreti pagina confirmamus, & ratam in perpetuum permanere decrevimus.*

Tornacensis Episcopatus restituitur.

20. Cumque Tornacenses hoc tempore, ut sibi Episcopum restitueret, Eugenium rogassent, voti tandem compotes effecti sunt, & Anselmum ab eis electum, suis ipse manibus Pontifex consecravit, ac ad eos remisit, ut idem Eugenius in epistola ad Clerum, & populum Tornacensem *data trans tyberim* hoc anno testatur, altera ad Ludovicum Francorum Regem data, eodem loco, eademque die Regem sic hortatur & admonet, *ut nullius prava suggestio cor tuum super hoc moveat, sed quod pro tanta necessitate, & tot millium hominum salute factum est, hilari vultu, & læto animo suscipias, & eumdem Episcopum pro B. Petri, & nostra reverentia, magnitudinis tuæ consilio, & auxilio, & juvare, & manutenere studeas &c.*, urbe autem egressus Eugenius, dum Viterbii esset Kal. Augusti ad eumdem Anselmum Tornacensem Episcopum scribens, idem confirmat, denique Herimanus Monachus cum in libro de miraculis S. Mariæ Laudanensis lib: 3. 21. tum in alio de restauratione Abbatiæ S. Martini Tornacensis cap. 113. hoc anno hæc gesta fuisse narrat, cujus textum Pagius nota 20. recitat.

Eugenii Papæ epist. de Tornacensi Episcopo. *Lab. tom. 10. pag. 1086.*

Villelmi Hierosolym. Patriarchæ obitus, cui Fulcherius succedit. *Villelm. Tyr. lib. 16. cap. 15. 17.*

21 Hoc etiam anno, vel fortasse proximo 1145. ut adnotat Pagius Villelmus Patriarcha Hierosolymitanus postquam annos quindecim eam sedem obtinuisset ex hac vita, *quinto Kal. Octobris* decessit, in cujus locum subrogatus est, *subsequente Januario octavo Kal. Febr.* Fulcherius Tyri Archiepiscopus, ut narrat Gulielmus; Tyriensem autem sedem obtinuit Petrus Prior Dominici sepulchri, ut subdit auctor, *de citeriore natus Hispania, de civitate Barcinona nobilis secundum carnem, sed spiritu nobilior, cujus vita, & conversatio longiores, & diligentiores postulant tractatus, sed nos historia jubet, ut omissis specialibus de publicis edisseramus &c.* his addit

JESU CHR. AN. 1146. dit Rodulphum Tyriensis sedis invasorem, *Regis cancellarium virum utique litteratum, sed nimis secularem, Anglicum natione, forma decorum, Regi, & Reginæ cunctisque curialibus valde acceptum*, biennio circiter eam sedem obtinuisse; *quousque per Romanum Pontificem, præsentibus partibus lis decisa, dictante Domino Eugenio, factum prædicti Cancellarii, in irritum est deductum*, qui tamen postea ab Hadriano Papa, ut subdit Villelmus, *qui ejus*, seu Rodulphi *patriota erat, ad Ecclesiam assumptus Betlhemiticam, Episcopus ejus loci ordinatus est*; Rodulpho autem ne Tyriensem sedem obtineret, restitit Joannes Pisanus ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus, *qui postea fuit Cardinalis S. R. E. tituli S. Silvestri, & Martini*.

Michael Oxita CP sedi renunciat.

22. Hoc etiam anno Michael Oxita CP Patriarcha anno 1143. ordinatus, cum sedisset annos duos, menses octo, ut in catalogo Episcoporum CP legitur, eam sedem sponte dimisit, de quo hæc Nicetas. *Is Michael summa sede ultro cessit, & in Oxiam insulam rediit, in qua vitæ inopis, & simplicis institutum a puero fuerat amplexus. Ibi in templi vestibulo prostratus, cuivis monacho collum calcandum præbuit, quod contra quam sibi expediret, adamatam a primis annis quietem repudiasset, nulloque cum fructu thronum sublimem conscendisset*. Hæc Nicetas, qui de ejus successore mox subiicit ista. *Cosmus vero tum in numero diaconorum erat, patria Ægyneta, & quamvis eruditissimus, virtutum tamen choro erat illustrior. In primis benignitate erga pauperes erat insignis, quæ tanquam in pretioso monili gemma radians, sic ipsa inter virtutes cæteras elucebat. Adeo ut aliquando pallium & tunicam, & lineam calyptram capitis pauperibus, & misericordia motus distribueret, nec de suo tantum largiretur; sed alios etiam, ut pauperum inopiæ subvenirent, impelleret*. Hæc de Cosma Nicetas.

Nicet. pa. 53.

Cosmas Atticus CP Patriarcha deiicitur. pag. 54.

23. Is autem etsi fide integra, purisque moribus esset, cum vix per annum eam sedem tenuisset; *Factio Pontificum*, ait Nicetas, *virtutis inimicorum, & huic Sanctissimi viri instituto adversantium, cum apud Imperatorem deferunt, quasi Isacio fratri Regnum conciliare studeret &c.* eo quod aliqualis inter eos familiaritas intercedebat, ac Cosmæ monita, vel consilia Isacius sequeretur, quare cum eum a throno deturbare Imperator cuperet, accusatus est, quod cum Nepho-

phone quodam monacho, qui olim in carcerem, tamquam Bogomilorum hæresi suspectus, conjectus fuerat, eadem sentiret, quem inter amicos, & commensales Patriarcha habebat, ea itaque de causa *in judicium adductus*, ait Nicetas, *& potius præjudicio condemnatus, cum ea rogaretur quæ ignorabat, ob eaque per Ostracismum quemdam pelleretur, indignatione plenus Imperatricis uterum execratur, ne mares liberos pariat, & ex proceribus quosdam censura ecclesiastica notat &c.* An autem ob tanti patris execrationem puellas tantum Imperatrix pepererit, haud scio, ait Nicetas, qui alia ibidem Cosmæ gesta enarrat; Sententiam adversus Cosmam in synodo CP latam refert Allatius lib. 2. de consensu Ecclesiæ Occident., & Orientalis cap. 12. cui, Chasitonem successisse addit Baronius, at eum post annum 1170. eam sedem obtinuisse adnotat Pagius. *Bar. 1147. n. ultimo pag. an. 1179. 16.*

24. Ecclesiæ gesta hactenus nos detinuerunt, pauca nunc de secularibus addimus, cum Pagio, & Muratorio adnotantes, hoc tempore, vel etiam hoc anno ab Rogerio Siciliæ Rege expeditionem in Africam susceptam fuisse, cujus mentio apud Robertum de Monte a Dacherio editum; *Rogerius Rex Siciliæ*. ait, *Tripolitam provinciam in Africa super Paganos*, seu potius Mahumetanos, *cœpit*. In qua expeditione Ricardus de Lingone egregiam navavit operam, ait auctor, cui Rogerius pro remuneratione, *Comitatum Andri insulæ, quem nuper idem Rex super Imperatorem CPolitanum ceperat*, dedit. Anonymus etiam auctor Cassinensis chronici brevioris ad annum proximum 1145. *Rex Rogerius cœpit Tripolim*, ait, & iterum hoc anno *Rex Rogerius cepit Africam*; At de his plura dabit Pagius hoc, & sequenti anno. *Rogerii expeditio in Africam.* *Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 142.*

25. Africanæ expeditioni ab Rogerio susceptæ Orientalem addimus, idest adversus Manuelem Imperatorem, quem etsi anno 1148 alligaverit Pagius, labenti tamen magis convenire, Africanam vero hanc præcessisse, & cum anno 1145. vel 1146. contigisse contendit Muratorius; sed sive Africana Orientalem præcesserit, vel Orientalis Africanam, cum inter se chronologi diffideant; hoc fere triennio utramque ab Rogerio susceptam certum est; Cum itaque jam diu cum Siciliæ Regibus Orientis Imperatores diffiderent, quippe qui se ex Siciliæ Regno, & Calabriæ, & Apuliæ littoribus exclusos ab Nortmannis fuisse ægre ferrent; unde *Rogerii expeditio in Orientem ejusque Victoriæ.*

Jesu Chr. an. 1146. Otto Chron. lib.7.cap.28.

alias ea de causa Græci in Italiam exercitum duxerant, sicuti, & Nortmanni in Orientem: eadem diffidia hoc etiam tempore excitata sunt; Quamobrem narrat Otto Orientalibus Imperatoribus in more fuisse fœdera cum Germaniæ Regibus vel Imperatoribus inire adversus Siciliæ Reges, hinc *Manuel ad Regnum sublimatus, nuncios cum muneribus prætiosis misit ad Corradum Regem, & cum eo fœdus renovavit contra Rogerium utriusque Imperii invasorem*. De fœdere ineundo inter Joannem, & Corradum extant apud Ottonem epistolæ hinc inde datæ, & redditæ, cujus Polanum Venetiæ Ducem mediatorem fuisse legitur; *Quia vero*, ait Manuel, *prudentissimus Dux Venetiæ Petrus Polanus mediator a nobilitate tua in his causis assumptus est, sicut vir bonus ac fidelis ambabus partibus, & hoc nobis placere dignum est*, atque de his quæ adversus Rogerium meditabatur, ex nunciis suis cogniturum addit. *De Apuliæ, & Longobardiæ causa prudentissimis apocrysariis nostris, quæ a nobis visa sunt, jussimus* indicare, ait Joannes Imperator, cui cum Manuel successisset, in apertum bellum res processit, de quibus hæc idem Otto. *Circa idem tempus Rogerius Siculus aptatis in Apulia, Calabria triremibus, & biremibus, quas modo galeas seu sagittas vulgo dicere solent, aliisque navibus bellicis onerariis, classem in Græciam destinat, præfectis eis Ducibus strenuis, & in navali prælio gnaris. Armatis itaque navibus Græciæ fines ingrediuntur, ac Mutino sine impedimento, gravique negocio capto, ad Gursol usque fortissimum Græciæ castrum procedunt. Quod dum nulla capere vi prævalerent, ad dolos, & ingenia se vertunt. Igitur præmissis quibusdam, ut dicitur, qui se quempiam mortuum humandi gratia deferre simularent (est enim in prædicta arce castri, sicut Græcis mos est, congregatio clericorum seu monachorum,) idem castrum irruunt, arcem occupant, Græcis ejectis, præsidiisque suis ibidem locatis. Inde ad interiora Græciæ progressi, Corinthum, Thebas, Athenas, antiqua nobilitate celebres expugnant: ac maxima ibidem præda direpta, opifices etiam qui sericos pannos texere solent, ob ignominiam Imperatoris illius, suique principis gloriam, captivos deducunt. Quos Rogerius in Palermo Siciliæ metropoli collocans, artem illam texendi suos edocere præcepit: & exhinc prædicta ars illa prius a Græcis tantum inter Christianos habita, Romanis patere cœpit ingeniis*. De his plura refert Rober-

Otto de gestis Frider. lib.1. cap.23

Otto de gestis Frider. lib.1. 33.

Sigeberti pag.1450.

bertus de Monte in appendice ad Sigebertum.

26. Inter cetera quæ Rogerium exacerbaverant, hæc adnotat Sigeberti continuator. *Manuel Rex Græcorum nuncios Regis Siciliæ, quos ad eum pro exequendo pacis fœdere miserat, detinuit mancipatos carcere, unde iratus Rogerius misso navali exercitu Corinthum spoliavit cum quibusdam aliis Civitatibus, & Castella in Græcia, & infinitam sumens diversi generis paludamentorum, & vestis pretiosæ substantiam, cum auri, & argenti copia captivavit, & de Græcis nonnulla millia, cœpit etiam insulam Curfolium*, seu Corfù &c. hæc ad annum 1148. is auctor; Qua felicitate bellum Rogerius gesserit, indicat Dandolus in chronico; *Rogerius Rex Siciliæ*, ait, *Emanuelis Imp. æmulus, incustuditas fore Imperii partes agnoscens, apud Idrontum collecto exercitu Corphiensem insulam cæpit, & muniit, procedensque Corinthum, Thebas, Nigropontem, & alia Imperii loca devastavit, & rediit: Emanuel itaque vindictam appetens, parato exercitu per nuncios suos Venetorum subsidia petit, & uberiorem Crusobolium*, seu pecuniam, *solito obtulit*, Rogerius tamen, ut subdit Dandulus, audacior factus *CPolim pergens in Palatium regium sagittas ignitas injecit, & incensis suburbanis de fructibus hortorum Regis violenter abstulit. Sed dum segregatim rediret, a Venetis, & Græcis galeæ decem et novem ejus, ceteris evadentibus captæ sunt*. Eadem paucis verbis narrat auctor chronici Cavensis. Fusiori autem stylo Rogerii expeditionem, & victorias Nicetas persequitur toto fere libro secundo.

Manuel Imp. Rogerii legatos in carcerem mittit.

Murat. to. 12 pag. 282.

Manuel Imper. ab Venetis auxilium petit.

Murat. rer. Ital. tom. 7. pag. 925. Nicet. pag. 50. & seqq.

JESU CHRISTI an. 1147. Eugenii III. Papæ an. 3. Manuelis Comneni Imp. an. 5.

1. Eugenium Papam, Arnaldistarum factione vexatum, urbe relicta, in Longobardiam anno proximo, in Galliam profecturus, transierat, ac hyeme transacto, *Burgundiam ingressus a Ludovico Rege Francorum apud Divionem honorifice susceptus est, cum quo Pascha apud Parisios celebravit, ejusque tutelæ Regno Francorum dimisso, idem Rex cum magno exercitu Hierosolymam pervenit*, ait auctor Chronici Cassinensis. De Ludovici itinere paulo post agemus, nunc reliqua Eugenii in Galliis gesta narramus, de cujus in Gallias adventu

Eugenius Papa in Galliam transit, ab Ludovico Rege cum honore exceptus.

Murat. to. 5. pag. 142.

Jesu Chr. An. 1147. *Apud Labb. biblioth. to. 1.* hæc narrat Divionense chronicon anno 1147. *Eugenius Papa , & Ludovicus Rex Dominica mediæ quadragesimæ fuerunt pariter Divioni , & in crastino secunda videlicet feria , consecrata est ecclesia Divionensis ab eodem Papa* , Baronius quidem a Ludovico Parisiis Eugenium exceptum fuisse , & expectatum tradit , ut auctor vitæ Villelmi Abbatis Boschildensis in Dania a Surio , die sexta Aprilis relatæ narrat ; At ut adnotat Pagius ibidem , auctori ejusdem vitæ , vel interpolatori , coevi Chronologi præferendi sunt ; Divioni itaque Eugenio occurrit Ludovicus , iterum autem Parisiis, cum Pontificem præcessisset , ibique usque ad quartam feriam Pentecostes , seu usque ad diem undecimam Junii substitit .

Concil. to. 10. pag. 1070. & pag. 1048. Eugenii Papæ iter , & gesta in Galliis .

2. Tum Meldas Pontifex transiit , ibique sexto Kal. Julii epistolam ad Stephanum Angliæ Regem dedit , tertio autem Kal. Julii alteram Meldis epistolam Theobaldo Cantuariensi Episcopo scripsit , qua de controversia excitata inter ipsum , & Bernardum Episcopum S. David de jure Metropolitico agit , eisque ut in festo S. Lucæ Evangelistæ proximi sequentis anni ad dicendam causam se pararent , jubet , ex Meldis Antissiodorum transiit , indicat diploma ibidem datum , & in bibliotheca Cluniacensi relatum pag. 1411. *Dat. Antissiodori per manum Guidonis S. R. E. Diac. Card. , & Cancellarii octavo Kal. Septemb. Indict. X. Incarnat. Domini* 1147. *Pontificatus Domini Eugenii tertii anno tertio* , Cluniacum postea dum in Burgundia esset divertit , ubi Abbatiam Bonævallis sub patrocinio S. Petri recepit, eique exemptionem a decimis confirmavit . *Datum Cluniaci septimo Kal. Aprilis per manum Guidonis &c.* ut supra , Cistercium quoque semel , & iterum præsentia sua ab Eugenio Papa illustratum fuisse adnotat Pagius , cujus etiam extat diploma *datum apud Cistercium per manum Hugonis Presbyteri Card. agentis vicem Domni Guidonis S. R. C. Diac. Card. , & Cancell. 15. Kal. Octobris Indict. X. , vel XI. Incarnat. Domini* 1147. *Pontificatus vero D. Eugenii Papæ tertii , anno tertio* . Antissiodori

Labb. ut sup. ep. 12.

dum esset , Sugerio Abbati epistolam scripsit in qua ait se locum ad celebrandum concilium jam designasse , Remis , scilicet , quod anno sequenti Martio ineunte celebraturus erat eaque data , dicitur *Antissiodori 11. nonas Octobris* , ex Antissiodoro Catalaunum deinde , & Verdunum profectus est , Monachus enim anonymus S. Vitonis Verdunensis in historia Epi-

Episcoporum Virdunensium hæc inter cetera adnotat : *Anno Incarnat. Dom.* 1147. *quo expeditio christianorum contra Paganos a toto Romano Imperio processit &c. Dominus Eugenius Papa in Franciam venit, & ad consecrandam B. Virginis principalem ecclesiam a Domino Præsule Virdunensi Alberone nomine multa prece evocatus fuit*, ac nonis Novembris eam urbem ingressus, *quinto Idus ejusdem Mensis* corpus S. Vitonis transtulisse addit. Hæcque præcipua sunt, quæ toto hoc anno in Galliis Eugenius gessit.

JESU CHR. AN. 1147. Dacher., to. 12.

3. Cum jam transmarina peregrinatio statuta esset, Episcopos, & Proceres Ludovicus Rex ad *Circumdederunt me*, idest ad Dominicam septuagesimæ, quæ in diem 16. Febr. hoc anno incidit, *Stampas vocat, ut pariter eligerent, quod pariter tolerarent*, idest eos eligerent, quibus absente Rege, Regni cura committeretur, cumque eo advenisset Bernardus Abbas ex Alemannia redux, ut narrat Odo Diogilo a Chisletio editus, sermonemque habuisset, cunctos præcedens, *Ecce duo gladii hic*, ait, *satis est*, Sugerium Abbatem, & Nivernensem Comitem designans; At Comes qui *Cartusiæ se devoverat, quod cito post effectui mancipavit*, onus sibi impositum omnino recusavit, *nec regiis, nec omnium diutinis precibus potuit revocari*, & solus ad Regni curam Sugerius electus tunc fuit, cui post discessum Regis, ab ecclesia S. Dionysii Remensis Archiepiscopus Sampso, & Comes Veromundorum, *ne deesset gladius secularis, tertius additus est*, ait idem Odo lib. 2., a quo proditum quoque Stampis interfuisse Rogerii nuncios, *qui Græcos dicerent, sicut lectione, & experientia noverant, fraudulentos, Rex autem, & sui, qui merito nullarum gentium vires timebant*, hæc, & alia spreverunt, dieque Pentecostes profecturis ut Metis adessent, jussum est.

Stampensis conventus Sugerio Abbati Regni administrationem delegat. *Labb. Concil. tom. 10. pag.* 1104.

4. Gulielmus autem secundus Nivernensis Comes, qui teste Odone Cartusiæ se devoverat, vir pius, & religiosus, *anno* 1147. *relicto seculi Principatu, & omni honore calcato*, ait Hugo Antissiodorensis monachus in chronico, *Cartusiam petiit, ibique Deo in humillima paupertate conversans, infra annum conversionis suæ felicem terminat cursum vitæ*, cui successit Gulielmus, tertius dictus, filius ejus, *qui cum Renaldo fratre Hierosolymitanum iter cum Ludovico Rege Francorum, & Duce Aquitanorum* suscepit, teste Anonymo aucto-

Gulielmus Nivern. Comes Carthusiæ obiit.

re

JESU CHR. AN. 1147. re historiæ Ducum Nivernensium apud Labbeum tom. 1. biblioth. pag. 399.; at de Gulielmi Nivernensis Comitis gestis dum adhuc in seculo viveret, vel postquam in Gratianopolitana Chartusia laicus sive conversus vixit, plura dabit auctor annalium Charthusiensium Trombi tom. 4. pag. 56. & seqq.

Ludovicus Rex benedictionem, & insignia peregrinationis ab Eugenio accipit.

5. Interea cum in Gallias Eugenius Papa, uti diximus, advenisset, Pascha in ecclesia B. Dionysii celebravit, ubi feria quarta Pentecostes vexillum, & peram ab Altari S. Dionysii sumptum, Ludovico Regi, eumdem benedicens, tradidit eademque Rex accipiens, planctum magnum excitavit, ac iter ingressus est; *Secum ducens ex nostris Lotharingos*, ait Otto Frising., *quorum Principes seu primores erant Stephanus Mettensis, Henricus Tullensis Episcopi. Reginaldus Munaunensis, Hugo Valdemontensis Comes, & de Italia Amadeum Taurinensem, fratremque ejus Gulielmum Marchionem, de Monte Ferrato avunculos suos, & alios quamplures*: exercitum Regis septuaginta millium circiter, totidemque Corradi Regis fuisse narrat Gulielmus Tyrius, qui utriusque iter, & gesta describit; in eo tamen fallitur, dum christiani exercitus stragem anno elapso alligat, *anno ab Incarnat. Domini* 1146. *Mense Novembri*. Nam Ludovicus hoc anno iter ingressus, Corradi vestigia sequens per Germaniam, & Hungariam CPolim pervenit; *Ubi modico tempore secretioribus cum Imperatore usus colloquiis, & ab eo honorificentissime, & multa munerum prosequtione dimissus* in Bithiniam descendit, & in pago Nicæo dicto castrametatus est, *deliberans, qua via incedendum esset*, ait Tyrius, ibique tristum nuncium de clade exercitus Corradi accepit.

Guliel. Tyr. lib. 16. cap. 19., & seq. cap. 23.

Corradi iter in Orientem & exercitus clades.

Otto Frising. de gestis Frider. lib. 1. cap. 39., & 43. 44.

6. Corradus quippe Germaniæ Rex, post fratris sui Friderici obitum, generali conventu Procerum Francofurti congregato, filium suum Henricum ibidem in Regem coronari fecit, ac Orientale iter in Paschate ingressus cum exercitu suo multos labores, viarumque difficultates, ad urbem regiam, seu CPolim septimo idus Septemb. pervenit, ibique cum lætitia B. Mariæ Virginis festum, seu nativitatem celebravit, ait Otto Frising. itineris Comes, verum in luctum mox conversum est gaudium ob castrorum inundationem, ex fluminis exundantia secutam, qua plurimi perierunt, ut ibidem his præsens narrat Otto, qui hunc unum tristem casum exponere contentus, cetera præteriit, quæ Gulielmus Tyrius per singula ex-

exponit. Cum itaque Corradus Rex CPolim pervenisset, secum habens Ortlibum Basiliensem Episc., Arnaldum Cancellarium suum, Fridericum Ducem Svevorum, Henricum Bojajorum, Guelfonem Ducem, aliosque Comites, virosque illustres, & nobiles, ut ait Otto lib, 1. cap. 50., a Manuele Imp. cum honore exceptus, post datam aliqualem exercitui quietem, familiaribusque cum Imperatore colloquiis habitis, trajecto Hellesponto Chalcedonem transiit, ac *inde relinquens a læva Galatiam, & Paphlagoniam, & utrumque Pontum, Licaoniam, & Iconium viam compendiosiorem secuti sunt*, ait Tyrius, quod ubi Iconiensis Soldanus audivit, militaria auxilia undique convocavit, expectans, ut loco, & tempore opportuno eis occurreret; Interea perfidia Ducum itineris, quos exercitus Imperator Manuel dederat, exercitus Corradi in deserta loca deductus, dum fame, & sibi laboraret, Turcorum copiæ repente in eos irruunt, ac undequaque tanta vi aggrediuntur, ut ex tanto militum numero, vix, ut asserunt, qui præsentes fuerunt *decima pars evaserit*, *evasit tamen Imperator*. Corradus *cum paucis ex Principibus suis, & cum residuo suorum, licet cum difficultate nimia, post dies aliquot in partes Niceæ se contulit*, indeque ad Ludovicum Regem de clade accepta nuncium misit Fridericum ex fratre nepotem, qui postmodum Corrado succedens, Romanum quoque Imperium obtinuit; Ludovicus autem, ac Francorum exercitus sinistro casu turbatus, cum paucis ex Principibus suis, Corradum in Castris suis, adiit; & ut simul duo exercitus conjungerentur, statutum est, plurimis tamen periculis, laboribusque fatigati, votorum immemores, CPolim reversi sunt, ait Tyrius, ut inde ad sua redirent.

Corradus CPolim redit.

7. Cumque simul Ludovicus, & Corradus ex Bithinia in Asiam transiissent, ac Smirnam progressi, Ephesum pervenissent; Ibi *Imperator*, seu Corradus, *sive quia cum paucioribus erat, qui multo plures prius secum habuerat, verecundiam sustinens, aut Francorum fastus non ferens, seu aliis latentibus causis*, exercitus sui reliquias terrestri itinere dimisit, *ipse vero Epheso, usus navigio, CPolim reversus est*, *lib.16.24.* ait Tyrius, ubi honestius adhuc, quam prima vice ab Manuele Imp. exceptus, usque ad veris initium sequentis anni, substitit; ac inde classe ab Manuele parata Accon deductus Hierosolymam transiit, Ludovicus vero Epheso progressus,

ac

JESU CHR. AN. 1147. ac Laodicea prætergressus, suorum imprudentia, in hostium insidias incidit, unde is quoque maxima accepta clade, *casu magis, quam industria, tanto, tamque confuso exemptus periculo* ait Tyrius, *ad suorum castra rediit, factum est hoc anno ab Incarnatione Domini* 1146., seu potius 1148. *Mense Januario*, anni proximi, quo etiam Ludovicus Hierosolymam ingressus est, ut ibidem dicturi sumus.

Manuelis Imper. perfidia christianorum exercitus profligatur. *Murat. rer. Ital. tom. 7. pag. 192.*

8. De infelici hujus expeditionis exitu agens Romualdus Salernitanus, Manuelis Imp. insidiis, & perfidia utrumque exercitum periisse adnotat; *Imperator more Græco, Regi Corrado cognato suo, se satis humanum, & benignum contulit munera multa exhibuit, promittens se illi ducatum itineris, & victui necessaria præbiturum. Postquam vero Rex Corradus Brachium S. Georgii cum suo exercitu transfretavit, suggestione (ut dicitur) & mandato Imperatoris, illi, & exercitui ejus victualia sunt subtracta. Quare deficiente alimonia, exercitus cœpit deficere, & lassescere. Turchi autem, hoc comperto, super eos viriliter irruerunt, & debilitatos fame, & labore itineris Theutonicos expugnaverunt, multos eorum in ore gladii trucidantes, multos in servitutem miseram redigentes. Imperator autem, amissa majori parte exercitus, vix cum paucis Hierosolymam venit.* Eademque simulatione, & perfidia Ludovicum quoque exceptum, fuisse addit: *Sicque factum est, quod peccatis exigentibus, suggestione Græcorum, & malitia, duo adeo potentes, & nobiles Principes, amisso exercitu, parum boni ad honorem nominis christiani proficere potuerint. Qui Hierosolymam causa orationis aliquantulum sunt demorati; De hic Corradus per CPolim in Alemanniam rediit; Rex autem Franciæ per Apuliam ad propria remeavit*; Hunc Rex Rogerius honorifice exceptum, datis ad iter equitibus, aliisque necessariis dimisit, ut idem auctor narrat. Romualdo, aliisque latinis scriptoribus consentit Nicetas Chrotoniata, qui de eadem expeditione acturus, hæc præfatur. *Hoc Imperii statu, hostilis nubes horrenda, & pestilens ab Occidente in fines Romanorum irrupit, de motu Alemannorum loquor, & cognatorum eis gentium inter quos & mulieres erant, non conjunctis pedibus, sed virorum instar divisis super palliis equitantes, hastatæ atque armatæ, ac virili habitu ornatæ, Martio vultu Amazonibus audaciores &c.* Cum Hierosolymitani Templi causa bellum eosdem su-

Nicetas in Manuele Imper. lib. 1. pag. 41.

suscepisse testarentur, Manuel Imp. eorum legatos benigne receptos, omniaque se præbiturum ad victus necessaria promisisse addit, eodemque tempore, ut sua tueretur, legiones, armaque parari jussit, varias deinde utriusque exercitus vices, calamitatesque toleratas describit, inter cetera, Manuel Imp. *in locis opportunis, & angustis tramitibus insidias collocandas censuit; quibus non pauci ex iis exercitibus perierunt*, alicubi vero *Cives portis clausis* forum Alemannis non præbebant, sed funibus de muro suspensis pecuniam prius attrahebant, deinde quantum, vel quid volebant, iis dimittebant, aliquando etiam accepto pretio, ex muro se subtrahebant, nihil pro accepto pretio dantes; *Quidam etiam*, subdit, *calce farinæ immissa, cibum pestiferum reddebant, id utrum jussu Imperatoris factum fuerit, ut ferebatur, compertum non habeo. Ut ut sit iniquum, & nefarium facinus fuit. Illud certe constat, ejus jussu ex improbo argento, monetam esse cusam, quæ iis daretur, qui ex Italico exercitu aliquid vendituri essent. Breviter ut dicam, nullum mali genus fuit, quod Imperator non vel ipse in eos machinaretur, vel aliis machinandi auctor esset, ut scilicet eorum posteri perpetuis monimentis ab invadendis Romanis deterrerentur. Idem & Turci imitati sunt, Manuelis litteris ad bellum Alemannis faciendum concituti &c.* his luctuosam cladem Corradi exercitui illatam cum exundatione fluminis Meandri, tum ex Turcarum impetu, & gladiis narrat, quam cladem sequenti die, Turcarum strage facta compensarunt, quorum quanta fuerit multitudo; *Etiam hodie ossium tumuli crebri, & alti, collium instar, testantur, quos, qui illac iter habent, admiretur, ut & ego, qui hæc scribo sum admiratus*, ait Nicetas. pag. 45.

Nicolaus Muzalo CP Patriarcha ordinatur.

9. Cosmam atticum CP. Patriarcham ea sede injuria dejectum fuisse anno proximo diximus. Desinente hoc anno, cum in urbem regiam Corradus rediisset, Nicolaus Muzalo dictus, Cypri antea Episcopus in eamdem sedem evectus est, *dum hæc geruntur*, ait Cinamus lib. 2. 18. *Imperator Nicolaum quemdam Muzalonem ad Patriarchalem Sedem provehit, qui in Ecclesiasticis primum dignitatibus versatus; Ecclesiamque Cyprorum adeptus, ultro postmodum ire recesserat. Verum ut res administrare cœpit, omnium statim ora in eum commota sunt, injuste occupatum ab illo thronum clamantium, ut qui*

JESU CHR. AN. 1147. *cum Ecclesia, quam nactus fuerat Sacerdotium quoque deposuisset*, ac ad monasticam vitam rediisset.

Crucesignatorum gesta in Hispania.

10. Cum totus Christianus orbis ad bellum adversus christiani nominis hostes hoc tempore commotus esset, ita ut *Non fuisset recognitum vicinis temporibus, nec auditum a diebus saeculi tantum convenisse exercitum, exercitum inquam grandem nimis* ait Helmoldus in chronico Slavorum cap. 60. *Visum autem fuit auctoribus expeditionis, partem exercitus unam destinari in Orientem, alteram in Hispaniam, tertiam vero ad Slavos, qui juxta nos habitant*, idest juxta Lubecam unde Helmoldus erat: De Orientali expeditione, & altera adversus Slavos, seu Danos, aliosque barbaros, hoc, & proximo anno verba fecimus, de altera in Hispania, cujus apud Dodechinum mentio occurrit, nunc dicendum restat, quam maritimam fuisse scimus, atque, *hoc solum prospere cessisse de universo opere, quod peregrinus patravit exercitus*, ait idem Helmoldus additq. christianorum classem Oceanum ingressam ad Portugallensem Galiciae urbem accessisse, ut Sanctum Jacobum veneraretur.

Ulissipone a christianis capta.

11. De hoc navali exercitu Hovedenus parte prima haec scribit. *Interea quidam exercitus virorum* non Potentum, nec alicui magno Duci innixus, nisi Deo omnipotenti, quia humiliter profecti sunt, gratiam Dei meruerunt, & magnam probitatem ostenderunt. Civitatem namque in Hispania famosam, quae *vocatur Ulixisbona* (de ejus expugnatione loquitur etiam Helmoldus), *aliam, quae vocatur Almadae* (seu Almeria) & regiones *adjacentes a multis pauci, Deo cooperante bellantes obtinuerant*; Hanc expeditionem versibus descripsit Anonymus auctor hujus temporis, ab Sandovalio in Alphonso septimo editus; Inter cetera

Convenere Duces Hispani, Francigenique
Per mare per terras Maurorum bella requirunt,
Pontifices omnes Toleti sive Legionis.
Exempto gladio divino, corporeoque.
Orant majores invitant atque minores,
Ut veniant cuncti fortes ad praelia tuti.
Plebs Hispanorum sic praelia Saracenorum.
Exoptans . . . . . . Vox Almericis cunctis est agnita dirae

Hi-

Hispani expugnationem *Almeriæ* piratarum receptaculum præsertim intendebant. Gallæci autem mense Majo in hostem movere: Jesu Chr. an. 1147.

Majus, & Mensis procedit Gallicensis
Præcepta Jacobi primo dulcedine sancti.

Dein de Navarræ Rege, & expugnatione Anduzari in Andalusia siti verba facit:

Ad bellum properat, Regalia signaque portat
Lætatis locis charus genus Imperatoris
Nomine Garsia, sed Pampilonio tota
Jungitur Alaba, Navarria fulget & ense,
Omnibus his fultus gaudet certamine tutus.
Ramiri natus, Regis, si (seu potius) postea virtus.
Talibus auxiliis, ac tantis Hispania fulta columnis &c.

quamplurima ibidem oppida, ab Arabum potestate erepta fuisse narrat, ut ibidem, vel apud Pagium hoc anno not.22. & 23. videre, est; Atque his gestis quamplurimos ad sua rediisse addit auctor.

Omnibus expletis, quæ diximus atque peractis;
Tempore consumpto, priscorum amore parentum.
Cum palma redeunt cives ad mœnia patrum.

exceptis paucis, tenet hos solertia Regis. Idelphonsi scilicet, eoque tempore adnotat cum Francis, Italorum quoque plures advenisse; *Et gens Pisana advenit simul, & Genuana*; eademque præclara in ea expeditione gesta Dodechinus, Robertus de Monte, aliique chronologi.

12. Dum adversus Seracenos in Oriente, & in Hispania christiani certarent, litterarium in Galliis inter catholicos, & Gilbertum Porretanum Pictaviensem Episcopum, ejusque fautores bellum gerebatur, in quo Bernardus catholicæ fidei zelo accensus primas in ea quæstione partes egit, effecitque ut pluribus in synodis, Antissiodorensi scilicet, Parisiensi hoc anno; & iterum anno proximo in Remensi ejusdem Gilberti hæresis condemnaretur. Gilbertus itaque, ut narrat Otto Frisingensis, *Pictavo oriundus ab adolescentia usque*

Causa Gilberti Pictaviens Episc. ad Apost. Sedem delata.

De Gilberti

JESU CHR. AN. 1147. studiis & erroribus, *Otto de gestis Frider. lib. 1. cap. 46. Cap. 50.*

usque ad ultimam senectutem in diversis Galliæ locis philosophiæ studium colens, re, & nomine magistri officium administraverat, noviterque ad culmen Pontificale in præfata civitate (Pictaviensi) *sublimatus* circa annum 1140. Magistros habuit, Hilarium Pictaviensem, Bernardum Carnotensem, ac tandem Anselmum, & Rodulphum Laudunenses germanos fratres; his itaque magistris in philosophicis disciplinis instructus, iisque plus æquo abutens, dum philosophicis argumentis, distinctionibusque ineffabile Trinitatis mysterium exponere conatus est, re ipsa docuit, Philosophiam in rebus divinis explicandis, famulari, ac revelationi sacræ, ecclesiæque auctoritati subesse debere, alioquin facile accidit, ut *scrutator majestatis ab ea opprimatur*, sicuti paulo ante Abejlardo contigerat; Gilbertus itaque Episcopus ordinatus, *cum quadam vice conventum de sua Diœcesi Clericorum celebrans, sermoni, quem forte gratia exhortandi habebat, quædam de fide Sanctæ Trinitatis interseruit, a duobus Archidiaconis suis Arnaldo, & Calone, tamquam contra catholicæ normam ecclesiæ doctrinam instituens, ad Summi Pontificis, Romanæque sedis examen, interposita appellatione, vocatur*, ac Senis Eugenium Gilberti accusatores convenisse diximus, quorum causam in Galliis a se ipso tractandam Eugenius remiserat, ut anno 1146. adnotavimus.

Otto Frising. Gilbertum excusare conatur. *lib. 1. cap. 47. & 50.*

13. Otto quidem Frisingensis hæc gesta adversus Gilbertum expositurus, eidem favere plus æquo visus est, ac ex nimio Bernardi zelo, & credulitate, tot ea de causa quæstiones ibidem agitatas fuisse indicat: *Erat autem prædictus Abbas*, ait *tam ex christianæ religionis fervore zelotipus, quam ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus, ut & magistratos, qui humanis rationibus seculari sapientia confisi nimium inhærebant, abhorreret, & si quidquam ei christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facile aures præberet*, & gestis adversus Abajlardum expositis, quem justa de causa condemnatum fuisse testatur, ad Gilberti causam rediens, *sed nec eadem causa, nec similis materia erat*, ac Gilbertum ob doctrinam morumque gravitatem impense laudat; Hæc tamen quæ sibi inconsulte nimis exciderant, idem Otto morti proximus retractavit, ut Radevicus, Ottonis historiæ continuator, de ejusdem obitu agens adnotat. *Inter cetera, quæ sollicitus*, morti proximus, *de salute sua prævidebat etiam hunc*

hunc Codicem manibus suis offerri præcepit, eumque litteratis & religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia magistri Giliberti (ut patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque Catholicæ Fidei assertorem, juxta sanctæ Romanæ, immo & universalis Ecclesiæ regulam professus est. Deinde multa prius cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis sacrosanctis misteriis, in medio multitudinis sanctorum tam Episcoporum, quam Abbatum Domino spiritum reddidit. Hæc Radevicus de Ottonis retractatione.

Jesu Chr. an. 1147.

14. Gilbertus autem in Italia primum, deinde in Galliis apud Eugenium Papam tamquam hæresis magister accusatus, *primum Antissiodorum. post Parisios vocatus est, erant inter cetera, quæ illi obiiciebantur de divina Majestate quatuor capitula: Quod videlicet assereret, divinam essentiam non esse Deum. Quod proprietates personarum non essent ipsæ personæ. Quod theologicæ personæ in nulla prædicarentur propositione. Quod divina natura non esset incarnata.* Hæc de Deo. Pergit autem: *Et præter hæc alia minora, id est: Quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Christum. Quod Ecclesiæ sacramenta evacuando, diceret, nullum baptizari, nisi salvandum, & cætera in hunc modum*: de Antissiodorensi quidem conventu, cum nihil referat Otto, nil compertum habemus; De altera autem synodo Parisiis congregata hæc idem Otto narrat. *Itaque præsidente cum Cardinalibus, Episcopis, aliisque viris venerabilibus, & eruditis in jam dicta civitate Parisiis Summo Pontifice Eugenio, prædictus Episcopus Gilibertus Consistorio præsentatur de his capitulis responsurus. Producuntur contra eum duo magistri Adam de Parvoponte, vir subtilis & Parisiensis Ecclesiæ Canonicus recenter factus, Hugo de Campo florido Cancellarius Regis, asserentibus eis, & quasi sub sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio ejus ore audisse, non sine multorum qui aderant admiratione: viros magnos, & in ratione disserendi exercitatos pro argumento juramentum offerre. Ibidem dum hinc inde multa sibi objicerentur, pluriumque impulsationibus ad responsionem de re tam ineffabili cogeretur, inter cætera dixisse traditur: Audacter confiteor Patrem alio esse Patrem, alio esse Deum, nec tamen esse hoc & hoc. Cujus dicti obscuritatem tamquam verborum profanam novitatem, tam impatienter ma-*

Hæresis capita Gilberto objecta.

Gesta adversus Gilbertum in synodo Parisien. *Otto lib. 1. 51. 52.*

gi-

Jesu Chr. an. 1147. *gister Jossenus Suessionensium Episcopus excepit, ut juxta proverbium, medium vitando incurreret ripam &c.* ac prolixius ejus sententiæ explicationem ad regulas topicas Aristotelis Evangelium aptare laborans, addit, atque adiicit ad excusandum Gilibertum prolixiorem tractatum. Quid demum per Eugenium deliberatum de revocanda eadem causa ad generale Concilium, ita idem Otto subjicit: *Dum ita per aliquot dies jam sæpe dictus Episcopus coram Summo Pontifice de fide sua in civitate Parisiis discuteretur, sentiens Papa, utpote vir cautus & religiosus, causæ difficultatem, protelandam eam usque ad universale Concilium adjudicavit*, quod Remis anno sequenti, mediana Quadragesima celebratum fuit. eoque intermedio tempore Gilberti expositionem in Boetium Eugenius Papa Gothescalcho, tunc in monasterio prope Attrebatos Abbati, postmodum ejusdem urbis Episcopo, examinandam dedit, qui ex ea capitula quædam suspecta adnotavit, atque ex Ss. Patrum auctoritatibus confutavit, sed de hac Gilberti causa iterum anno sequenti.

JESU CHRISTI ANNUS 1148. EUGENII III. AN. 4. MANUELIS COMNENI IMP. AN. 6.

In ecclesia S. Genovefæ Eugenius Papa Regulares canonicos secularibus subrogat. *Sar. Bolland. die 6. April.*

1. Multa eaque præclara dum adhuc in Galliis Eugenius tertius hoc anno moraretur, gessit, inter cetera, ut narrat auctor anonymus vitæ S. Gulielmi Abbatis, *voluit idem Pontifex in ecclesia B. Genovefæ mysteria divina peragere, quia Apostolica dicebatur. Ubi eo ventum est, orta est contentio inter Summi Pontificis, & hujus ecclesiæ Canonicorum ministros, adeo ut ad pugnas res processerit, & non solum Pontificis ministri, sed etiam ipse Rex Ludovicus, qui illos compescere voluit, a Canonicorum illorum famulis verberatus sit. Tanta autem nefariæ rei indignitate permotus Pontifex, cum Ludovico Rege tractavit de improborum hominum insolentia digne castiganda. Visum est autem in eorum locum alios subrogare homines religiosos, nempe monachos illos, quos Nigros vocant; neque tamen Canonicos illos per vim suis Præbendis sive sacerdotiis privare volebant (erant enim inter eos non pauci nobiles, & litterati) sed permittere, ut illis, quoad viverent, fruerentur. Verum ubi istud Pontificis, & Regis propositum ad aures Abbatis Sancti Victoris perlatum est, Pontifici, & Regi val-*

valde supplices preces ille obtulit, ut Ordinis Sancti Augustini professores in eam ecclesiam introducerentur, multisque ostendit rationibus, contumaces illos facilius ad horum vitam regularem, quam ad monachorum habitum & consuetudinem traductum iri. Pontifex & Rex his auditis, cum jam exploratam haberent bonam famam illius Abbatis, & Fratrum ejus, eorumque institutum præ multis aliis prædicari non nescirent: domum quoque Sancti Victoris suavem eximiæ charitatis de se odorem spargere, Abbatis precibus assensere. Atque die sequenti electus est in Abbatem Odo Prior homo sanctæ conversationis, atque totius religionis amator indefatigabilis, adjunctique sunt ei dudecim Canonici viri probi & bonæ æstimationis, qui in ecclesia Sanctæ Genovefæ commorarentur. Atque ex eo tempore in præsens istbic Canonicorum S. Augustini institutum in ea ecclesia conservatur ex privilegio Pontificis Eugenii, & Regis Christianissimi Ludovici; At hæc quæ præsente Rege decreta fuerant, paulo post, eo jam inde profecto effectum sortita sunt, ut ejusdem Eugenii Papæ epistola ad Sugerium Abbatem data indicat: *Novit dilectio tua*, ait Pontifex, *quod cum carissimo filio nostro Ludovico Francorum Rege contulimus, ut in ecclesia S. Genovefæ religiosos Fratres ad Dei servitium poneremus. Quod brevitate temporis prohibente, secundum ipsius & nostrum propositum, nequivimus effectui mancipare. Verum quia vices Regias in Galliarum partibus dignosceris exercere &c. Per præsentia tibi scripta mandamus, quatenus Priorem Abbatis villæ in Abbatem liberum & absolutum ibi statuere, & octo Fratres Ecclesiæ S. Martini de Campis ejus societati studeas deputare*. Quæ data dicitur *Lingonis tertio Kal. Maii*., epistola vero altera eadem die scripta Canonicos S. Genovefæ admonet, ut fratres S. Martini de Campis illuc a Sugerio Abbate destinatos honeste recipiant, nullamque eis injuriam, aut molestiam inferant, Paulo post, cum jam fortasse e Galliis abiisset Eugenius, epistola ad eum data, narrat Sugerius Canonicos S. Genovefæ ejusdem volontati acquievisse, atque rogasse ut, si placeret, Canonicos potius regulares S. Victoris ibidem collocaret, non vero Benedictinos monachos, cum quibus nulla cum ipsis erat, aut esse poterat communis vivendi forma, aut agendi ratio; Horum votis annuens Eugenius Papa, epistola altera, *Vercellis* anno proximo decimosexto Kal. Julii Sugerio data, pro

Inter Sugerii epist. n. 27. apud Duchesne. *Concil. Labb. tom. 10. epist.* 13.

Labb. ut sup. epist. 14. 15. 16.

JESU CHR. AN. 1148. pro bono pacis permittit, ut in eadem S. Genovefæ Ecclesia Canonici regulares S. Victoris collocarentur; His respondens Sugerius, se magna cura, quæ sibi injuncta fuerant, executum fuisse narrat, ac Priorem S. Victoris cum duodecim canonicis regularibus, ad Ecclesiam S. Genovefæ in festo Sancti Bartholomæi induxisse, ut ibidem videre est, quæ sane anno sequenti, cum inde jam Eugenius obiisset, peracta sunt; Hanc de ejusdem Monasterii reformatione Sugerii Abbatis sollicitudinem impense commendavit S. Bernardus Claravallensis, ac datis ad Sugerium litteris gratulatus est, & epistola sequenti eamdem Ecclesiam de Monte etiam dictam, & Odonem Abbatem ibidem electum commendat. *Supplicamus, ut quod bene cepistis melius consumetis &c.*

Epist. 369. & 370.

Eugenius Papa Templum Mathiæ Treviris dedicat *Apud Boland. die 24. Febr.*

2. Cum in Galliis adhuc esset Eugenius Papa, ac Treverim divertisset, Templum ibidem Deo in honorem S. Matthiæ erectum dedicavit, ut Lambertus Trevirensis monachus his verbis narrat. *Anno Domin. Incarnat.* 1148. *decennovali anno nono, Indictione undecima, præsidente Apostolico Eugenio tertio Rom. ecclesiæ Summo Pontifice, anno Papatus sui tertio, Imperii Corradi tertii Regis* gloriosi secundo, Regni undecimi, venerabilis autem *Adelberonis hujus civitatis Archiepiscopi anno* 16. *dedicatum est hoc monasterium ab eodem venerabili Apostolico, & ab Adalberone Archipræsule idibus Januarii*, ac Cardinales ibidem tredecim adfuisse addit, cum monasterio Ecclesiam, ubi corpus S. Matthiæ repositum fuerat, dedicasse scimus, cujus reliquias tunc ibidem inventas fuisse supracitatus Lambertus adnotat, historiamque inventionis recitat.

Eugenius Papa scripta Ildegardis examinat, & probat. *Apud. Sur. & Bollandistas 17. Septemb.*

3. Eodem tempore synodum ibidem, seu Treviris, Eugenius Papa congregavit, in qua Ildegardis scripta examinata, & probata fuere; Rem gestam narrat Theodorus Abbas in vita Ildegardis, cum enim illustris virgo vitæ sanctitate, & cœlestibus donis, & revelationibus clarescerat, variæque de eadem opiniones circumferrentur, dum eam falsis illustrationibus deceptam, alii vero divinitus edoctam traderent, ad Eugenium, dum Treveris esset, causa delata, synodum ibidem congregavit, ut Trithemius in chronico Hirsaugiensi ad annum 1150, refert, quæ tamen vel anno proximo 1147. vel labente 1148. accidisse scimus. *Synodum tam Episcoporum, quam Cardinalium, & Abbatum ibidem celebravit* (nempe Trevi-

viris) *ubi Henricus Archiep. Moguntinus, & Sanctus Abbas Claraevallis Bernardus ipsi Summo Pontifici mirabilia, quae Deus operabatur in famula sua Hildegarde, monasterii Sancti Ruperti Confessoris Abbatissa retulerunt. Quibus auditis Papa attonitus, & rem diligentius investigare volens, Virdunensem Episcopum Aldebertum cum aliis viris fide dignis misit ad sanctam Hildegardem, ut cum humilitate & mansuetudine, sine strepitu vel curiositate, quid verum esset, ab ipsa sciscitarentur. Qui cum ad monasterium, in quo degebat sancta Virgo, devenissent, & juxta commissionem Apostolicam, veritatem ab ipsa humiliter inquirerent, illa simpliciter, quae de se erant, aperuit & Legatos cum scriptis, & libris revelatis sibi divinitus, dimisit*. Fusius rem ex Theodoro, qui Hildegardis gesta descripsit, narrat Baronius; ac post Remensem synodum facta haec fuisse addit, quae tamen eam synodum praecesserunt, nam Treviris desinente anno proximo, & ut ait Glosesserius vetus scriptor gestorum Archiepiscoporum Trevirensium prima dominica adventus ibidem Pontifex advenit, ac Idibus Januarii Ecclesiam dedicavit; Remensis vero synodus media Quadragesima celebrata fuit, ut mox dicturi sumus.

JESU CHR. AN. 1147.

Broverus rer. Trevir. collectio tom. 4.

4. Haec autem illustris virgo in villa Bikelheim Dioecesis Moguntinae sub finem seculi proximi nata, quinquennis Deo a parentibus oblata est; Cum vix annos quindecim attigisset in monte Sancti Disibodi, ubi monachorum coenobium erat, cum duabus sociis inclusa fuit sub disciplina Beatae Juttae, quae teste Dodechino ejus loci Abbate, anno 1136. obiit, post cujus obitum Hildegardis, permissu Cononis Abbatis, ad locum, qui Binguia dicebatur, se recepit, ac monasterium construxit, & virginibus sibi sociatis praefuit, ibique cum annorum esset supra quadraginta, divinis coepit charismatibus, & visionibus inclarescere, itaut etsi illiterata esset, ac patriam tantum linguam sciret, solumque psalterium didicisset, repente intelligentiam sacrorum librorum assecuta est, ut ipsa in libro suarum revelationem testatur, cumque revelationes scribere diu distulisset, ut eas ab Eugenio Papa probatas vidit, ejusdem etiam Pontificis hortatu excitata, easdem scripto vulgavit.

Hildegardis revelationibus fulget.

5. In fronte epistolarum Hildegardis extat epistola ab eodem Pontifice eidem inscripta, in qua mirari se ait, quod Deus suis temporibus nova miracula ostendat, dum eam spiritu suo perfudit, ut multa secreta videret, & proferret, eique gra-

Eugenii epistol. ad Hildeg., & ejusdem ad Eugenium.

Jesu Chr. an. 1147. *Labb. tom.* 10. *p.* 1128.

tulatur, eamdem admonens, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, ac propositum ab ea initum, ut cum virginibus sibi sociatis habitaret, laudat, *ita quod ibi, regulariter cum sororibus tuis vivas secundum regulam S. Benedicti sub clausura ejusdem loci*. Ad hanc Epistolam prolixe respondit Hildegardis, eaque prima est ejus Epistolarum, quam his verbis concludit: *Ego autem, o pater, in loco cœlitus mihi ostenso, juxta verba benedictionis tuæ, secundum Regulam S. Benedicti sub clausura ejusdem loci cum sororibus meis maneo, & hoc me tam vivente, quam defuncta observari desidero*. Meminit in quadam epistola hujus pontificiæ approbationis Hildegardis in hæc verba. *Scripta mea Eugenio papæ cum Treberi esset, allata sunt, qui ea gratanter coram pluribus legi fecit; ac per se ipsum legit; multumque de gratia Dei confidens, benedictionemque cum litteris mihi mittens, præcepit, ut ea, quæ in visione viderem, vel audirem, scriptis attentius commendarem*.

Bernardi, aliorumque epist. ad Hildegardem.

6. Nec Eugenius solus, sed alii etiam Pontifices successores, Anastasius quartus, Hadrianus itidem quartus, & Alexander tertius eidem Hildegardi de donis a Deo acceptis gratulati sunt. Quin etiam, Imperatores, Reges, Principes, Episcopi, Abbates, aliique cujuslibet ordinis viri eidem honorifice scripserunt, ut vel eam consulerent, vel ejus se precibus commendarent. Eadem Hildegardes Bernardum Claravallensem abbatem litteris suis prævenit, eique animæ suæ statum exposuit, & ab eo precibus se adjuvari poposcit. In hac epistola ait, se divinitus accepisse interiorem intelligentiam expositionis psalterii, evangelii, & aliorum voluminum, tametsi litteras nesciret præter Teutonicam deinde addit, se ante duos annos Bernardum in visione conspexisse, Bernardus vero non palpando, nec laudes laudibus referendo, modeste respondit in hunc modum. *Quod de nostra exiguitate longe aliter, quam nostra sese conscientia habeat, quidam sentire videntur, non nostris meritis, sed stultitiæ hominum imputandum est. Ad dulcedinem autem piæ caritatis tuæ scribere properavi, quamvis id brevius omnino quam vellem negotiorum multitudo compellat. Congratulamur gratiæ Dei, quæ in te est; & ut eam tamquam gratiam habeas, & toto ei humilitatis & devotionis affectu studeas respondere, admonemus, sciens quod Deus superbis resistit humilibus autem*

tem

tem dat gratiam ; aliaque ibidem monita addit seque precibus ejus commendat.

7. Remis digressus Eugenius Papa graviorem ibidem causam tractavit, de Gilberti scilicet Pictaviensis Episcopi doctrina; quare synodum collegit media quadragesima, seu die undecima Kal. Aprilis, præsidente eodem Eugenio, cui Episcopi, & Abbates mille & centum interfuisse perhibentur. In ea Gilberti Porretani Episcopi Pictavensis sententia de Trinitate & divinitate examinata est. Præmiserat ad Eugenium Gilbertus expositionem suam in Boetium, ex qua Gotescalcus, tunc in Monte S. Eligii prope Atrebatas Abbas, postmodum ejusdem urbis Episcopus, suspecta capitula excerpere jussus fuerat. Plura in Gilberti vitam, & doctrinam Albericus Ostiensis Episcopus, qui eum propius noverat, adnotaverat, at is ante concilii diem e vivis abierat. Quare prima sessione Gilbertus consistorium ingressus, *magnorum voluminum corpora* per clericos suos afferri curavit, causatus, decurtata dumtaxat ab adversariis suis patrum testimonia afferri. Ad hæc Bernardus: *Quid opus est*, inquit *tot verbis, & libris? Una est scandali ex te disseminati origo, quod plurimi asserunt te credere, & docere, quod divina essentia, vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo non sit Deus, sed forma, qua Deus est. Hoc palam fatere, vel nega*; Tum ille ausus est dicere, *formam hanc Deum non esse*. *Ecce*, ait Bernardus, *tenemus quod quærebamus*. *Scribatur ista confessio*. Allata charta cum calamo, confessionem scripsit Henricus Pisanus, ex Abbate S. Anastasii creatus presbyter cardinalis sanctorum Nerei, & Achillei; Dum id scriberetur: *Tu vero*, addidit Gilbertus ad Bernardum, *scribe quod divinitas est Deus*. Mox Bernardus: *Scribatur*, inquit, *stilo ferreo in unque adamantino*. Multis ultro citroque prolatis, intulere cardinales, se mox rem definituros. Commoti hoc dicto Episcopi, quod Cardinales sibi causæ definitionem tribuerent, Bernardum interpellant, ut Gilberti quatuor capitulis alia contraria his cum symbolo fidei conderet, ne re infecta (quod complures cardinales Gilberti fautores volebant) concilium solveretur. Fecit Bernardus quod rogatus fuerat; moxque Episcopi confessionem ab ipsis subscriptam per Hugonem Antisiodorensem, & Milonem Morinorum Episcopos, ac Sugerium Abbatem Pontifici confirmandam obtulerunt

JESU CHR. AN. 1147.

Concilium Remense celebratur.

Labb. to. 10. pag. 1108. & seqq.

JESU CHR. AN. 1147. runt, quod ab eis facile impetratum est. Cum hæc confessio sequenti sessione recitata fuisset, Gallicanorum Episcoporum factum egerrime Cardinales adstantes tulere, & apud pontificem contra episcopos, ipsumque Bernardum expostularunt, quod ipsis inconsultis definitivam sententiam protulissent. Verum Bernardus, jussu Pontificis, ut Cardinales placaret accersitus, modeste ac reverenter respondit: se vel dominos Episcopos nihil de prædictis capitulis statuisse, sed, quia Pictavinus Episcopus petierat, ut formula fidei, quæ ab eo exigebatur, scripto mandaretur; se committere noluisse, ut solus eam, sed simul Episcoporum auctoritate ac testimonio exponeret; qua modesta responsione mitigati cardinales conquievere: *ita tamen, ut præfatum scriptum, tamquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro simbolo in ecclesia non haberetur*: atque ita *de tribus capitulis propter præmissam tumultuationem nihil diffiniri potuerit*. Addit Otto Frisingensis Gilbertum in quarto ab aliis discordasse Episcopis, *cum illi profiterentur, naturam incarnatam, sed in Filio*: Gilbertus vero *personam Filii incarnatam sine sua natura*. De primo tantum capitulo *Romanum Pontificem diffinivisse, ne aliqua ratio in theologia inter naturam, & personam divideret; neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi*; quam Summi Pontificis sententiam Gilbertus reverenter accepit, atque archidiaconis suis in gratiam receptis, *cum ordinis integritate et honoris plenitudine* ad Ecclesiam suam rediit. At etsi Gilbertus Episcopus errores suos retractasse visus sit, ex discipulis tamen ejus nonnulli in eadem erronea sententia perseverasse, indicat Bernardus, quos etiam uti hæreticos habet. *Sed hæc minime jam contra ipsum loquimur Gilbertum*, ait, *quippe qui in eodem conventu sententiæ Episcoporum humiliter acquiescens, tam hæc, quam cætera digna reprehensione inventa proprio ore damnavit) sed propter eos qui adhuc librum illum contra Apostolicum utique promulgatum ibidem interdictum transcribere, & lectitare feruntur, contentiosius persistentes sequi Episcopum, in quo ipse non stetit, & erroris, quam correctionis magistrum habere malentes*. Hæc S. Bernardus.

(Bernardi sermo in cant. 80.)

(Giberti errores.) 8. Ut autem ibidem contra Gibertum Pictaviensem definita intelligantur, erroneas primum Gilberti propositiones subjicimus, sym-

symbolum deinde fidei ibidem editum, & ab Ottone Frisingensi relatum; Gilberti itaque assertiones hæ erant. *Quod divina natura, quæ divinitas dicitur, Deus non sit, sed forma, qua Deus est; quemadmodum humanitas homo non est, sed forma qua est homo. Quod cum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unum esse dicuntur, non nisi una divinitate esse intelligantur: nec converti possit, ut unus Deus, vel una substantia, vel unum aliquid; Pater & Filius & Spiritus Sanctus esse dicatur. Quod tres personæ tribus unitatibus sint tria, & distinctæ proprietatibus tribus, quæ non sunt ipsæ personæ, sed sunt tres æternæ, & ab invicem a divina substantia in numero differentes. Quod divina natura non sit incarnata*. His expositis addit Otto: *Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo octavo Symbolum istud sub Eugenio Tertio Papa in Rhemensi Concilio firmatum est a Patribus Provinciarum. Credimus, & confitemur simplicem naturam divinatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, & Deus divinitas. Sicubi vero dicitur: Domini sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse, & alia hujusmodi: credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse: non nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse: non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse, non nisi ea unitate unum, quæ est ipse: non nisi ea divinitate Deum, quæ est ipse, idest seipso, sapientem, magnum, æternum, unum, Deum Cum de tribus personis loquimur, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur. Et e converso cum de uno Deo, una divina substantia loquimur: ipsum unum Deum unum divinam substantiam esse tres personas confitemur. Credimus & confitemur solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicuntur, vel alia hujusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sit Deus. Credimus & confitemur, ipsam divinitatem, sive substantiam divinam, sive naturam divinam dicas, incarnatam esse, sed in Filio*. Hucusque fidei symbulum ibidem editum.

JESU CHR. AN. 1147. *lib. 1. de gestis Frider. cap. 56.*

9. In eadem synodo oblatus est Eon, seu Eudo quidam patria Britannus, homo stolidus, & plebejus, qui se eum esse dicebat, qui judicaturus est vivos, & mortuos, mul-

Eon, & Henricus hæretici ab synodo damnati.

Jesu Chr. an. 1147. multos hactenus rusticos præstigiis suis dementaverat. Hunc spernendum magis, quam audiendum, nisi plurimos seduxisset, censebant Episcopi: quare ne ultra simplicioribus illuderet, revincendum, cauteque custodiendum esse censuerunt, ac sub custodia Sampsonis Remensis Archiepiscopi traditum, paulo post obiisse, Robertus de Monte tradit. Otto vero Sugerio traditum fuisse ait, cum tamen, eo in custodiam tradito, vel mortuo, sectatores ejus plurimi in eadem insania perseverarent, *Ignibus traditi, ardere potius, quam errorem ad vitam corrigere maluerunt*, ait Villelmus Neubrigensis, qui fusiori stylo perditissimi hujus nebulonis gesta describit; ex quo præcipua Baronius annalibus inseruit. Productus est quoque ibidem Henricus hæreticus, cujus supra mentionem fecimus, qui cum plurimos erroribus suis infecisset, tandem a quodam Episcopo, Remos ad Papam Eugenium ductus, hæreseosque convictus, vitam quidem, & membra eodem Episcopo postulante, retinuit, in carcere tamen jubente Eugenio, inclusus fuit, ibique paulo post, obiit, ut narrat Petrus Cantor de eodem verba faciens, in verbo suo abbreviato. Integram rerum gestarum seriem circa Gilberti Porretani Pictaviensis Episcopi causam, ac hinc inde allata, & disputata refert Gaufredus Clarevallensis monachus, qui cum S. Bernardo eidem synodo interfuit, qui ab Cardinali Albanensi aliquot post annos rogatus, ut ibidem gesta exponeret; cuncta eidem narravit, omnia recitat Baronius, hoc anno atque ab numero 20. ad 31. excurrit.

Labb. to. 10. pag. 1121. seqq.

Remensis Concilii Canones 17. vel 18.

10. Canones quoque decem, & septem, vel decem, & octo ad ecclesiasticam, vel monasticam disciplinam restituendam, vel pro juribus ecclesiæ vindicandis editi, & vulgati ibidem sunt, quorum textus Labbeanus in nonnullis dissidet a Baroniano, variantibus nimirum Codicibus, ex duobus optimæ notæ Mabillonius eosdem tomo quarto anecdotorum refert, eorumque summa hæc est. 1. Ne quis ab Episcopis suis excommunicatos recipere præsumat. 2. De vestitu, & tonsura clericorum: 3. De clericis uxoratis, aut concubinariis. 4. Ut sanctimoniales assidue in claustro permaneant. 5. Ne laici ecclesiæ negotia disponere, aut terminare præsumant. 6. De advocatis, & subdiaconis exactoribus. 7. Ut ecclesiasticæ personæ, & quæcumque regulariter

Labb. to. 10. pag. 1108.

ter vivere propofuerunt, matrimonium non contrahant. 8. Ne laici decimas poffideant. 9. Ne in Archidiaconum vel Decanum aliquis, nifi diaconus vel presbyter ordinetur. 10. Ut unaquæque ecclefia proprium habeat Sacerdotem, & ne quis poffit eum ab ejus regimine repellere. 11. Ut ecclefiafticæ, & regulares, fed etiam fæculares perfonæ in via, in agro, & eorum animalia, omni tempore fint fecuræ. 12. Ne milites ex condicto ad nundinas vel ferias conveniant. 13. Ne quis in clericum vel monachum violenter manus mittat. 14. Ut ad ecclefias vel cœmiteria confugientes fint fecuri. 15. De incendiariis. 16. Ne pro chrifmate, & facro oleo pretium exigatur. 17. Ut ordinationes ab hæreticis, & fchifmaticis factæ, irritæ habeantur. 18. Ne quis hærefiarchas, & fequaces eorum foveat, vel defendat. Hæc fumma canonum.

S. Bernardi querela de spretis concilii Remen. Canonibus. de consid. lib. 4.

11. His vulgatis canonibus ecclefiafticam difciplinam nequaquam reftauratam fuiffe conqueritur S. Bernardus, hæc ad Eugenium Papam fcribens. *Mibi*, inquit, *in promptu eft, ut multa, & innumera prætermittam, quæ paffim neglecta jacent, nonnulla etiam ex his quæ plantavit dextera tua, convulfa monftrare. Nonne os tuum in Rhemenfi Concilio fubjecta capitula promulgavit? Quis ea tenet? Quis tenuit? Falleris, fi teneri putas, fi non putas, ipfe peccafti, aut ftatuens quæ non tenerentur, aut quod non tenentur, diffimulans. Præcipimus, aifti, ut tam Epifcopi, quam clerici neque in fuperfluitate, feu inhonefta varietate colorum, aut fiffura veftium, neque in tonfura intuentium (quorum forma & exemplum effe debent) offendant afpectum; fed potius ita in fuis actibus errata condemnent, & amorem innocentiæ converfatione demonftrent, ficut dignitas exigit ordinis clericorum. Quod fi moniti ab Epifcopis fuis intra quadraginta dies non obtemperaverint, ecclefiafticis beneficiis eorumdem Pontificum auctoritate priventur. Epifcopi vero fi præfixam pœnam irrogare neglexerint; quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ funt, quam ad defides negligentefque rectores, tamdiu ab officio pontificali abftineant, donec pœnam nobis conftitutam clericis fibi fubjectis imponant. Illud etiam duximus annectendum, ut nullus in Archidiaconum, vel Decanum, nifi diaconus & presbyter ordinetur; Archidiaconi vero, Decani, & Præpofiti, qui infra ordines præ-*

Jesu Chr. an. 1147.

prænominatos sunt, si inobedientes ordinari contempserint; honore suscepto priventur. Prohibemus autem, ne adolescentibus, vel infra sacros ordines constitutis, sed qui prudentia, & vitæ merito clarescunt, prædicti concedantur honores. His vero recitatis, hæc subiicit: *Verba tua hæc, tu sanxisti, quid effectui mancipatum? Adhuc adolescentes, adhuc qui infra sacros ordines sunt, in ecclesia promoventur. Quod ad primum capitulum pertinet, luxus vestium interdictus, sed non restrictus: pœna dictata, sed minime secuta est. Jam quartus annus est, ex quo datum mandatum audivimus, & neminem adhuc clericorum privatum beneficio, neminem Episcoporum suspensum ab officio luximus. At luctu amarissimo dignum quod secutum est. Quid hoc? Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, trangressionum nutrix &c.* atque hæc pluribus prosequitur.

De Episcopis in Remen. Concil. congregatis.

12. Hoc autem Remense concilium ex omnibus fere Cisalpinæ ecclesiæ Episcopis congregatum, Generale a nonnullis dictum est, in quo Archiepiscopos decem adfuisse acta testantur, quorum nomina, & ordinem recenset Mabillonius lib. 79. num. 4. Episcoporum vero maximus fuit numerus, sicut & Abbatum monasteriorum Galliæ, & Magistrorum; Horum nomina passim in Codice Ottoboniano recensentur, ait supracitatus Mabillonius, qui præcipuos ex Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & scholarum magistris nominat.

Episcopi Hispani concilio Remensi se sistunt. *Labb. concil. tom. 10. pag. 2094.*

13. Hispaniarum autem Episcopos Remensi synodo adfuisse Sandovalius, aliique narrant, ac Eugenii Papæ epistola ad Alphonsum Hispaniarum Regem data confirmat, in cujus fine hæc addit. *Quia vero Episcopos, & Abbates Regni tui ad vocationem nostram tamquam devotus, & humilis filius Remensi interesse concilio voluisti, benevolentiæ tuæ gratias exhibentes, precum tuarum consideratione devicti, eos, qui non venerunt a suspensionis sententia relaxamus,* ac data dicitur *in Territorio Lingoniensi, quinto Kal. Maii* hoc anno. Dum Remos pergeret Raymundus Toletanus, Parisiis transiens, ac basilicam B. Dionysii ingressus, inscriptione ibidem posita didicit corpus S. Eugenii Archiepiscopi Toletani, & martyris ibidem requiescere, quare in Hispaniam reversus, in Gallias iterum anno 1156. ab Alphonso missus est, ut brachium ejusdem Sancti martyris aci-

ciperet, ac in Hispaniam deferret, quod solemni pompa illuc translatum fuisse Hispaniarum historici narrant. Reliqua vero sacri corporis ossa nostro tempore, ait Baronius, concedente Carolo nono Francorum Rege, pari religionis cultu translata sunt, cum eadem Philippus secundus Rex catholicus petierit.

Angliæ Episcopi ab Rege synodo adesse prohibentur.

14 Ex Angliæ Episcopis solus fere Theobaldus Cantuariensis invito Rege adfuit, nam ut narrat S. Thomas Cantuariensis Theobaldi successor in epistola 136. ad Bosonem Cardinalem, Theobaldus ad Concilium Remense perrexit, *ceteris Episcopis contra obedientiam remanentibus*, eo quod & ipsi ab Eugenio Papa vocati fuerant, *exceptis tribus, qui de mandato Regis venerunt, ut aliorum absentiam excusarent*. Gervasius etiam in chronico ad annum 1147. Theobaldum cum ceteris Angliæ Episcopis ab Eugenio vocatis ad synodum fuisse adnotat, *sed Archiepiscopus*, subdit *Deum magis, quam Regem metuens, clanculo mare adiit, & vix tandem in cimba fracta transvectus vix terram tetigit, & Domino Papæ se præsentavit*, synodo itaque se sistit, tum ut præcepto Eugenii pareret, cum etiam, ut causam suam cum Bernardo S. David Episcopo, seu Menevensi, qui eidem Theobaldo tamquam Metropolitano subesse recusabat, tueretur; Henricus quippe Rex Angliæ, Vallia in suam potestatem redacta, Menevensem ecclesiam, ceterasque ejusdem provinciæ Cantuariensi Archiepiscopo subjecerat, ut narrat Rogerius Ovedenus, ac subdit, *Bernardus tamen defuncto Henrico Rege primo movit quæstionem super jure ecclesiæ suæ metropolitano contra Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum. Unde Papa Eugenius in hac forma scripsit Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo: Eugenius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster Bernardus Episcopus sancti David, ad nostram præsentiam veniens, ecclesiam Sancti David olim metropolim fuisse asseruit viva voce, & eamdem dignitatem sibi a nobis restitui postulavit. Cum autem circa petitionem istam invigilans, diu in Curia nostra commoratus esset: tu frater Archiepiscopo, tandem eo præsente, ex diverso consurgens, in præsentia nostra adversus eum querelam deposuisti, quod debitam*

JESU CHR. AN. 1148. *quam primo Metropolitano obedientiam subtraxisset, tibique inobediens & rebellis existeret, cum a prædecessore tuo, tanquam a Metropolitano primo consecratus esset, & viva voce, & scripto Cantuariensi ecclesiæ professionem fecisset, & in multis postea, tanquam alii Suffraganei tibi obedisset, & astitisset. Ille vero consecrationem negare non potuit: sed professionem se fecisse, & obedientiam exhibuisse omnino negavit. Quod tu audiens, duos testes in medium produxisti, testimonium perhibentes, quod ipse illis videntibus & audientibus, post consecrationem suam, & viva voce & scripto Cantuariensi ecclesiæ professionem fecisset. Nos igitur auditis utriusque partis rationibus, & diligentius inquisitis, & testibus tuis studiose examinatis: communicato fratrum nostrorum consilio, juramenta eorum recepimus, & ut ipse Episcopus tibi, tanquam primo Metropolitano, obedientiam & reverentiam exhibeat, justitia dictante præcepimus. Unde, quoniam singulis ecclesiis, & ecclesiasticis personis suam dignitatem, & justitiam volumus conservare, beati Lucæ festivitate proximi sequentis anni, tibi & ipsi diem præfiximus, ut tunc præsentibus partibus, de dignitate ecclesiæ Sancti David, & libertate sua, rei veritatem cognoscamus, & quod justum fuerit, auctore Domino exinde statuamus. Data Meldis tertio Kal. Julii.* anni elapsi.

Labb. tom. 10. pag. 1041. Eugenii epist. 2. ad Theobaldum.

Theobaldus Anglia excedere cogitur, qua de causa.

15. In Angliam reversus Theobaldus, jussu Regis inde excedere coactus fuit, tum eo quod invito Rege Stephano ad Remensem synodum ab Eugenio vocatus se contulisset, tum etiam, quod prohibente eodem Eugenio, Eustachium Stephani filium coronare renuisset, idemque Theobaldus longo post tempore ad Alexandrum tertium scribens testatur, exilia, nuditatem, & pericula mortis, se pro Rom. Ecclesiæ fide pertulisse.

Quid ea de causa egerit Eugenius Papa.

16. Cum vero hæc accepit Eugenius Papa anathematis sententiam in Stephanum Regem tulit, ut in supracitata epistola ad Bosonem Cardinalem narrat S. Thomas Theobaldi in Cantuariensi sede successor, *Rex Stephanus*, ait, *ab antecessoris nostri persecutione non destitit antequam piæ recordationis Dominus Eugenius, omni cessante appellationis obstaculo, in caput ejus anathematis, & in terram interdicti sententiam præcepit ab omnibus Episcopis auctoritate Apostolica exerceri. Lupus enim ab ovili facile non arcetur, nisi cla-*

clamore canum terreatur & baculo. Hæc Sanctus Thomas epistolarum libro primo epistola centesima trigesima sexta. Et libro quarto epistola decima quarta ad Alexandrum Papam ista etiam refricat de Eugenio Papa, in Stephanum Regem Angliæ juste permoto, ait enim: *Numquid eram Archiepiscopus, quando pater ejus nuntios B. Eugenii terram illam intrare prohibuit? Nunquid eram Archiepiscopus, quando Gregorius S. Angeli diaconus Cardinalis tyrannidem hujus prævidens, persuasit domino Eugenio, ut Eustachium filium Regis Stephani coronari permitteret, dicens, facilius posse teneri arietem per cornua, quam cauda leonem? hæc vobis historia nota est*. Hæc ad Alexandrum S. Thomas. At quæ tunc nota erat historia, remansit obscura, nisi quod illud (quod summum est) liquet, nempe resistente Eugenio Papa, non licuisse coronari Eustachium filium Regis Stephani, & qui anno quinquagesimo secundo, post millesimum centesimum, ipsa die Sancti Laurentii, cum invaderet terram Sancti Eadmundi martyris, subita morte præreptus est, ita Deo ulciscente in sacrilegum Regis filium: in Angliam tamen paulo post Theobaldum rediisse, scimus, nam concilium biennio post, ann. 1151. Londini celebravit.

JESU CHR. AN. 1148.

17. Alia plurima in eadem Remensi synodo, pro ecclesiarum utilitate, vel Ecclesiasticæ, & monasticæ disciplinæ restauratione gesta fuisse scimus; Inter cetera Coloniensis Archiepiscopus Arnoldus multis gravibusque excessibus accusatus, officio suo suspensus est, ut ex epistola Conradi ad Eugenium constat, qua redux ab expeditione Orientali petit a Pontifice confirmationem electionis Theobaldi præpositi Xantensis, *quia*, inquit, *Coloniensis Archiepiscopus ab officio Episcopali a vestra dignitate suspensus est*: Idipsum clarius ex ipsius Eugenii litteris ad Corradum constat, nam rationem reddens cur a proferenda in eum depositionis sententia in concilio Remensi deterritus fuerit, hæc habet: *Causa fratris nostri Coloniensis Archiepiscopi, quam gravis sit, longum est enarrare, ab his qui circa te sunt poteris manifeste cognoscere. Si enim quanta circa officium per negligentiam, & inobedientiam superbiendo commiserit, magnitudinis tuæ discretio cognovisset, nec etiam verbum, ut credimus, pro ipso movisset. Unde in concilio quod Remis, Deo auctore, celebravimus excisionis sententiam pertulisset,*

Alia Remensis synodi gesta.

 nisi

JESU CHR. AN. 1148. *nisi regiæ parcentes absentiæ , detrimentum aliquod regno ; quod maxime nobis timendum erat , eventurum exinde putavissemus . Et nunc post reditum tuum nobiscum firmiter statuissemus , ipsum digna sententia suis excessibus feriendum , nisi tuæ legatio majestatis prævenisset , sed precibus tuis , quantum possumus inclinati , manum nostram impræsentiarum in ipsius damnatione retraximus , & usque ad dominicam qua cantatur* Ego sum pastor bonus , *inducias concessi* . Datæ sunt hæ litteræ Lateranis quarto Kal. Decemb. cum in urbem rediisset Pontifex .

Eugenii sollicitudo pro monastica disciplina. — 18. Quanta vero pro monasteriorum tranquillitate procuranda , ac monastica in iis disciplina restituenda , tum in Remensi synodo , cum alibi per Galliam circumjens egerit Eugenius longum esset exscribere ; Quænam pro Fuldensis monasterii tranquillitate restituenda , tam in synodo , quam post synodum gesserit , ex Brovero in antiquitatibus Fuldensibus , & ex Vibaldi epistolis Mabillonius exponit , sicuti & alia plurima , prout instituti sui ratio postulabat ; Cum apud Claravallenses versaretur , ubi aliquando monachus fuerat ; *Mirati sunt omnes* , ait Ernaldus in vita S. Bernardi ; *in tanta altitudine humilitatem immobilem , & in tam excellenti culmine propositi sancti permanere virtutem : ut altitudini sociata humilitas , pro officio exterius splendeat , & pro virtute nequaquam interius inanescat . Adhærebat carni ejus lanea tunica , diebus , & noctibus cucullo vestitus : sic ibat , sic cubabat . Intus monachi habitum retinens ; extra se pontificem , & moribus , & vestibus exhibebat , rem difficilem agens , diversarum in uno homine proprietates exprimens personarum . Segmentata ei circumferebantur pulvinaria , sed si revolveres operimenta , invenires superjectis laneis complosa stramina & paleas conglobatas : alloquitur fratres non sine lacrymis , miscens sermonibus avulsa a corde suspiria ; hortatur , & consolatur , & se inter nos fratrem , & socium , non dominum exhibet, vel magistrum . Cumque eum ibi morari diutius non pateretur magna cum prosequens comitantium multitudo , salutatis fratribus , iter in Italiam dirigens , abscessit* . Cistercium vero transiens , cum ibidem capitulum ageretur , illic Abbatibus congregatis ait Gaufridus in vita Bernardi , *prædictus Papa venerbilis adfuit , non tam Apostolica auctoritate præsidens , quam fraterna Caritate inter eos residens quasi unus ex eis &c.* Dum

[Margin notes: *Mabill. Annali lib. 79. n. 13. seqq.* — Eugenii Papæ gesta in Claravalle , et Cistercio. — *Lib. 4. cap. 7.*]

Jesu Chr. an. 1148. Malachias Episc. in Gallias transit ibique obiit.

19. Dum in Galliis adhuc esset Eugenius Papa, S. Malachias Hiberniæ Episcopus ut pallium, quod ipsi ab Innocentio Papa promissum fuerat, ab Eugenio obtineret, in Gallias transire disposuerat, at varia intercessere impedimenta quo minus meditata exequeretur, in primis traijciendi ex Anglia in Franciam difficultas, ob simultatem inter Summum Pontificem, & Regem Angliæ occasione Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi ortam, *quod rex nescio quid mali suspicaretur de bono illo homine si transiret*: cum *nec alios Episcopos transire sinebat*. Ob hæc igitur, aliaque impedimenta retardatus ab itinere Malachias, serius in Franciam appulit, quam ut pontificem ibi assequeretur. *Jam enim abierat, & erat Romæ, aut prope Romam*, teste Bernardo. Divertit itaque vir Sanctus ad Claram vallem, ubi pro voto suo moriturus erat. Quanto cum honore ac gaudio illic exceptus fuerit, Bernardus explicat; at lætitia in luctum cito conversa est; *Jam quatuor, aut quinque dies*, inquit, *hujus nostræ solemnitatis defluxerant, cum ecce die solemni B. Lucæ Evangelistæ missa in conventu sua illa sancta devotione celebrata, febre correptus, lecto decubuit*, sanctèque ibidem transacto jam festo omnium sanctorum occubuit: de ejusdem transitu epistolam S. Bernardus statim scripsit ad fratres Hiberniæ, seu ad monachos Claravallenses, quorum hortatu, & maxime Congani Abbatis, egregium de ejusdem vita, & gestis volumen digessit: extant etiam ejusdem Bernardi ad ipsum Malachiam epistolæ tres, cum videlicet ex Hibernia misisset sanctus Malachias quosdam ex suis erudiendos institutionibus Cisterciensibus. Fuit inter alios unus ex iis nomine Christianus, quem bene probatum idem Bernardus remisit in Hiberniam ad alios instituendos. Hic autem magnarum virtutum vir post mortem Malachiæ in locum ipsius in Archiepiscopatu successit ex Abbate monasterii Mellifontis, ut Robertus affirmat in Chronico: Vir, inquit, plurima sanctitate præditus, qui ejusdem sancti viri Archidiaconus extiterat, & primus Abbas de Ordine Cisterciensi in Hibernia, alumnus (ut dictum est) monasterii Clarævallensis; tantæ porro virtutis fuit Malachias, ut vita functus, in Cœlum continuo receptus fuerit, hinc cum Bernardus pro ejus transitu salutarem hostiam oblaturus esset; revelato sibi ejusdem transitu, orationis formulam mutavit, ut narrat, Godefridus in

epist. 374.

Bernardi op. tom. 2.

epist. 341. 356. 357.

Jesu Chr. an. 1148.

in vita Bernardi lib. 4., & orationem dixit, quæ ad sanctorum Pontificum celebritates, non ad commendationes defunctorum pertinet ita dicens; *Deus, qui Beatum Malachiam Pontificem sanctorum tuorum meritis coæquasti &c.* Nec multo post solemniter a Clemente tertio circa annum 1190. sanctorum fastis inscriptus est, cujus diploma in appendice ad Codicem Canonizationum exhibet Fontanini pag. 642.

Eugenius Papa in Italiam redit.

20. His gestis in Italiam tandem Eugenius rediit, Romam versus, vel saltem ad loca urbi vicina, cum urbem adhuc, ob Arnaldistarum factionem ingredi non liceret, ejus autem adventus circa octobrem contigit, ut S. Bernardus indicat, dum Malachiam in Gallias advenisse adnotat, circa festum S. Lucæ Evangelistæ, cum inde *Eugenius abjerat, & erat Romæ, vel prope Roman, Eugenius Papa Tusculanum ingressus fultus auxilio Rogerii Regis, Romanos sibi rebelles expugnat* ait auctor Chron. Cassin. cumque Romam pergens Eugenius in itinere, & Brixiæ adstans accepisset, ab Arnaldistarum fautoribus non solum laicos sed etiam clericos ab Pontificis subjectione, & obedientia revocari; ad Romanum clerum litteras, *Idibus Julii Brixiæ* dedit, ut eum ab ea rebellione revocaret quibus hæc habet. *Fallax, & invidus humani generis inimicus per Arnaldum schismaticum, quasi per membrum proprium, hoc effecit, ut quidam capellani unitatem Ecclesiæ, quæ sectionem non patitur, quantum in eis est, dividentes, ipsius Arnaldi sequantur errorem, & Cardinalibus atque Archipresbyteris suis obedientiam, & reverentiam promittere, & exhibere debitam contradicant. Ne igitur vires dare præfati schismatici pravis actionibus per silentium de cætero videamur, per præsentia vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus præfatum Arnaldum, tanquam schismaticum modis omnibus devitetis. Quod si aliqui clerici, Dei & sanctæ Ecclesiæ contemptores, ejus errorem post præsentium acceptionem sequi præsumpserint: scire vos volumus, quia tam officio, quam beneficio Ecclesiastico reddemus eos penitus alienos. Datum Brixiæ Idibus Julii. Eadem fere Archipresbytero Tituli S. Marci. Pontifex scripsit. Super controversia obedientiæ exhibendæ, quæ inter vos & capellanum de Pinca agitari dignoscitur, ecclesiæ Sancti Marci prospicere cupientes, per præsentia vobis scripta mandamus; quatenus eum districtius moneatis, ut secundum antiquam & rationabi-*

Murat. to. 5. Chron. Cassini.

Eugenii epist. ad Clerum Rom. Labb. to. 10. pag. 1049.

bilem consuetudinem vestræ ecclesiæ obedientiam promittere nullatenus contradicat. Si vero vestris monitis super hoc obedire contempserit, sententiam, quam in ipsum, & praefatam ecclesiam de Pinea justa tuleritis, nos auctore Deo ratam habebimus. Hæc Eugenius; in quam rem alteram Eugenii quarti, & tertiam Alexandri tertii litteras addit Baronius, *Rectoribus Romanæ Fraternitatis*, seu congregationis, eaque jubet, ut Presbytero S. Petri ad vincula subessent; Alexander vero tertius, septem Cardinalibus S. Petri scribens, ut capellæ suis titulis subditæ sint, imperat.

JESU CHR. AN. 1148.

21. Hoc eodem anno Nicolaum Anglicum Cardinalem, & Episcopum Albanensem in Daniam, & Norvegiam Eugenius Papa misit, ut Joannes Olaus, seu magnus in historia Gothica narrat, ubi inter cetera. *Effecit Nicolaus*, ait, *ea legatione, ut apud Norvergianos Archiepiscopalis sedes cum plenitudine pontificiæ potestatis erigeretur: quod etiam anno Christi millesimo centesimo quadragesimo octavo apud Suecones celebrato Lincopiæ Concilio provinciali peragere cupiens, Gothis & Sueonibus de urbe, & persona, tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, spe sua frustratus abscessit, ordinato prius sancto Henrico Episcopo Upsalensi. Jam enim Suecia tempore Amundi filii Olavi Schotkonung Archiepiscopum ex Polonia acceperat, qui in controversiam cum Gothis & Archiepiscopo Bremensi de præminentia devenerat. Gothi enim potius Bremensi, quam Upsallensi Archiepiscopo obediendum putabant. Ob quam dissensionem Archiepiscopalis dignitas in Suecia ad aliquos annos intermissa fuit. Proinde Nicolaus, ne ea legationis suæ parte in toto frustraretur, pallium Archiepiscopalis dignitatis apud Æscillum Lundensem Archiepiscopum deposuisse dicitur, ut illi conferret, quem Gothi, & Sueones conformibus suffragiis elegissent. Sed nullus Suenum Archipræsulum hactenus inventus est, qui se Lundensi pontifici in accipiendis Archiepiscopalibus insignibus submittere sustinuerit. Et illa titularis dignitas, si quando concessa fuit, in Æscillo extincta evanuit*; inferius vero addit, Upsallensem ecclesiam confirmatam fuisse metropolim ab Alexandro Papa Tertio. Scripsit autem de ista legatione usque ad obitum Eugenii etiam Saxo Pramaticus: eademque Willelmus Neubrigensis; Vita Henrici Upsallensis Episcopi, & martyris, qui septimus ejusdem sedis dicitur, extat apud Bollandum

Nicolaus Albani Episc. legatus in Daniam mittitur.

JESU CHR. AN. 1148. dum die 19. Januarii. Ubsala Regum quondam sedes fuit, quæ postmodum Stocholmum translata est.

Christianorum exercitus gesta in Oriente.

Gulielm. Tyr. lib. 16. & 17 Otto Frising, de gestis Frider. lib. 1. 58. seqq.

22. Corradi Imp., & Ludovici exercitum laboribus, inedia, cladibusque acceptis in Orientem pervenisse anno proximo adnotavimus, hoc anno ut Otto Gulielmus Tyrius, Sugerius, aliique narrant; Ludovicus Rex circa mediam quadragesimam Ptolemaidem applicuit, Acon ab aliis dictam, & post multa pericula *circa Palmas*, seu Dominicam Palmarum, *civitatem sanctam intravere*, idest Hierosolymam, ait Otto Frisingensis tam infausti itineris socius, ubi *cum multa cordis devotione*, sanctos ibidem dies celebrarunt. Corradus vero, ut subdit, *in ipsa Paschali hebdomada Ptolemaidæ applicans, & post paucos dies Hierosolymam veniens*, cum magno honore ab Clero susceptus est; ambo Reges inde digressi, mense Junio circa nativitatem S. Joannis Baptistæ conveniunt de die, loco, & quando exercitus instauraretur, ac tentata primum Damasi obsidione, re infecta recesserunt, ad obsidendam deinde Ascalonem cum Joppe *iterum condicto die conveniunt*; *Sed Hierosolymitis minime juxta condictum concurrentibus Imperator*, seu Corradus, *CPolim navibus evehitur*, *Rex*, Ludovicus, *suis repatriantibus, cum paucis Hierosolymis per annum moratur*; ait Robertus de Monte in Chronico, eademqoe ceteri scriptores, quare anno sequenti re infecta, cum paucis reversi sunt; Infelicem tantæ expeditionis exitum, non solum Saracenorum armis, & Manuelis Imp. insidiis, artibusque fraudulentis adscribendum esse, sed etiam christianorum Principum invidiæ non obscure indicat Gulielmus Tyrius, Bernardus etiam thesaurarius coævus fere scriptor, *Fertur etiam*, ait, *quod a Templariis, & Hospitalariis seducti fuerunt, qui sibi Somarios Bigantinorum falsorum obtulerant*; sed hæc pro instituto nostro satis, de eorumdem reditu in Germaniam, & Galliam anno sequenti.

lib. 17. cap. 7. Apud Mur. rer. Ital. to. 7. pag. 765.

JESU CHRISTI AN. 1149. EUGENII III. PAPÆ AN. 5. MANUELIS COMNENI IMP. AN. 7.

Eugenius Papa in urbem redit.

1. Eugenius Papa desinente anno proximo in Italiam reversus; *Tusculanum ingressus*, seu Tusculum, ait auctor chronici Cassinensis, *Romanos sibi rebelles, fultus auxilio Rogerii*

rii Regis expugnat, Robertus vero de Monte in chronico ad hunc annum. *Eugenius in Italiam ingressus cum Romanis vario eventu confligit*. De gestis autem Eugenii Papæ dum in Tusculano moraretur, redituque in urbem hæc narrat Romualdus Salernitanus. *Papa vero Eugenius postquam in Francia aliquantulum est demoratus, Italiam repetens, apud Tusculanum se recepit, & congregata militia, Romanos sibi inobedientes jussit constringere, & expugnare. Rex autem Rogerius cognito prædicti Papæ adventu, legatos suos ad eum misit, & partem militum suorum ad ei serviendum delegavit. Quum autem prædictus Papa apud Tusculanum moraretur, Rex Franciæ ab Hierosolymis rediens ad eum venit*, ibique cum honore ab Pontifice exceptus est, deinde *Rex autem Rogerius Archiepiscopos terræ suæ ab Papa Eugenio jussit consecrari*, auctor autem chronici Fossæ novæ ad annum 1150. *Eugenius Papa Florentinum*, seu Ferrentinum, *venit infra mensem Octobris, & multos Archiepiscopos, & Episcopos ordinavit*, de reditu autem ejusdem Pontificis in urbem anno 1152. sermo fiet.

JESU CHR. AN. 1149.

Murat. to. 5. rer. Ital.

Murat. to. 7. p. 193.

Murat. to. 7. p. 870.

Corradus & Lodovicus in occidentem redeunt

2. Interea cum Græcorum perfidia, seu potius, Deo Crucesignatorum peccata vindicante, *Duo potentes, & nobiles Principes*, Corradus scilicet, & Ludovicus, *amisso exercitu parum boni ad honorem nominis christiani perficere potuissent*; Hierosolymam devotionis causa profecti; *Dehinc Corradus per CPolim in Alemanniam rediit, Rex autem Franciæ* navibus transfretans, *per Apuliam ad propria remeavit*; ait Romualdus Salernitanus; ac ab Rogerio Rege, & Eugenio Papa ibidem cum honore exceptum, atque dimissum fuisse idem auctor adnotat, eoque in itinere Ludovicus, *reversus ab Hierosolymis quarto nonas Octob. ad hoc monasterium venit*; Cassinense scilicet, *susceptusque honorifice post diem tertium recedens, & apud Tusculanum cum Apostolico colloquens in Franciam rediit &c.* ait auctor anonymus chronici Cassinensis ad hunc annum: de Regum reditu agens Otto itineris Corradi socius; *expleta hac expeditione*, ait, *Principes ad propria redire disponunt, Romanus quidem*, seu Corradus, *per Græciam. Alter vero* Ludovicus, *per Calabriam, & Apuliam &c.* Et Corradus quidem Salisburgi festum Pentecostes, ait is auctor, *Inde Ratisbone cum magna Principum frequentia curiam celebravit*.

Murat. to. 7. pag. 192.

Murat. to. 5. p. 142.

Otto de gestis Frider. li. 1. cap. 59.

JESU CHR. AN. 1149. Eugenii Papæ epist. ad Corradum consolatoria.

3. Laboribus interea mœroreque ob infaustum expeditionis exitum, confectus Corradus in Thessalia per aliquod temporis spatium ægrotavit, ibique substitit, uti narrat Otto loco citato, quem ad sua reversum Eugenius Papa datis litteris consolari conatus est, quibus hæc præfatur *Cum in hoc Mundo cuncta mobilitatis ordo corrumpat: sicut nec prosperis elevari, ita nec frangi adversis, confidentes de divina miseratione, debemus, quia Dei & hominum mediator admiranda dispensatione consuevit omnem filium quem recipit adversitatibus flagellare, ut dum ipsum per amorem ad æterna præmia vocat, præsens mundus ejus animum perturbationes, quas ingerit, a seipso repellat, tantoque facilius ab hujus amore recedat, quanto magis impellitur dum vocatur &c.* deinde post aliqua. *Hoc itaque rationis debito incitati discretionem tuam commonemus & exhortamur in Domino, quatenus tribulationes, quas tibi, & exercitui tuo omnipotens Deus irrogavit, patienter supportes, & in eo spem tuam constituas, qui quem vult, permittit affligi, & confidentes in se misericorditer liberare consuevit. Si enim patientiam, & humilitatem in adversis perfecte tenueris, per desertum hujus vitæ sub protectione columnæ nubis & ignis, idest patientiæ solatio, & charitatis ardore, intrepidus perduceris &c.* se quidem Artuicum Bremensem, & Anselmum Hamelburgensem Episcopos ad eum misisse narrat, ut eum suo nomine in Longobardia transeuntem adirent, at cum in Thusciam pervenissent; ibique eum in Germaniam transiiisse accepissent, *longitudinem viæ, & difficultatem itineris propter æstatis intemperiem metuentes, ad nostram præsentiam redierunt*; Quare Franconem harum litterarum latorem ad eum mittens, *Nobilitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino; quatenus ea, quæ circa te ipsum geruntur, & statum regni per eundem Franconem nobis studeas intimare, & hoc tempore devotionem, quam erga matrem tuam S. R. E. geris, ostendas, ut nostro respondere affectui congrue videaris, & B. Petri Apostolorum Principis intercessionibus, cui te totum debes exponere, Creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in Tusculano octavo Kal. Iulii*, hactenus Eugenii epistola ad Corradum ab Ottone Frisingensi relata.

Labb. concil. to. 10. pag. 1049.

Detractiones in S. Bernar-

4. Vix in Galliam Ludovicus redierat, cum de nova expeditione paranda actum est, ut ad annum 1150. narrat Ro-

Robertus Abbas de Monte, seu auctor appendicis ad Sigebertum. *Habitis per Franciam conventibus, annuente etiam Papa Eugenio, ut Abbas Claraevallis Hierosolymam ad alios provocandos mitteretur, grandis iterum sermo de profectione transmarina celebratur, sed per Cistercenses monachos totum cassatur*, cum etenim infelix adeo, & infausta praecedens expeditio fuisset, importunum visum est, statim tentare aleam, cum praecipue eodem tempore, undique in Gallia, & Germania adversus Bernardum obmurmuraretur, quasi praedicatione sua populos fefellisset, totumque commovisset orbem. Quamobrem horum detractionibus Bernardi fama aliquatenus imminuta est, quam pro modulo suo Otto Frisingensis vindicavit, ac post multa addit. *Si dicamus sanctum illam Abbatem*, Bernardum scilicet; *Spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse; sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, merito rerum personarumque dispendium deportasse: non sit a rationibus, vel antiquis exemplis dissonum. Quamquam, & spiritus Prophetarum non semper subsit Prophetis*. Sed haec de obtrectatoribus audi a Gofrido in vita ipsius: *Nec tacendum* (inquit) *quod ex praedicatione itineris Hierosolymitani grave contra eum quorundam hominum vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumpsit, cum tristior sequeretur effectus. Quod tamen verum dicere possumus, ab eo quidem initium non sumpsisse. Cum enim multorum jam animas permovisset audita necessitas, a Rege Francorum semel & iterum propter hoc expetitus, Apostolicis etiam literis monitus, nec sic acquievit super hoc loqui, vel consilium dare, donec per ipsius tandem Summi Pontificis generalem Epistolam jussus ab eo est, tamquam Romanae Ecclesiae lingua, exponere populis atque Principibus: cujus Epistolae tenor fuit, ut in poenitentiam & remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri*; his addit auctor, innumeris portentis, & miraculis tunc Bernardum inclaruisse, ut iis signis ostenderet se a Deo afflatum, eam expeditionem praedicasse.

dum excitatae.

De gestis Freder. lib. 1. cap. 6.

5. Cum vero haec ad obstruenda obloquentium ora satis non essent, Apologiam pro se ipso paulo post scribere coactus est, dum scilicet librum secundum de consideratione ad Eugenium Papam misit, ubi inter cetera. *Incidimus*, inquit

Bernardus Apologiam pro se scribit.

Jesu Chr. An. 1149.

Bernardi de consider. lib. 2. cap. 1.

quit, *ut ipse nosti in tempus grave, quod, & ipsi pene vivendi usui videbatur indicere cessationem, nedum studiis; cum scilicet Dominus provocatus peccatis nostris, ante tempus quodammodo visus sit judicasse orbem terræ, in æquitate quidem, sed misericordiæ suæ oblitus. Non pepercit populo suo, non suo nomini. Nonne dicunt in Gentibus: Ubi est Deus eorum? Nec mirum: Ecclesiæ filii, & qui Christiano censentur nomine, prostrati sunt in deserto, aut interfecti gladio, aut fame consumpti. Effusa est contentio super Principes, & Dominus errare fecit eos in invio & non in via: contritio & infelicitas in viis eorum, pavor & mœror, & confusio in penetralibus Regum ipsorum. Quam confusi pedes Evangelizantium pacem, annunciantium bona? Diximus, pax, & non est pax: promisimus bona, & ecce turbatio. Quasi vero temeritate in opere isto, aut levitate usi sumus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed te jubente, immo per te Deo. Quare ergo jejunavimus, & non aspexit? Humiliavimus animas nostras, & nescivit? Nam in his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta &c.* hæc, & alia ibidem, rationibus, & exemplis etiam rem confirmans. *Peccavit Beniamin*, ait, *accinguntur reliquæ tribus ad ultionem, nec sine nutu Dei. Designavit denique ipse ducem præliaturis. Itaque præliantur freti, & manu validiori, & causa potiori, & quod bis majus est, favore divino. At quam terribilis Deus in consiliis super filios hominum? Terga dedere sceleratis ultores sceleris, & paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum, & Dominus ad eos: Ascendite (inquit) & ascendunt denuo; denuoque fusi & confusi sunt. Ita Deo primum quidem favente, secundo & jubente, justi justum certamen ineunt, & succumbunt. Sed quo inferiores certamine, eo fide superiores inventi sunt. Quid putas de me facerent isti, si meo hortatu iterato ascenderent, iterato succumberent? Quando me audirent monentem tertio repetere item opus, in quo semel, & jam secundo frustrati forent? Et tamen Israelitæ unam & alteram non reputantes frustrationem, tertio parent & superant. Sed dicunt forsitan isti: Unde scimus, quod a Domino sermo egressus sit? Quæ signa tu facis, ut credamus tibi? Non est, quod ad ista ipse respondeam; parcendum verecundiæ meæ. Responde tu pro me, & pro te ipso, secun-*

Bernardus exemplis se tuetur.

dum

dum ea quae audisti, & vidisti, aut certe secundum quod tibi inspiraverit Deus. Hæc, & alia plurima ibidem Bernardus adversus detractores suos, quæ exscribere longum esset.

Epistola Joannis Abbatis Casamarii ad Bernardum 386.

6. Dum hæc, & alia linguis oblatrantium sibi S. Bernardus sustineret, Casamarii Abbas in Vestinis prope Verulanam urbem, discipulus ejus, litteris suis eum consolari, curavit, hæc ad eum scribens. *Memor dulcedinis, & familiaritatis, quam mihi indigno pietas vestra quondam exhibuit, aperire cogitationes mei cordis paternitati vestræ, quasi coram positus, præsumo, vestra magis de mansuetudine confisus. quam de offensa suspectus. Spero namque affectionem ac dilectionem. quam erga vos habeo, pietatem vestram non latere. Et si aliquid etiam stultum dicerem: confido vos benigne ac mansuete, quasi patrem filio ignoscere. Dictum est mihi, pater clarissime, quod de hac re, quæ non ita prospere, ut forsitan volebatis, contigit (de via vero Hierosolymæ loquor) multum tristamini, eo quod Ecclesia Dei, vel gloria, non sicut desiderabatis, accrevit. Quapropter quod mihi pro hoc diu cogitanti Deus (ut credo) in corde sit, vobis humiliter suggero, nimirum perpendens, quod sæpe parvo cuilibet Dominus aliquid ostendit, quod alicui magno; & multis donis repleto videre nequaquam concedit, sicut Moysi sancto facie ad faciem cum Deo loquenti Jethro alienigena consilium dedit. Videtur itaque mihi, quod omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipsi viatores arbitrabantur. Siquidem si hoc quod cœperant, sicut decet Christianos, juste ac religiose prosequi vellent, Dominus cum eis esset, ac magnum fructum per eos perfecisset. Sed quoniam ipsi ad mala sunt devoluti; & hoc nequaquam Dominum, qui auctor viæ fuerat a principio, latere potuit, ut sua providentia in sui dispositione non falleretur, malitiam eorum in suam convertit clementiam, & misit eis persecutiones, & afflictiones. quibus purgati ad regnum pervenire possent. Denique confessi sunt nobis, qui redibant, quod vidissent multos ibi morientes, qui libenter se mori dicebant, neque velle reverti, ne amplius in peccatis recciderent. Sed ne in dubium veniat quod dico, quasi patri meo spirituali confessione aperio, quod patroni loci nostri BB. Joannes & Paulus sæpius nos visitare dignati sunt &c.* ac sibi reve-

Jesu Chr. an. 1149. Henricus Lodovici Regis frater, monachus fit, deinde Episcop. ordinatur.

velatum fuisse addit, quod quamplurimi ex iis, qui in ea expeditione occubuerant, salutem æternam consecuti erant.

7. Hoc autem tempore, & anno, ut Baronius, & Pagius adnotant, Henricus Ludovici septimi Francorum Regis frater, qui paulo antea seculo spreto, abdicatisque ecclesiasticis proventibus, quibus ditatus fuerat, ex seculari clerico, claustralis monachus Cistercensis evaserat, hoc anno Bellovacensis Episcopus ordinatus est, quam sedem per annos duodecim circiter tenuit, cum inde anno 1162., mortuo Sampsone Remensi Archiepiscopo, ad eam regendam ecclesiam translatus est, ut suo loco dicturi sumus; Hunc autem Bernardi consilio ad monasticam vitam transiisse Goffridus in vita Bernardi narrat. *Accidit enim*, ait, *ut veniens idem Henricus germanus Regis ad hominem Dei, Bernardum videlicet, super quodam sæculari negotio locuturus, Conventum etiam Fratrum visitans, eorum sese orationibus commendaret. Cui Pater sanctus inter verba sanctæ exhortationis: Confido, ait, in Domino, nequaquam in eo te moriturum, in quo nunc positus es, sed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi istorum prosit oratio, quam expetisti. Quod eodem postmodum die non absque multorum admiratione completum est, & de tanti juvenis conversione cœnobium omne exultatione repletum &c.* Instante professionis suæ die ad Bernardum, qui absens tunc erat, in hæc verba scripsit; seu potius ejus nomine Nicolaus Bernardi notarius, *de cetero lætus, & incolumis sum, & expecto videre faciem vestram, sicut faciem Dei, prope est enim desponsationis meæ, quo feriam pactum cum Deo per manum vestram, & sub custodia vestra, & serviam ei die ac nocte, & omnibus diebus vitæ meæ &c.* At anno vix post professionem exacto, ad Bellovacensem sedem evectus est; De cujus electione pluribus agit Mabillonius; Is porro, etsi Episcopalem sarcinam declinare multis modis curaverit, ut ex ejusdem epistolis tum ad Petrum Cluniacensem, cum ad Sugerium Abbatem constat, quibus rogat eum, Bellovancensibus juberet, ut se magis idoneum ad eam sedem eligerent, nec consensum suum præbuerit, nisi cum id tam Bernardus, quam Venerabilis Petrus probaverint; Nihilominus Episcopatu vix adepto, sinistri quidam de ejus vivendi ratione rumores sparsi sunt, de quibus S. Bernardus in epistola ad Hugonem Ostien-

lib. 3. cap. 3.

Mabill. Annali Ord. S. Bened. lib. 79. 46. Petri Vener. lib. 6. epist. 3. Suger. epist. 42.

Epist. 307.

Ostiensem Episcopum agit, ex quibus sane apparet, facilius esse Episcopale officium declinare, quam tantum onus digne laudabiliterque sustinere; Is porro Bellovacensis Episcopus ordinatus graves cum fratre suo Ludovico contentiones sustinuit; cum ecclesiæ suæ bona, ab Rege militibus, aulicisque in commendam data, vindicare conatus est, ob quam rem extant Eugenii Papæ epistolæ ad Ludovicum, atque ad Episcopos Galliæ apud Martene in collectio monum. tom. 2. pag. 630.

8. Bernardus interea Claræ vallensis Abbas, etsi hoc tempore, ob infaustum Orientalis expeditionis exitum, cujus ipse incentor, auctorque fuerat, etsi inquam obloquentium linguis vapularet, nihilhominus ut ecclesiæ, Regnique utilitatibus consuleret, de pristina sollicitudine nil remisit, ut testes sunt, quamplurimæ ab eo hoc anno scriptæ epistolæ; Inter eas sex ad Sugerium S. Dionysii Abbatem, cui Regni-administratio commissa fuerat; Harum prima eum hortatur, ut se quorumdam Principum certaminibus opponat, nimirum Henrici filii Theobaldi Campaniæ comitis, & Roberti regis fratris, qui ante alios reversi, *maledictas illas nundinas*, idest torneamenta, ut tum vocabant, *post festa paschalia præfixerant*, *ut irruant*, *&* *interficiant semetipsos*. In sequenti epistola eidem gratulatur, quod *ad consilium*, *tam curiæ quam ecclesiæ principes convocasset*, ut regni gravaminibus mederetur: *ut sciant omnes*, inquit, *qui habitant terram*, *quia remansit*, *& regno*, *& regi amicus dulcis*, *consiliarius prudens*, *adjutor fortis*; tum eumdem hortatur ad causam rei publicæ fortiter agendam. In alia epistola ad ipsius Sugerii litteras, in quibus ille de regni malis quærebatur, respondet Bernardus, se plurimum dolere, quod mala illa, etsi ejus consilio, & voluntate non fiant, ei tamen imputentur. Quapropter ejus zelum ad illa removenda inflammat, ut sacrilegi illi, qui hæc committebant, cognoscerent se alienum esse ab eorum numero, & consortio: atque in fine epistolæ, aliam se omnino de eodem opinionem habere testatur: *Illud autem credatis*, inquit, numquam *male me sensisse de vobis*. *Novi enim vos*, *& puritatem vestram*.

Bernardi gesta, & scripta.

Duchesne to. 4. epist. 376. ad 382.

9. Inter Bernardi libros, nulli sane nobiliores extant, si argumenti gravitas, vel personæ dignitas cui inscripti sunt, quam

S. Bernardus libros de

Jesu Chr. an. 1149. consid. scribit. Mabill. præfat. in libros de Consid. & Annali an. 1149. Petri Vener. lib. 6. epistola 9.

quam libri quinque de consideratione Eugenio Papæ inscripti, quos ejus hortatu digessit; Non uno anno scripsit Bernardus, nec ad Eugenium omnes simul misit; Primum quidem hoc anno 1149., atque hunc Nicolaus Bernardi Notarius eodem anno ad Petrum Venerabilem Cluniacensem misit; *Mitto vobis librum Domni Abbatis Claravallis ad Dominum Papam*. Quod cum non advertisset Baronius, eosdem una simul scriptos, & ad Eugenium missos fuisse anno 1152. scripsit; secundum paulo post composuit anno sequenti, tertium quarto anno post concilium Remense, anno scilicet 1152., ut diserte sub finem libri indicat; Duos denique posteriores aliquanto post, cum adhuc ignoraret Bernardus, quo animo tres priores Eugenius accepisset, ut ex initio libri quarti constat.

S. Bernardi monita ad Eugenium Papa. lib. 1. cap. 3. Bernardi invectiva in Romanos.

10. In his autem libris S. Bernardus etsi Pontificatus Romani dignitatem, Primatusque in tota ecclesia catholica auctoritatem, potestatemque describat; Multa tamen, quæ eo vel consentiente, vel ignorante fiebant, deplorat, inter cetera frequentes legationes, maxime in Hispaniam, sed sine fructu, utpote lucri causa magis susceptæ, quam animarum zelo. Frequentiores etiam, ad Romanam sedem appellationes sæpe captiosas, & inutiles redarguit; Quarto autem libro in Romanos stylum acuit, eo quod hoc tempore ob factionem Arnaldinam, in Romanos Pontifices, & in ipsum Eugenium sæpe rebelles facti fuerant; Quare post aliqua, hæc de iis scribit. *Quid de populo loquar, populus Romanus est. Nec brevius potui, nec expressius tamen aperire de tuis parœcianis quid sentio. Quid tam notum sæculis quam protervia & fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta, gens immitis, & intractabilis, & usque adhuc subdi nescia, nisi cum non valet resistere. En plaga! tibi incumbit cura hæc, dissimulare non licet. Rides me, forsitan fore incurabilem persuasus. Noli diffidere, curam exigeris, non curationem*. Et inferius: *Scio induratum cor populi hujus; sed potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quis scit, si revertatur & ignoscat, & convertat, & sanet eos &c.*, & sane eosdem anno sequenti iterum in Eugenium rebelles factos videbimus.

Mogontina synodus ab

11. Hoc circiter anno, ab Henrico Moguntino Archiepiscopo synodus cum suffraganeis suis celebrata est Herfordiæ,

diæ, cujus ipse Henricus meminit in epistola ad Vibaldum Stabulensem Abbatem num. 121. actum in ea estde coercendo Sizone quodam Comite, qui bona abbatiæ de Burgilim detinebat, & de crimine alterius comitis, qui priore uxore dimissa alteram superinduxerat; at ille prolatis episcopi Hildesheimensis literis probavit quod *inter ipsum, & priorem* conjugem *propter cognationem canonica facta esset separatio; sed de incestu quem cum nepte sua commiserat pœnitentiam suscepisse* demonstrare non potuit. Ex quibus verbis intelligimus prius illud conjugium cum nepte conciliatum fuisse. Igitur decretum a patribus fuit, ne ante factam exomologesim matrimonium aliud contrahere seu ratum habere posset, ait Mansius ad hunc annum.

Jesu Chr. an. 1149. Henrico celebratur. *Martene collectio monum. tom. 2.*

II. Hoc quoque anno, ut legitur in chronico Gervasii. *Henricus filius Imperatricis* (seu Methildis uxoris Gaufridi Comitis Andegavensis) *mense majo mediante cum grandi comitatu militum electorum, & peditum rediit in Angliam, & in adventu suo multorum animos contra Regem Stephanum excitavit*. Henricus itaque in Angliam transvectus, *exercitia cœpit militaria frequentare, assumpto itaque secum nobili Ranulpho Castrensi Comite, & Rogerio Comite Herefordensi, aliisque nonnullis præter illos, quos secum duxerat de Normanniæ militibus famosis, adiit Regem Scotiæ David consanguineum suum, a quo cum summa lætitia, & honore susceptus, militari quoque balteo cum nonnullis coætaneis suis in sacra solemnitate Pentecostes accinctus est. Ab illo ergo die cœpit Henricus mentem Regis Stephani, filiique sui Eustachii multis ex causis adversum se excitare*. Paulo post: *Eustachius autem Regis Stephani miles factus, multa mala exercuit in terris Procerum, & Comitum qui Henrici partibus favebant*. Henricus postea sub Henrici II. nomine Rex Angliæ fuit, ejusque sæpe infra mentio occurret.

Anglia bello civili afflicta

JESU CHRISTI an. 1150. Eugenii III. Papæ an. 6.
Manuelis Comneni Imp. an. 8.

I. Cum Petrum Cluniacensem Abbatem graviora ordinis sui negotia ad urbem traxissent, quanto cum honore, tum ab Eugenio Papa, cum a toto Rom. clero exceptus fuerit, idem Abbas in epistola ad Bernardum enarrat, his ver-

Petrus Venerab. Romam profectus, cum honore ibidem exceptus,

Jesu Chr. An. 1150. libr. 6. epist 47.

verbis; *Læta plane in via cuncta reperi, sed lætiora apud Patrem inveni*, seu apud Eugenium, *bonum illum habui in principio, meliorem in processu, optimum in fine; immo (ut quod verius ex corde haurio, fatear) optimum semper. Cumque vultus ille illius, in quo vere Apostolicus vigor & forma relucet, pro varietate causarum, personarum, & eventuum mutaretur, & aliis atque aliis nunc jucundum, nunc nubilum discretissime se præberet: mihi tamen numquam in diversa mutatus est. Qualem veniens reperi, talem recedens reliqui. Notabam sæpe austeriorem vel mæstiorem quam frequenter induere aliis de causis cogebatur speciem: ipsum aut privatim, aut publice me alloquente, de judicis forma in patris gratiam commutare. Præferebar omnibus etiam majoribus gradu, nec Patriarchalis dignitas, cum etiam Ravennas adesset, præire, me ipsum plerumque impellente, sinebatur. Senatui Romanorum, Episcoporum, vel Cardinalium non tantum adjungebar, sed & quandoque adjungi cogebar. Excludebantur universi non Romani a romanis consiliis: solus aut pene solus ad misteria jurata vocabar: ista in publico jam secretiora, & remota ab aliis colloquia quis explicet? Dico, dico quod verum est: nemo me putet aliter loqui quam sentio. Ut aliquid arrogantius dicam, hoc apud me fas non est. Nunquam amicum fideliorem, nunquam fratrem sinceriorem, nunquam patrem puriorem in hujusmodi colloquiis expertus sum. Auris patiens ad audiendum, lingua prompta & efficax ad respondendum, non ut major minori sed ut aut par pari, aut quandoque ut inferior superiori. Nihil fastus, nihil dominium, nihil majestas; sed totum sibi hominem æquitas, totum humilitas, totum ratio vendicabant. Si quid vel ibi, vel alibi petii: aut indultum est, aut rationabiliter, ita ut queri non possem, negatum &c.* Addit se quidem alias sæpe Eugenium vidisse primo scilicet Pontificatus anno in urbe, deinde in Galliis Antissiodori, Catalauni, Remis, alibique *sed talis ait nunc apparuit, quasi numquam vidissem*; ac ab tota etiam Romana Curia, atque ab Ostiensi Episcopo præcipue, *non minus, non inferius mibi astitit, quam vobis si præsentes essetis, astaret &c.* Hæc, & alia de rebus cum Eugenio in urbe transactis Venerabilis Abbas.

Eugenius iterum urbe

2. Etsi Eugenius Papa ex Gallia in urbem reversus, aliqualem cum Romanis pacem iniisset, paulopost tamen, cum

cum Romani Senatus auctoritatem minuere, aut etiam extinguere conaretur, novas ea de causa turbas excitatas fuisse indicat auctor Anonymus chronici Cassinensis, hæc ad annum 1149. scribens, *Eugenius Papa urbem egressus Campaniæ moratus est*; deinde ad annum 1152. de ejusdem reditu, hæc addit. *Eugenius Papa cum Romanis paciscens, Romam reversus est, quinto Idus Decembris*; Cum autem Eugenius Papa hoc anno urbe excessisset, ut Romani rebellionem suam firmarent, litteras ad Corradum Regem dederunt, quibus auxilium protectionemque ejus implorarunt, urbis dominium eidem offerentes: Rom. Senatus litteras Otto Frisingensis recitat, etsi loco non suo, utpote ante Hierosolymitanam expeditionem, quas post Corradi reditum, ex Vibaldi Stabulensis Abbatis epistolis, reique gestæ serie datas fuisse constat, ut ad annum 1144., quo eas Baronius recitat, adnotavit Mansius. Harum autem hæc est inscriptio. *Excellentissimo, atque præclaro Urbis, & orbis totius Domino Conrado, Dei gratia Romanorum Regi semper Augusto. Senatus, populusque Rom. salutem, & Rom. Imperii felicem, & inclitam gubernationem*. Corradum etsi Imperiali corona nusquam ornatum, gratificandi gratia, tamquam urbis, & orbis Dominum, & Augustum dixerunt, eodemque animo moti hæc scripserunt. *Regali excellentiæ per plurima jam scripta nostra, facta, & negotia diligenter exposuimus, & quomodo in vestra fidelitate permaneamus, ac pro vestra Imperiali corona exaltanda, & omnimodo augenda quotidie decertamus. Ad quæ quia regalis industria (ut postulavimus) rescribere dignata non fuit: plane tamquam filii & fideles de domino & patre satis miramur. Nos enim quidquid agimus, pro vestra fidelitate, & honore facimus. Et quidem regnum, & Imperium Romanorum vestro a Deo regimini concessum exaltare atque amplificare cupientes, in eum statum, quo fuit tempore Constantini, & Justiniani, qui totum orbem vigore Senatus, & populi Romani suis tenuere manibus, reducere, Senatu pro his omnibus Dei gratia restituto, & eis, qui vestro Imperio semper rebelles erant, quique tantum honorem Romano Imperio surripuerant, magna ex parte conculcatis: quatenus ea quæ Cæsari, & Imperio deberentur, per omnia & in omnibus obtineatis, vehementer atque unanimiter satagimus atque studemus: & ob hujus rei effectum, bonum*

egressus, in Campaniam transiit.

Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 142.

Rom. Senatus epist. ad Corradum Regem.

Otto Frising. de gestis Freder. lib. 1. cap. 28.

JESU CHR. AN. 1150.

num principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem, & justitiam omnibus eam volentibus observamus, fortitudines, id est, turres & domos potentum Urbis, qui vestro Imperio una cum Siculo & Papa resistere parabant, cepimus, & quasdam in vestra fidelitate tenemus, quasdam vero subvertentes solo coæquavimus. Sed pro his omnibus, quæ vestræ dilectionis fidelitate facimus, Papa, Frangipanes, & filii Petri Leonis, homines & amici Siculi, excepto Jordane, nostro fidelitate in vestra vexillifero & adjutore, Ptolomæus quoq., & alii plures undique nos impugnant, ne libere (ut decet) imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos quoniam amanti nullus labor gravis est, licet inde plurima damna sustineamus: pro vestro amore & honore gratanter patimur. Scimus namque nos a vobis proinde præmium sicut a patre accepturos; vosque in eos, sicut in Imperii hostes vindictam daturos. Ne falsis autem rumoribus de se sparsis aures præbeat rogant, quin quanta olim, & tunc adversus Imperium Romani Pontifices attentaverint, exagerant, ac tandem. *Sine mora* inquiunt *ergo precamur, ut veniatis &c.* Hactenus de his Otto, quæ sane ab Arnaldistarum factione scripta fuisse manifestum est, cum in urbe viri cujuslibet status, ex primoribus etiam non deessent, qni antiquam debitamque Romanis Pontificibus obedientiam, tamquam Dominis præstarent, ut vel ipsa schismaticorum epistola docet.

VibaldusAbbas Rom. ecclesiæ causam tuetur. *Martene collect. Monum. tom. 2. pag. 398. epist. 225.*

3. Præter hanc Romani Senatus epistolam, aliæ etiam a viris clarissimis, Sixto scilicet, Nicolao, & Guidone, eodem de argumento scriptæ fuerunt, quas inter Vibaldi Abbatis, cum altera Senatus, vulgavit Martene. Istas porro senatus Romani litteras a Corrado Januario ineunte anni proximi acceptas fuisse idem Vibaldus Abbas in epistola ad G. Cardinalem narrat; *Scripserunt*, ait, *Senatores vestri ad Dominum nostrum graves, & duras adversus Dominum Papam epistolas, quæ ad ipsum mense Januario allatæ sunt &c.* quibus addit Vibaldus Corradum quidem Germaniæ Regem, ob concordiam cum Manuele Græcorum Imp. initam adversus Rogerium Siciliæ Regem, Apuliæque Ducem, aliquatenus commotum fuisse; *itaut Rom. ecclesiam Catholicorum omnium matrem, graviter, si posset, affligere, & perturbare disponeret.* Se tamen, utpote viro, *non fœdere corrupto, sed & fa-*

fastu & inobedientia Græcorum, aliquatenus corrupto, ideft Conrado Regi, reftitiffe, atque ipfum ad faniora confilia revocaffe, *longa cohabitatione, & affidua collocutione humilitatis, & obedientiæ bonum inftillavimus, & aliquorum verba familiaritatis aufu, feverius interdum repreffimus*; Cum præcipue eidem Vibaldo Abbati, utpote Corradi familiariffimo, tam Eugenius & Guido Cancellarius, Rom. ecclefiæ caufam commendaffent, ut in fupracitata epiftola ita narrat Vibaldus; *Sane cum idem vir beatus nobis proxime fcripfit, familiariter parvitati noftræ intimare dignatus eft, quod quidam rumor tam Dominum Papam, quam curiam fuam perturbaffet*, ob fœdus cum Manuele ab Corrado initum; Quare *injunxit etiam parvitati noftræ ex parte Domini Papæ, & fua, & attentius exbortatus eft, ut modis omnibus, quibus poffemus efficere ftuderemus, ne adverfus Apoftolicam fedem bujufmodi fluctus infurgerent, vel fi forte aliquorum pravitate infurgere cœpiffent, cum aliis ecclefiæ Dei fidelibus, viribus noftris compefceremus. Fecimus, quod juffifti &c.* ficque irriti omnino, ac inanes hi alteri Arnaldinæ factionis conatus fuerunt, ac in urbem non multo poft reverfus Eugenius, fancto ibidem anno 1153. fine quievit. JESU CHR. AN. 1150.

4. Extatque adhuc Corradi Regis epiftola ad eumdem Eugenium Papam hoc tempote fcripta, cum ab Orientali expeditione rediiffet, qua fe ad Rom. ecclefiæ tranquillitatem, dignitatemque tuendam paratum effe fpondet. *Dilectiffimo in Chrifto Patri Eugenio Corradus &c. Ex quo nos propitia divinitas a partibus Orientis poft multa pericula terra marique fufcepta fanos, & incolumes ad propria reduxit, quia non licuit fanctam ac venerabilem paternitatem veftram facie ad faciem corporalibus oculis intueri, propofueramus aliquos de magnatibus noftris ad vos dirigere, ut tam de ftatu facrofanctæ matris noftræ Romanæ ecclefiæ, & aliarum ecclefiarum, quam de imperii Romani reformanda dignitate difcretiffimi confilii veftri fententiam familiari, & intima inquifitione acciperemus. Sed primo detinuit nos gravis infirmitas, a Deo nobis ad correctionem data, quæ nos in tantum fex fere menfibus afflixit, ut majoribus rebus gerendis pene effemus inutiles. Quæ occafio aliquorum aluit audaciam, & quorumdam motuum excitavit feminaria, ad quæ fopienda & comprimenda, cum fofpitatem munere cœlefti fuiffemus adepti, tota*

Corradi epiftol. ad Eugenium. *Martene collect. monum. tom. 2. pag. 411. inter Vibaldi epist. 226.*

JESU CHR. AN. 1150.

tota nos animi vigilantia præcinximus . Et nunc de bonis principiis opportunum finem cum Dei gratia sperantes , misimus in præsentiarum ad vestram celsitudinem magistrum Henricum curiæ nostræ notarium , virum utique prudentem , & honestum , & nobis , ut scitis , familiarem , & acceptum , qui vestræ discretioni extra præsentium litterarum seriem quædam de voluntate nostra ac rebus nostris viva voce intimabit , cui credere nullatenus dubitabitis . Qua sua epistola Corradus , se in tuenda Rom. ecclesiæ auctoritate , & dignitate adversus schismaticos Arnaldistas paratum fuisse indicat .

Castellum Cluniaco proximum instans , destruitur , aliudque terræmotu diruitur.

Pet. epist. 46 lib. 6.

5. Inter cetera , quæ in urbe Petrus Venerabilis Cluniacensis egerat , cum Eugenio Pontifice , de Hugone quodam excalceato conquestus fuerat , eo quod castellum quoddam , quod Cluniaco tamquam supra caput instabat , ædificaverat , eaque de causa illud Eugenius *duro anathemati submiserat* , ut idem Petrus Eugenio post reditum suum scribens narrat , additque res eo usque progressas , ut ea de re arma utrinque pararentur , paulo post tamen amicorum interventu quorum ibidem Petrus nomina refert , concordia inita est , ac ut subdit ; idem Hugo discalceatus . *Deiicit ipse castri constructor , & diruit ab ipsis fundamentis , suis , vel suorum manibus Castrum , seque numquam deinceps aliquid ibidem ædificii facturum juramento confirmat , dat insuper , & ipsum montem ecclesiæ &c. Nos autem bis de causis dedimus ei ducentas , & viginti libras &c.* sicque contentio sopita , quin & extincta penitus fuit . Cumque Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum anno 1156. referat *factus est terræmotus decimoquinto Kal. Martii , maxime in Burgundia , adeo ut ter in nocte festivitatis sanctæ Priscæ Virginis sentiretur apud Cluniacum , & quoddam Castellum , quod erat desertum haud procul a Cluniaco situm absortum iret in abyssum , & spatium , in quo castellum fuerat impleretur aquis inæstimabilis profunditatis* ; Hoc castellum terræmotu dirutum , idem fuisse cum eo , de quo Petrus Venerabilis , utpote Cluniaco infestum , cum Eugenio conquestus fuerat , Deoque vindice dirutum fuisse tradit Baronius ; At aliud omnino fuit , ut Petri epistola supracitata indicat , nam primum sub Eugenio conventione inita dirutum fuit , hoc alterum quinquennio post terræmotu concussum , ut hactenus diximus .

Con-

6. Concilia duo in Salisburgensi provincia hoc tempore celebrata sunt, quorum apud chronologos occurrit mentio, ut referunt conciliorum editores, alterius meminit Otto Frisingensis Episcopus in epistola ad Eugenium data, qua narrat reformationem monasterii cujusdam decretam in eo fuisse, cumque renitentibus monachis id obtinere non potuissent Episcopi, totam causam Sanctæ sedi remissam fuisse addit, Unde *Placuit nobis*, ajunt Episcopi, *pater & domine causam hanc ad vos translatam, qui & prudentiam habeatis, & auctoritatem finem imponere &c.*

JESU CHR. AN. 1150. Salisburgense concilium *Labb. concil. noviss. edit. tom. 21. p. 750.*

7. Cum in multis Rogerium Regem Deus exaltasset, *ne succedentia prospera animum ejus exaltarent*, ait Romualdus Salernitanus, *adversitatum flagellis paterna miseratione corripuit. Nam primo Albyria illustris Regina uxor ejus, ex qua tres filios habuerat, mortua est, & filia ejus. Post hæc Tarentinus Princeps, & Anfusus Capuanorum Princeps, & Henricus mortui sunt. Novissime autem Rogerius Dux Apuliæ, primogenitus ejus, mortuus est anno Dominicæ Incarnationis* 1049. *Ind.* 12 *vir quidem speciosus, & miles strenuus, pius, benignus, misericors, & a suo populo multum dilectus. Rex autem Rogerius tot flagellis afflictus, constanti animo pii patris flagella sustinuit, & sic se medium inter prospera & adversa exibuit, ut ne eum prospera plus justo erigerent nec adversa penitus inclinarent &c.* ait auctor. Anonymus autem chronici Cassinensis ad hunc annum hæc adnotat. *Obiit Sibilla Regina, Rex Rogerius constituit Gulielmum filium suum Ducem Apuliæ Regem*; Hæc tamen ut adnotat Pagius non uno eodemque anno contigerunt, Albiria enim Rogerii uxor anno 1135. objerat, ut ibidem diximus, eaque defuncta, Sibillam Otionis Burgundiæ Ducis sororem duxerat, at hæc, cum nulla superstite prole hoc anno obiisset, paulo post, *Beatricem filiam Comitis de Retefle in uxorem accepit, de qua filiam accepit, quam Constantiam appellavit*, & Villelmum filium Capuanum Principem quem etiam Apuliæ Ducem, ait auctor Chron. Cassin., & *Regem Siciliæ fecit inungi, & secum jussit conregnare* ait Salernitanus, biennio antequam Rogerius obiisset, seu uno aut altero ab hinc anno. *Anno Domini* 1150., ait Matthæus Parisius, *Rex Francorum Lodovicus, & Eustachius filius Regis Angliæ*, Stephani scilicet, *cum militia copiosa venerunt ante*

Rogerii Regis funera. *Muratr rer. Ital. tom. 7. pag. 193.*

Murat to. 5. pag. 142.

Pax firmatur inter Ludovicum Re-

JESU CHR. AN. 1150. gem,& Henricum Normanniæ Ducem. *te turrim de Archis, ob discordiam memoratam* (anno superiori) *ubi etiam adfuit Dux Normanniæ Henricus, & pater ejus Comes Andegavensis Gaufridus, cum ingenti exercitu Andegavensium, Britonum, & Normannorum; sed videntes utriusque partis Principes, quod legiones illuc nequibant sine magna effusione sanguinis hostiliter convenire, cœperunt de pace tractare, & intervenientibus utrorumque amicis, Rex Francorum cœpit homagium Ducis Henrici de Normannia, & sic pacifici recesserunt. Dux igitur Henricus dum tractaret cum Optimatibus suis de itinere suo in Angliam, pater ejus apud castrum Læri graviter infirmatus, septimo Idus Septembris ab hac vita migravit, & sic Henricus filius ejus factus est Comes Andegavensium, & Dux Normannorum.* Matthæum tamen in anno emortuali Gaufridi Comitis errasse eruitur ex utroque Chronico Andegavensi, Radulphi de Diceto, & Gervasii Huntindoniensi, seu Roberti de Monte, qui ejusdem obitum cum anno sequenti alligant, ut adnotavit Pagius not. *6*.

JESU CHRISTI ANNUS 1151. EUGENII III. AN. 7. MANUELIS COMNENI IMP. AN. 9.

Eugenius tertius Papa terras Rom. Ducatus recuperat. *Murat. rer. Ital. script. tom. 3. p. p. 439. tom. 7. pag. 870.*

1. Cum hoc tempore ob Romanorum insolentiam ab urbe exularet Eugenius Papa tertius, in finibus urbis, seu in Campania degens, Romani Principis, ac Pontificis munera diligenter obivit, nam inter cetera de ejusdem gestis, hoc anno hæc narrat Card. de Aragonia. *Hic recuperavit Terracinam, Secium, Normam, & arcem Fumonis, quæ a dominio B. Petri jamdiu alienata fuerant.* Hic auctor Chronici Fossæ novæ addit. *Eugenius Papa ivit Castrum, & dedicavit ecclesiam S. Crucis decima die Maii, & sexto Kal. Novemb. dedicavit ecclesiam Casæ Marii, & reversus est Segnim.*

Moguntini, & Colon. Archiep. in urbem adventus.

2. Illustriora sunt, quæ tamquam Rom. Pontifex, & Petri successor cum Moguntino, & Coloniensi Archiepiscopo, hoc anno Eugenius gessit, ii quippe cum magna munerum, aurique copia in urbem advenientes, ut Pontificem aulicosque sibi promererentur, causis eorum expeditis, cum muneribus suis, aurique copia dimissi sunt, quod sane tamquam insolitum admiratus est S. Bernardus, hæc in Euge-

genii commendationem adnotans. *Hic locus avaritiam carpit a quo vitio immunis satis tua opinio est, an & opus, tu videris. Vidimus tamen (ut oblata pauperibus taceam, quæ tangere non acquiescit) Germanicos detinuisse saccos, sed pretia, non massa. Argentum reputatum est fœnum: sommarii non levati sarcinis, onusti nihilominus repatrians vel inviti: nova res. Quando hactenus aurum Roma refudit? & nunc Romanorum consilio id usurpatum non credimus. Duo venerunt, ambo locupletes & ambo rei: siquidem unus Moguntinus, Coloniensis alter. Alteri gratia gratis reddita est: alter indignus credo, cui gratia redderetur, audivit: Cum quali veste intrasti, cum tali egredieris. O vocem magnificam! vocem prorsus Apostolicæ libertatis! Quid minus ab illa hæc habuit: Pecunia tua tecum sit in perditionem: nisi quod illa plus zeli ista plus modestiæ sonuit?* Hæc de his Bernardus, anno sequenti cum librum tertium de consideratione vulgavit, cui paulo post duos alteros addidit; Quam in urbe, seu in Campania apud Eugenium Papam causam tractaverit Henricus Moguntiæ Episcopus non constat, concertationes quasdam eum cum Monacho quodam Rodulpho habuisse ex epistola S. Bernardi ad eum data, vero proximum est; Quare eidem rescribens S. Bernardus hæc habet. *Depositum querelæ vestræ apud nos signum est, & pignus dilectionis, & præcipue humilitatis indicium? Quis enim ego sum aut quæ domus patris mei, ut ad me referatur Archiepiscopi contemptus, & Metropolitanæ sedis injuria &c.*, atque insolentem Radulphi monachi agendi rationem, dum fideles adversus Hebræos excitabat, gravibus reprehendit verbis, ut ibidem videre est, cum tamen Henricus in ecclesiam Heideseimensem clericos, ejectis monachis, revocasset, graviter ab Eugenio ea de causa coargui meruit, & ut perperam gesta revocaret, admonui, ut in epistola ad eum data constat, qua de causa fortasse Romanum suscepit iter. Dimisso interea Moguntino Episcopo, ut pleniori judicio ejusdem causa retractaretur, biennio post legatos suos in Germaniam Eugenius misit, ut ibidem dicturi sumus; Coloniensis autem Episcopus Arnaldus in eam sedem hoc anno, post obitum Arnaldi, electus, illico Romanum suscepit iter, ut electionis suæ confirmationem ab Eugenio Pontifice obtineret, a quo benigne exceptus, & consecratus, pal-

JESU CHR. AN. 1151. *Bernard. de consid. ad Eugen. lib. 3.*

epist. 365

tom. 10 concil. epist. 62.

Jesu Chr. An. 1151.

lii honorem promeruit, datis enim litteris Eugenius Papa ecclesiæ Coloniensis Metropoliticam dignitatem cum pallii usu, aliisque privilegiis concessit.

epist. 10. Eugenii tertii Papæ Epistol. ad Arnaldum Colon. Archiepisc. *tom.* 10. *pag.* 1055.

3. Ubi post plurima de Coloniensis ecclesiæ dignitate, & privilegiis, subdit, *Pallii quoque usum, & vivificæ Crucis Vexillum, atque Naccum, insigne videlicet festivi equi, quæ prædecessoribus tuis a nostris prædecessoribus concessa sunt suo tempore suoque loco ferenda nos tam tibi, quam tuis successoribus confirmamus &c.* ut nulli etiam, nisi Rom. Pontifici subesset, ut propterea primum locum in synodis teneret, ut Regis Germaniæ consecrationem perageret, sui juris esse addidit, & ut septem suæ ecclesiæ Presbyteri Cardinales crearentur, qui dalmaticis induti, & mitris ornati in solemnioribus diebus cum totidem Diaconibus, & Subdiaconibus sandaliis calceati, eidem assisterent, permisit, ac data dicuntur Signiæ sexto Idus Januarii indict. 15. anno Incarn. 1151. Eugenii Papæ septimo, idest hoc vel sequenti anno quæ Arnaldo Coloniensi inscripta legitur, sed ejusdem successori restituenda est, nam Arnaldus ab officio suo suspensus, nullum ab Eugenio Papa privilegium promeruerat. Nacco autem, seu Nacto equi festivi, cujus ibidem mentio, purpureus pannus seu stragulum est, quo equus ornabatur designatur; Hinc ut a Pagio adnotatum est, Jacobus Stephanescus Cardinalis de coronatione Bonifacii octavi cap. 9. ait. *Post ipsum quadratus equus detextus ut ante, velatusque rubro scarlati tergora nacto, Cygneus ad dextram vehitur*; idest equus albus, sed de Nacco, vel Nacto vide Ducangium in glossario.

De Nacco equi insigne

Concilium Londoniense in Anglia. *Vilkins in Britann. tom.* 1. *p.* 424.

4. Anno decimosexto Stephani Regis Angliæ, ait Huntindeniensis lib. 8. *Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus, & Apostolicæ sedis legatus tenuit Concilium generale apud Londoniam in media Quadragesima, ubi Rex Stephanus, & filius suus Eustachius, & Angliæ Proceres interfuerunt, totumque illud Concilium novis appellationibus infrenduit. In Anglia namque appellationes in usu non erant, donec eas Henricus Vintoniensis, dum Legatus esset, malo suo crudeliter intrusit. In eodem namque Concilio ad Romani Pontificis audientiam ter appellatus est ornamentum.*

Archiepiscopatus qua-

5. Hoc etiam anno Eugenius Papa Joannem Paparonem Cardinalem legatum in Hiberniam misit, ut in eam insu-

fulam pallia deferret, quatuor Archiepiscopis tunc primum ibidem creatis, apud Armach scilicet, apud Cassel, apud Divaline, & Connath. De ea legatione, gestisque hæc narrat Joannes Hagulstandensis ad annum 1152. seu 1151. *His diebus appulit ad Tynamutha in Nortumbria Joannes Presbyter Cardinalis directus Apostolicæ Sedis Legatus cum Palliis Hiberniensibus directis*. Paulo post: *Scripsit autem David Regi Scotiæ significans de se & de causa adventus sui, expetens adventum ejus in Hiberniam &c. Auditis litteris Domini Cardinalis, excellenter susceptus est, & cum eo quidam Episcopus Hiberniæ: Venientem itaque ad se Cardinalem circa festum Sancti Michaelis, Rex & filius ejus Henricus Comes officiose susceperunt, ejusque favorem expensis, & obsequiis devotis emeruerunt. Profectus inde in Hiberniam quatuor Pallia certis sedibus distribuit, gentemque in ea legi nuptiarum non assuetam plurimum correxit. Venerat autem idem Cardinalis Presbyter in praecedenti anno ad Regem Angliæ, cui non acquievit Rex conductum præstare, nisi fidem daret se in hac profectione Regno Anglorum nullum damnum querere &c.* de eadem institutione quatuor Archiepiscoporum in Hibernia agunt Chronologus Mailorosensis ad hunc annum, Hovedenus aliique; Hujus Joannis Paperonis legati, summa cum laude meminit S. Bernardus in epistola ad Cardinalem Ostiensem, atque is ex nobili Paperona familia erat, quæ diebus nostris, ait Baronius, in Francisco Paperone, in urbe defecit.

JESU CHR. AN. 1151. [Archiepiscopi qua]tuor in Hibernia constituti.

Bernard. epistol. 290.

6. Epistola eadem qua Joannem Paperonem ob legationem peractam laudat Bernardus, alterius legati seu Jordanis ad Corradum Romanorum Regem missi, ut testatur Otto Frisingensis, male gesta Cardinali Ostiensi Bernardus exponit; ut ea ad Eugenium referat: *Pertransit legatus vester de gente in gentem, de Regno ad populum alterum, fœda, & horrenda vestigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium, & regno Teutonicorum per omnes pene Ecclesias Franciæ & Northmanniæ & circumquaque circumiens, usque Rothomachum vir Apostolicus replevit non Evangelio, sed sacrilegio. Turpia fertur ubique commisisse, spolia Ecclesiarum asportasse, formosulos pueros in Ecclesiasticis honoribus, ubi potuit, promovisse, ubi non potuit, voluisse. Multi se redemerunt, ne venirent ad eos. Ad quos pervenire non potuit, exegit & extor-*

Jordanis legatio in Germaniam.

Jesu Chr. an. 1151.

torsit per nuntios. In scholis, in Curiis, in triviis fabulam se ipsum fecit: seculares, religiosi, omnes male loquuntur de eo. Pauperes, & monachi, & clerici conqueruntur de eo. Homines quoque suae professionis ipsi sunt, qui magis exhorrent & famam ejus & vitam. Hoc testimonium habet, & ab his qui intus, & ab his qui foris sunt. Non sic dominus Joannes Paparonus, non sic, cujus laus est in Ecclesia, quippe honorificantis ubique ministerium suum. Legite literas has domino meo, ipse viderit, quid de tali homine faciendum sit. Ego liberavi animam meam. Dico tamen praecipitatione, qua soleo: Bonum est ei si purget ipse Curiam suam, & si liberet conscentiam suam &c. Hactenus Bernardus de duplici legatione.

Sugerii Abbatis obitus. *Mabill. Annal. Ord. Bened. tom. 6. pag. 487.*

7. Ob Sugerii Abbatis obitum, toti Galliae, & Benedictino ordini infaustum hunc annum fuisse adnotat Mabillonius, qui dum Hierosolymitanum iter meditaretur, ut afflictis ibidem rebus, si qua ratione potuisset, succurreret, lento morbo correptus in octava Epiphaniae piis intentus operibus, & precibus obiit. Sugerium infirmum, atque ad exitum properantem S. Bernardus, ut mortem laetus exciperet, litteris suis excitavit, ac quanti eum faceret, & sincera charitate diligeret, indicavit, cui breviorem idem S. vir reddidit, eique gratias egit, eodemque tempore pene morti jam proximus ad Francorum Regem Ludovicum scribens, ecclesiam S. Dionysii commendavit, hanc, cum altera longiori epistola de ejusdem sancti viri obitu a Gulielmo monacho fratribus sui ordinis scripta, recitat Mabillonius loco citato pag.490. Scriptis quoque Sugerius claruit, a Duchesnio tomo quarto rerum Francicarum insertis: in Praefectura Abbatiae S. Dionisii, quam per annos fere triginta tenuerat, *Odio de Diogilo* successor fuit, cujus initia turbulenta fuerunt, ut narrat auctor itineris in Orientem a Ludovico septimo suscepti, nam ejusdem electioni fratrum nonnulli adversati sunt, graviorum etiam criminum insimulantes, ejus tamen innocentiam litteris apud Eugenium Papam S. Bernardus propugnavit, auctoritateque sua effecit, ut in Abatiae S. Dionysii regimine confirmaretur: at de monachorum dissidiis jam satis; plura dabit Mabillonius, qui hoc anno, ubi plures alios pietate, & doctrina praestantes obiisse adnotat; Ex his S. Remigii Abbas Odo, cui Hugo successit, ad quam per honori-

epist. 266.

De scriptis Sugerii Abbatis.

epist. 285., & 286.

rificam Eugenius Papa scripsit epistolam hactenus ineditam, a Mabillonio relatam; Cartusianis etiam Anthelmo ad Bellicensem Episcopatum promoto successit Basilius, cujus laudes prosequitur Petrus Cluniacensis Abbas, eique gratias agens Basilius respondet; hoc tamen tempore, cum nonnulli ex magna Carthusia monachi ejecti, ad Eugenium Pontificem profecti essent, sine dilatione, aut satisfactione ad Carthusiam remissi sunt; at id ægre ferens S. Bernardus, cum eodem Pontifice conquestus est, & ut cautius ageret, hortatur, eademque epistola obitum Rainaldi Cisterciensis Abbatis Pontifici narrat, eique Gozonem seu Gosuinum Bonævallis Abbatem substitutum fuisse addit, quem ab Eugenio confirmari postulat, his subdit vir sanctus Valentinum Episcopum convalescere, quem utpote virum bonum ex Casa Dei assumptum Obertum nomine eidem commendat, in fine autem epistolæ se jamdiu infirmari viribusque deficere Bernardus scribit. *Puer vester*, inquit *plus solito infirmatur, guttatim defluit, forte minime dignus, ut occidatur semel, & cito ingrediatur ad vitam &c.* Epistola sequenti Theobaldo Campaniæ Duci inscripta, se pro ejus filio impubero ecclesiasticas dignitates nequaquam impetrare posse aperte testatur; *Nam honores, & ecclesiasticas dignitates non ignoro debere his, qui eas digne secundum Deum administrare velint, & possint; Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis &c.* ac alia ibidem de beneficiorum pluralitate obtinenda addit, tanti sane viri digna.

lib. 6. epist. 40. 41.

epist. 270.

Bernardus beneficia puero impetrare recusat. *epist. 271.*

8. Non minimum quoque mœroris hoc eodem tempore S. Bernardo attulit Nicolaj Claravallensis monachi, & Bernardi Abbatis notarii lapsus, seu defectio, qui Bernardi indulgentia & benignitate abusus, non tantum epistolas ejus nomine, eo inconsulto, ad diversos scripsit; sed etiam ejus sigillum in malos usus adulteravit: quod Bernardus, tacito Nicolai nomine, Eugenio primum significavit his verbis, *Periclitati sumus in falsis fratribus, & multæ litteræ falsatæ sub falsato sigillo nostro in manus multorum venerunt, &, quod magis vereor etiam usque ad vos dicitur falsitas pervolasse*. Sed tandem, cum res in publicum vulgata esset, funestum ejus casum, non jam dissimulato nomine, in alia

Nicolai notarii S. Bernardi lapsus.

ad

Jesu Chr. an. 1151.

ad eumdem Eugenium epistola sic deplorat. *Nicolaus ille exiit a nobis, quia non erat ex nobis: exiit autem fœda post se relinquens vestigia. Et ego longe ante hominem noveram: sed expectabam, ut aut Deus eum converteret, aut instar Judæ ipse se proderet; quod & factum est. Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipso exitu inventa sunt super eum sigilla tria: unum ejus proprium, alterum prioris, tertium nostrum: De turpitudinibus ejus, quibus terra sordet, & facta sunt omnibus in parabolam, supersedeo polluere labia mea, & vestras aures.* Addit Bernardus, quod si ad Eugenium, ut jactitabat, se contulisset, dignum esse, si quis alius *perpetua inclusione*, seu carcere. Hanc Nicolai monachi proditionem ad annum 1146. narrat Baronius, tardius tamen id contigisse, aut fraudem ejus detectam fuisse adnotant Mabillonius, & Pagius, hic autem impostor ut supracitati auctores adnotant post varios vitæ suæ casus post varia rerum discrimina, tandem in Attrebatensi monasterio, ubi olim sedem habuerat, rediit, ut constat tum ex epistola 59. Arnulphi Lenoviensis Episcopi ad eum data, tum ex ipsius Nicolaj epistola, ad Villelmum Remorum Archiepiscopum scripta non ante annum 1176. quod Villelmus ad hanc dignitatem promotus est. In hac epistola Nicolaus Villelmo se gratum exhibet, quod ipsum receperit intra *sacrarium* suæ familiaritatis, & quod detractori suo aures non præbuisset. Deinde se excusat, quod ab ejus conspectu tam diu abstinuerit, hæc scribens: *Excusabo me de difficultate itineris, de longinquitate regionis, quæ est inter Remensem urbem, & Arremarensem ecclesiam*; ubi proinde tunc degebat Nicolaus: *Sed iter breve, & via plana, & plena in circuitu amicorum meorum.* In eo etiam vel maxime Nicolaus vanitatem suam prodit, quod de multitudine amicorum, ut olim etiam tunc gloriabatur. Sic in quadam ad Henricum Campaniæ comitem epistola, eodem fere tempore scripta gloriatur se ab ineunte ætate placuisse magnis, & summis principibus hujus mundi: *Sed tibi singulariter ex dominio naturæ debeo quidquid sum*, ut pote in Campania natus: *& ex officio amicitiæ quidquid possum*. Sed de hoc Nicolao satis superque.

Mabill. tom. 6. pag. 499. num. 151. pag. not. 14. ann. 1147. Mabill. ut sup.

Martyrium S. Henrici

9. Hoc anno S. Henricus Finlandiæ Episcopus, postquam eorum plurimos ad fidem Christi convertisset ecclesiamque

intre

inter barbaras gentes fundasset, impiorum factione martyrii coronam adeptus est, ut Joannes Magnus Olaus dictus in Gothorum, Sueonumque historia lib. 19. cap. 3. refert, atque hoc anno contigisse in Metropoli Vysalensi testatur; cujus gloriosa gesta, ac prætiosam mortem auctor vitæ ejus pluribus prosequitur a Bollando die 18. Januarii recitata.

Episc. Filandiæ.

10. Hoc etiam anno Gratianum monachum decretorum summam, seu concordantiam discordantium canonum vulgasse passim eruditi tradunt, quem etsi Clusii in Etruria natum, ac Benedictinum monachum, fratremque Petri Lombardi fuisse nonnulli scripserint, incertam tamen adhuc ejusdem originem, patriam, annum, locumque obitus esse adnotat continuator historiæ ecclesiasticæ Card. Orsi. Hoc unum constat ipsum in monasterio S. Felicis Boniniæ docuisse, ibique collectionem canonum vulgasse, cumque Benedictini monachi S. Felicis monasterium Bononiense possideant, hinc ejusdem ordinis Gratianum fuisse scripserunt, at seculo undecimo Camaldulenses monachi ibi aderant, ejusdem instituti fuisse Gratianum verosimilius est, quem ideo Classensem monachum fuisse nonnulli dixerunt, eo quod Classense monasterium Camaldulensium erat; Ejusdem quidem adhuc extat epitaphium in monasterio S. Felicis scriptum, seu potius ut ibidem legitur ab Aldrovando Bononiensis Reipublicæ dictatore ære publico renovatum anno 1488., ubi Clusinus patria dicitur, at tunc primum eidem inscriptum, aut immutatum fuisse verosimile est, de his vero plura dabit accuratissimus Academiæ Bononiensis historicus Sartius Camaldulensis.

Gratianus monachus libros decretalium vulgat.

Becchetti ist. eccles. tom. 11. lib. 67. num. 124.

11. Nunc pauca de Gratiani collectione addimus: quamplurimas canonum collectiones præcessisse canonum studiosi non ignorant; Omnium prima canonum Apostolorum fuit, Romana etiam ecclesia a seculo quarto ineunte suum canonum Codicem habebat, cujus pars prima Rom. Pontificum decretales epistolas ab Siricio incipiens continebant, altera conciliorum canones, Nicenos scilicet, & alios: hanc Romanam collectionem adjunctis Apostolicis canonibus aliisque, auxit seculo sexto Dionysius exiguus, ac Rom. Pontificum ad Anastasium secundum addidit, eodemque fere tempore Ferrandus diaconus in Africa *canonum breviarium* vulgavit; In Hispania autem seculo sexto ineunte Martinus Bracarensis

De canonum collectionibus ante Gratianum.

Jesu Chr, an. 1151.

canonum Codicem, seu collectionem vulgavit, & in capitula octoginta quatuor distribuit, ubi Græcos canones ab se in latinum redditos, atque latinos inseruit, explicavitque, nonnulla addens, vel demens: seculo nono incunte amplior collectio prodiit sub nomine Marii Mercatoris, in qua tamquam Sagenæ missæ in mari, quæ bonos ac malos pisces colligit, Isidorus genuinis Rom. Pontificum decretalibus, sanctorum Patrum auctoritatibus, adulterinas inseruit, ac in suam transtulit collectionem, quæ ut genuina monumenta temporis decursu & ob defectum artis critices receptæ sunt. Eamdemque provinciam ingressi seculo undecimo, & duodecimo Regino Pruniensis Abbas, Burchardus Vormatiæ Episcopus, & Ivo Carnotensis, alias canonum collectiones ediderunt, iis præsertim auctæ auctoritatibus, quas Isidorus in suam collectionem transtulerat; Iisdemque vestigiis inhœrens Gratianus, quin immo novis etiam tum sinceris, quam spuriis canonibus, & Ss. Patrum auctoritatibus augens, effecit, ut quo ceteris copiosior erat, eo acceptior fuerit, ac ubique tamquam præcipuus canonum magister haberetur, cumque hoc ineunte seculo Bononiam studiorum causa, & præcipue juris civilis, & Canonici, quod tunc maxime florebat, ex variis nationibus adolescentes confluerent, eorum opera factum est, ut toto fere orbe Gratiani decretum reciperetur; Id etiam ejusdem collectioni auctoritatem conciliavit, quod ad Scholasticorum, & Forensium usum eadem collectio præceteris utilis erat, dum de qualibet causa in utramque partem disputat, ac pro utraque canones referens, & pro viribus explicans, & in concordiam redigere conatus est; Totum opus tribus partibus constat. Prima distinctiones complectitur 101. ac de ecclesiasticis ordinibus, & ministeriis agit. Secunda Causas, quarum quælibet varias quæstiones satis agitat, eique amplum de pœnitentia tractatum inseruit Pars tertia de consecratione dicta, & in quinque distinctiones divisa. Gratiani opus Eugenium probasse, ac ut in Academiis legeretur jussisse scribit Caveus; At sicuti adnotat Becchettius, triennio antequam Eugenius Pontifex crearetur, Gratianus opus suum vulgavit, ut in historia Bononiensis academiæ Sartius probavit; Hinc etiam Bartolus Patavinæ Academiæ sacrorum canonum professor, deinde Feltrensis Episcopus in suis canonicis institutionibus advertit. Ne-

De Sacramentis, sacrisque ordinationibus agitur.

Caveus tom. 2. pag. 216. edit. Oxon.

Nemo coniiciat Gratiani collectionem eam auctoritatem habere ut authenticam sit, & quidquid in eo exhibetur vim legis ecclesiasticæ habere. Neque enim Gratianus aut publico jussu id opus effecit, neque quisquam ex Rom. Pontificibus illud probavit, & innumeris scatere mendis extra dubium est, in eoque expurgando, illustrandoque quamplurimi canonum studiosi adlaborarunt, quorum primus Antonius Augustinus Episcopus Terraconensis recensetur, novissimus vero hac nostra ætate Berardus in Regio Taurinensi Atheneo sacrorum canonum professor, quare ad eumdem Augustinum Terraconensem Antistitem a Baluzio editum, & illustratum, vel Berardum, de Gratiani decreto ejusque mendis lectores delegamus, aut ad supracitatum Bartolum, qui de veteribus canonum collectionibus usque ad Gregorianam, qua jamdiu ecclesia utitur, breviter, enucleateque agit; Interea cum inventis addere facillimum sit, hoc eodem desinente seculo Bernardus Papiensis Præpositus, Faventinus postea Episcopus alteram collectionem vulgavit, quam *Breviarium extravagantium*, appellavit, eo quod plurima, quæ Gratiani diligentiam effugerant, vel post Gratiani collectionem ab Summis Pontificibus usque ad Clementem tertium vulgata fuerant, in hac sua collectione retulisset; Nec multo post alii Bernardum imitati, decreta Pontificum post ipsum edita vel ab eo prætermissa vulgarunt; Cumque supradictæ canonum collectiones privata auctoritate vulgatæ fuissent, liberumque cuilibet esset, Romanorum Pontificum decreta, vel conciliorum canones iis in collectionibus relatas in dubium revocare, nisi certo constaret, eas cum authenticis convenire; hinc Innocentius Papa tertius, Petri Beneventani opera usus, decretalium suarum collectionem anno millesimo ducentesimo duodecimo, auctoritate sua conficiendam curavit, ac ad Bononiensem universitatem misit, suis munitam litteris, qua hæc habet. *Innocentius Episcopus &c. Universis magistris, & scholaribus Bononiæ commorantibus &c. Devotioni vestræ insinuatione præsentium innotescat Decretales epistolas a dilecto filio magistro Subdiacono, & Notario nostro compilatas fideliter, & sub competentibus titulis collocatas in nostris usque ad duodecimum annum contineri registris quas ad cautelam vobis sub bulla nostra duximus transmittendas, ut eisdem absque dubitationis scrupulo uti possitis cum*

JESU CHR. AN. 1151.

Bartoli Instit. juris Canon. cap. 60. p. 535.

Bartoli Instit. juris Canon. cap. 16. & cap. 46. ad 48.

JESU CHR. AN. 1151. *opus fuerit, tam in judiciis, quam in scholis &c.* atque hæc prima juris canonici collectio est, quæ publicam obtinuit auctoritatem, post annum vero 1217. quo Lateranense concilium generale idem Innocentius tertius celebravit, alteram collectionem edidit, qua & suas decretales post primam collectionem vulgatas, & Lateranensis concilii canones addidit, eamdemque auctoritatem, ac alteram, huic quoque haberi jussit. Innocentii tertii exemplum secutus est Honorius tertius ejusdem successor, ac constitutiones suas in unum collectas Bononiam ad Tancredum misit, hæc inter plurima rescribens. *Honorius Episcopus servus &c. Dilecto filio magistro Tancredo Bononiensi Archidiacono salutem &c.* ac novis quæstionibus semper emergentibus, quasdam se decretales epistolas vulgasse narrat; *Quas compilari fecimus, & tibi sub bulla nostra duximus destinandas, quocirca discretioni tuæ hæc per Apostolica scripta mandamus, quatenus eis solemniter publicatis, absque ullo scrupulo dubitationis utaris, & ab aliis recipi facias, tam in judiciis, quam in scholis*, novam tandem decretalium, canonumque conciliorum collectionem Gregorius nonus Honorii successor anno 1234, opera, & industria S. Raimundi de Pennafort vulgavit; eaque tantum tam in judiciis, quam in scholis, quoslibet imposterum uti jussit, quæ sane ad nostra usque tempora, multis quidem aucta perseverat; ita ut quamplurimæ præcedentium Pontificum decretales epistolæ, quæ ibidem insertæ nequaquam fuerunt, legis vim, & auctoritatem non habeant, nonnullæ e contra quæ hactenus in canonum collectionibus insertæ non fuerant, in Gregorianam translatæ, vim, & auctoritatem promeruerunt, antiquis vero decretalibus suas Gregorius addidit, plurimasque etiam ex jure civili Romano, ad lites componendas aptas inseruit, ac quinque libris distinxit, superiorum collectionum titulos præfigens, auctoresque earum ex veteribus collectionibus Rajmundus referens, unde venia ei danda est, si veteres collectores secutus, & ipse aliquando erraverit, ita ut si quædam non eum, quem præferunt auctorem habeant, vel privati etiam auctoris sententiæ occurrant, vim nihilhominis legis inserta ibidem habent, cum Gregorius, Justiniani vestigia secutus, *omnia merito nostra facimus, quia & nobis, omnis eis impartitur auctoritas.* Gregorianam autem collectionem auxit Bonifacius octavus an-

anno 1298., ac sextum decretalium librum vulgavit, quo Pontificum post Gregorium decretales, suasque plurimas inseruit; eamdemque auctoritatem huic sexto libro adtribuit, ac illustrioribus per orbem Academiis misit, Bononiensi scilicet, Parisiensi, Aurelianensi, & Patavinæ. Huic altera seculi decimitertii initio seu anno 1317. addita est, cui Clementinæ nomen inditum est, eo quod eam Clemens quintus digesserat, sed morte præventus vulgare nequiverat, quam ideo sub ejus nomine Joannes 22. Clementis successor, in lucem prodidit, eique ex suis constitutionibus viginti addidit, extravagantes dictæ, eo qood extra decretalium libros adjunctæ fuerant; Has sequuntur extravagantes communes aliorum Rom. Pontificum usque ad Sixtum quartum anno 1471. in Romanum Pontificem ordinatum in quinque libros distributæ; Libro tandem septimo decretalium totum juris Canonici corpus concluditur, cui digerendo Gregorius 13., & Sixtus quintus operam dederant, Clemens vero octavus eruditorum virorum opera, in lucem edidit, atque his de juris canonici ecclesiæ Occidentalis origine & progressu, adnotatis, de Orientalis ecclesiæ jure canonico, vel collectionibus canonum multa quidem dicenda forent, quæ in compendium etiam redacta, longiorem tractatum exigerent; quare ad eruditum Assemanum, qui quinque voluminibus hæc illustravit, lectorem ablegamus: nunc tandem in viam, & ad historiam redimus.

Petrus Lombardus libros sententiarum vulgat.

8. Quem in jure canonico principatum ex decretalium libro sibi Gratianus promeruerat, eumdem in theologicis disciplinis eodem fere tempore Petrus Lombardus adeptus est ob libros sententiarum vulgatos, qui utpote in Novariensi urbe, vel agro genitus, Lombardi nomen obtinuit, sententiarum etiam magister dictus; qui cum in sacris litteris a primœva ætate eruditus esset, in Gallias hoc tempore transiit, ab Lucensi Episcopo S. Bernardo Clarævallensi Abbati commendatus, cujus opera, Rhemis primum, deinde Parisiis theologiam docuit, eo successu, hominumque plausu, ut Parisiensis deinde Episcopus, etsi alienigena, a Ludovico Francorum Rege electus fuerit, cum Frater ejus Philippus Parisiensis Archidiaconus, cui primum is locus oblatus fuerat, cumque is eam dignitatem recusasset vel etiam Lombardo, utpote digniori cessisset, Parisiensem eclesiam usque ad annum 1160. quo obiit, administravit; Sententiarum autem liber ideo

Jesu Chr. An. 1151.

dictus est, eo quod singulis theologiæ quæstionibus, Sacræ scripturæ. & Ss. Patrum sententiæ adiectæ fuissent, quod jam ante Lombardum ab Ugone a S. Victore, ab Abejlardo, Roberto Pullo, aliisque factum fuerat; at qui Lombardum præcesserant, utpote Aristotelicæ philosophiæ sectatores, una cum sacræ scripturæ, vel Ss: Patrum auctoritatibus, argumentis ex Aristotelis Philosophia passim petitis, quæstiones solvere conati sunt, plurimasque etiam subtiles ut plurimum ac inanes excitarunt, unde in errores, de divinis attributis disputantes prolapsi sunt, *Scrutator quippe Majestatis* divinæ, ut ait Sapiens, *opprimetur ab ea*, ut Joanni Erigenæ seu Schoto, Roscelino, Abailardo, Gilberto Porretano, aliisque acciderat. Lombardus autem cautior factus in theologicis quæstionibus pertractandis sacræ scripturæ, & Ss Patrum auctoritatibus rem pene conficere conatus est, parcius philosophicis argumentis usus, qua etiam adhibita cautione omnem adversariorum invidiam effugere potuit, ac cum in publicum opus ejus prodiit, adversus eum libellum scripsit Joachinus Floriensis Abbas, quasi in dogmate de Sanctissima Trinitate, quædam catholicæ fidei minus consona, & de Jesu Christo docuisset: & sane Alexander tertius ad Villelmum Senonensem Episcopum anno 1179. litteras dedit, eidem præcipiens, ut convocatis provinciæ suæ Episcopis, in Lombardi doctrinam, de Jesu Christo hominem facto diligenter inquireret, erroresque damnaret; Eam tamen in scholis auctoritatem adeptus est, ut longo temporis tractu, quotquot in scholis theologiam docuerunt, ejusdem sententiarum libros exponere, ac additis commentariis explicare contenti fuerint: hinc ea scriptorum copia prodiit, usque ad Estium, & Silvium, qui sententiarum libros commentariis illustrarunt, quibus omnibus sane quammaxime præstitit divus Thomas. Quid sententiarum Lombardi libri contineant, quotque in iis quæstiones agitatæ sint plurimi exposuere, ad quos amandamus lectores.

Sapient. cap.

9. Inter celebriores hujus ætatis monachos, & Abbates Vibaldus Stapulensis merito recensetur, cujus quatercentum circiter adhuc extant epistolæ variis de argumentis ad eum datæ, vel acceptæ ab Martenio, & Durando in maxima monumentorum collectione relatæ: inter eas duæ leguntur Manuelis CP Imperatoris, quibus ejus pietatem im-

Manuelis CP Imper. epist. ad Vibaldum Abbatem. *Marteni, & Duran. collect. monument. to. 2.*

pen-

pense laudat, quem etiam prætiosissimum Abbatem, & florentem virtutibus dicit, iisque de bello adversus Siciliæ Regem agendo, ac de connubio inter Emmanuelem, & Irenem ineundo agit, ejusque favorem apud Corradum Imp. implorat. Vibaldus vero his acceptis se suosque monachos continuas pro eo ad Deum preces fundere testatur *Hortamur etiam*, addit, *& continuis monitis suggerimus, & præcelsus & gloriosissimus Imp. noster amicitiam & societatem vestram fideliter, & firmiter conservet, & omnia vestræ majestati promissa sine ulla diminutione compleat &c.*. JESU CHR. AN. 1151.

10. Hoc anno Nicolaus, *Musalo* dictus, CP Episcopus qui anno 1147. Cosmæ Attico inde ejecto, successit, loco cedere coactus fuit; *Omnium*, quippe *ora in eum commota sunt, injuste occupatum ab illo thronum clamantium, utpote qui cum ecclesia, quam nactus fuerat, Sacerdotium quoque deposuisset*; seu ex altera ecclesia translatus esset; Quare sibi male rem cessuram prævidens, *abdicata dignitate ad vitam privatam rediit*; *Theodatus ei sufficitur, vir monasticis disciplinis apprime instructus*, ait Cinnamus lib. 2. num. 18. Hujus Nicolaj meminit etiam Balsamon in epistola canonica Basilii ad Amphilochium cap. 69. & in catalogo Episcoporum Bizantii, ac *annos tres menses quatuor* in Patriarchatu exegisse addit, ab anno scilicet 1147. ad labentem; Hunc Nicolaum tertium dictum, alterumque quartum, Baronio ignotos, ac prætermissos fuisse ait Pagius, Nicolai tamen Muzalonis CP Episcopi Baronius, etsi loco non suo, verba facit ad annum 1117. num. 16. ut ibidem videre est.

Nicolao CP Patriarchæ Theodatus succedit.

not. 15. an. 1151. & not. 20 an. 1153.

JESU CHRISTI AN. 1152. EUGENII PAPÆ III. AN. 8.
MANUELIS COMNENI IMP. AN. 10.

1. Cum biennio & ultra ob Romanorum tumultus ab urbe exulasset Eugenius Papa tertius, ac Campania vicinisque regionibus commorans, Terracinam, aliaque oppida, ut anno proximo diximus, recuperasset, pace tandem cum Romanis composita in urbem rediit; *Eugenius Papa cum Romanis pace facta urbem ingreditur, ibique cum eis hoc anno primitus commoratur*, ait Robertus de Monte, cui ceteri chronologi consentiunt, *Octavo autem idus Septemb. Eugenius Papa reversus est Romam*, scribit auctor chronici Fossæ novæ; contra Cassinensis chronici scriptor *quinto idus Octobris*, ait *Eugenius Papa cum Romanis paciscens Romam reversus est*, ibi-

Eugenius Papa pace composita in urbem redit.

Robertus de Monte in append. ad Sigebertum a.

JESU CHR. AN. 1152. Murat. rer. Ital. tom. 7. pag. 871. to. 5. p. 142. Murat. tom. 7 p. 193.

ibique a populo Rom., ac Senatoribus cum summo honore exceptus, ait Romualdus Salernitanus in chronico, ac subdit. *Hic autem adeo universum populum sibi beneficiis, & eleemosinis alligavit, quod bene pro majori parte urbem poterat pro sua voluntate disponere; & nisi esset mors aemula quae illum cito de medio rapuit, Senatores noviter procreatos populi adminiculo, usurpata dignitate privasset &c.* Librum quartum de consideratione ad Eugenium hoc tempore mittens S. Bernardus, ut de Romanis meliora speraret, hortatus est, ac reditum ejus in urbem quodammodo praedixit. *Quid de populo loquar?* ait, *populus Romanus est, nec brevius potui, nec expressius tamen aperire de tuis paroecianis quid sentio. Quid tam notum saeculis quam protervia & fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta, gens immitis, & intractabilis, & usque adhuc subdi nescia, nisi cum non valet resistere. En plaga! tibi incumbit cura haec, dissimulare non licet. Rides me, forsitan fore incurabilem persuasus. Noli diffidere, curam exigeris, non curationem.* Et inferius: *Scio induratum cor populi hujus; sed potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae. Quis scit, si revertatur & ignoscat, & convertat & sanet eos?*

S. Bernardus lib. 4. de consid. ad Eugenium mittit.

S. Bernardi censura in Rom. populum.

2. Hunc librum, quarto ab Remensi concilio anno se scripsisse testatur, ac canones in illo editos impune violari condolet; *Jam quartus est annus*, ait, *ex quo datum mandatum audivimus, & neminem adhuc clericorum privatum beneficio, neminem Episcoporum suspensum ab officio luximus*; ac multa ab eo corrigenda deplorat, quae vix medelam admitterent; Inter alia frequentes legationes, unde post aliqua. *Vestri qui terram Austri tam saepe visitant, ecce hi sciunt, & possunt dicere tibi. Eunt, & redeunt per medium illorum, aut transeunt secus, sed quid boni adhuc cum illis egerint nec dum audivimus, & forsitan audissemus, nisi pro auro Hispaniae salus populi viluisset*, dum quilibet quae sua sunt, non Jesu Christi quaereret: frequentes etiam captiosasque appellationes deplorat, ac conciliorum sine fructu, & ecclesiasticae disciplinae reformatione frequentiam, uti ibidem videre est.

Corradi Regis obitus.

3. Ut Imperii coronam ab Eugenio acciperet, bellumque Rogerio Siciliae Regi inferret, ad id etiam ab Manuele Imperatore excitatus, in Italiam transire Corradus destinaverat, & habito cum Germaniae Episcopis, & Principibus conventu

tu Herbipoli, ac Bambergæ, *Omnes cum magna voluntatis hilaritate, fide data, & juramento præstito promiserunt, quod ad eamdem expeditionem cum omni virtute, & potentia militiæ venient, et prosequentur etc.* at dum in Italiam transiturus esset, repentino morbo, non sine veneni suspicione ab medicis propinati, duodecimo Kal. Martius obiit; Unde Sygebertus ad hunc annum *Conradus Teutonicorum Rex obiit, qui cum annos quindecim regnaverit, benedictionem tamen Imperialem*, seu coronam, *non habuit, cui Fridericus Dux nepos ejus succedit*. Cujus epitaphium ex Viennensis ecclesiæ monumentis refert Baronius, at *fallor*, ait Mabillonius, si *illud epitaphium quod Viennæ habetur Corrado Burgundiæ Suranæ Regi, qui anno 993. obiit tribuendum non sit*, & sane *Bambergæ Regum more funebria explentur, ac sepelitur*, ait auctor appendicis ad Lambertum de Corrado agens: Otto etiam Frisingensis de ejus obitu, & sepultura loquens *in Ecclesia Bambergensi*, ait, *juxta tumbam Imperatoris Henrici ejus loci fundatoris, qui nuper auctoritate Rom. ecclesiæ in loca sancta levatus pro sancto habetur, regio cultu eum sepelivit &c.*

JESU CHR. AN. 1152. *Otto Frising. de gestis Friderici lib. 1. cap. 63.*

4. De Henrici Imp. elevatione, seu canonizatione, quæ nuper auctoritate Rom. ecclesiæ facta fuerat, ut ait Otto, Eugenii Papæ tertii extat diploma, seu litteræ Egilberto Episcopo, & dilectis filiis Canonicis Bambergensis Ecclesiæ datæ, quibus narrat se duobus legatis suis Cardinalibus Jordano scilicet, & Octaviano ad Corradum missis præcepisse, ut ad Bambergensem ecclesiam transirent, *atque de vita & miraculis Henrici Regis rei veritatem diligenter inquirerent, & litteris suis sibi significarent*, acceptaque ab iis relatione de præclaris ejusdem gestis, & miraculis, & quod in Imperio elevatus spiritualiter vixisset, & in legitimo connubio integritatem castimoniæ custodiisset; his attente consideratis, cum præsentibus Archiepiscopis, & Episcopis communicato consilio; *memoriam ejus inter sanctos de cetero fieri censemus, & anniversariam ipsius diem solemniter celebrari constituimus &c. data trans Tiberim secundo idus Martii &c.* cumque diei, aut anni nota desit, primo Pontificatus anno, seu 1145. datam fuisse scribunt Bollandistæ, quod tamen incertum est.

Henricus Imperat. inter Sanctos ab Eugenio Papa relatus.

Apud Fontanini Codex Canoniz. p. 14.

Bolland. act. Sanct. tom. 3. Julii p. 715.

5. Corradus interea morbo tactus, cum se moriturum cognovit, de successore cum Imperii Principibus egit, iisque per-

Fridericus Corrado succedit.

JESU CHR. AN. 1152. Otto Frising. de gestis Frider. lib. 2. cap. 1. 2. 3.

persuasit, ut Fridericum Æneobardum, seu Barbarossam; ob rufam barbam, virum industrium, & ad Imperium recte administrandum aptum, filio suo Friderico etiam dicto, sed impuberi, & ad Rempublicam regendam impari posthabito, eligerent, quare eo, ut diximus defuncto, Imperii Proceres, seu Germaniæ Francoforti congregati, *Cunctorum favore in Regnum* Fridericus *sublimatur*, ait Otto, ac inde quinta feria excedens, per Mosam, & Rhenum navigans, Aquisgranam venit, *& sequenti die, idest ea dominica, quæ Lætare Hierusalem canitur ab Episcopis a Palatio in ecclesiam B. Mariæ semper Virginis deductus, cum omnium, qui aderant applausu ab Arnoldo Archiepiscopo Coloniensi, aliis cooperantibus, coronatus &c.* ait auctor. In qua electione id etiam adnotandum est, non septem tantum Imperii electores convenisse, quod ab Gregorio quinto statutum jam fuisse nonnulli tradiderunt, sed quamplurimos ex tota Germania, quinimmo & aliquot etiam ex Italia convenisse scimus. Unde Frisingensis his præsens, & ex Principibus unus, & Friderici consobrinus, de ejus electione agens, adnotat; *In oppido Francofort de tam immensa transalpini Regni latitudine, universum (mirum dictu) Principum robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus tamquam in unum corpus coadunari potuit*, Amandus etiam Friderici secretarius, ad ejusdem electionem, *Multi illustres Heroes ex Lombardia, Thuscia, Jannensi, & aliis Italiæ dominiis convenerunt in urbe Francofordiensi &c.*

Fridericus Rex coronatur.

Murat. antiq. Italicæ dissert. 3.

lib. 2. cap. 1. Murat. to. 6.

Guelphorum gens Gibellinis unita.

Otto lib. 2. 2.

6. Cur vero hunc Fridericum Corradi defuncti filio prætermisso, in Regem Germaniæ elegerint viri Principes, hanc præcipue rationem affert Otto Frisingensis, quod *Cum duæ essent famosæ familiæ, una Henricorum de Guebelinga*, unde Gibelini dicebantur, *alia Guelforum de Alidorsio* unde Guelfi, *altera Imperatores, altera magnos Duces producere solita; istæ ut inter viros magnos gloriæque avidos assolet fieri, frequenter sese invicem æmulantes, Reipublicæ quietem multoties perturbarant. Nutu vero Dei, ut creditur, paci populi sui in posterum providentis, sub Henrico quinto factum est, ut Fridericus Dux pater hujus, qui de altera, idest, de Regum familia descenderat, de altera Henrici scilicet Noricorum Ducis filiam in uxorem acciperet, ex eaque Fridericum, qui in præsentiarum est, & regnat, generaret. Principes ergo non solum industriam, ac virtutem jam sæpe dicti ju-*

juvenis, sed etiam hoc quod utriusque sanguinis consors, tanquam angularis lapis, utrorumque horum parietum dissidentiam unire posset, considerantes caput regni eum constituere adjudicaverunt: plurimum Reip. profuturum praecogitantes, si tam gravis, & diutina inter maximos Imperii viros, ob privatum emolumentum simultas, hac demum occasione, Deo cooperante, sopiretur. Ita non Regis Conradi zelo, sed universitatis (ut dictum est) boni intuitu, hunc Fridericum, ejus filio item Friderico adhuc parvulo praeponere maluerunt, ait is auctor, atque ex his, Gualphensium & Gibelinensium nominum origo, quae plurimis obscura, ut vel fabulis immixta, derivata est, eademque sequentibus seculis ex cineribus excitata, magnos in Italia diuturnosque tumultus peperit.

JESU CHR. AN. 1152.

7. *Peractis omnibus quae ad coronae decorem spectant*, subdit Otto, consilioque de statu Reipublicae cum Principibus habito, *Legatos ad Rom. Pontificem Eugenium, in urbem, & totam Italiam destinandos disponit, de promotione sua in Regnum significaturos. Mittuntur itaque Hilinus Trevirensis electus, & Eberardus Bambergensis &c.* in sua ad Eugenium epistola inter Vibaldianas edita, omnem quandiu viveret reverentiam obsequiumque Pontifici promittit; *Vobis tamquam patri carissimo constanter promittimus, quod sicut eidem glorioso quondam Regi, in Regni solio successimus, ita hereditariam dilectionem, tam ad vestram personam omnino specialem, quam ad sacrosanctae matris Rom. ecclesiae promptissimam ac devotissimam defensionem suscepimus, hac scilicet ordinis ratione, ut quaecumque ad liberationem, & honorationem Apostolicae sedis intenderat & ordinaverat, nos constanter perficere studeamus, ita ut juxta felicem ad sanctum virum Domini promissionem inimicis vestris inimici simus, & odientes vos affligamus &c.* ac ut Adamum Everacensem Abbatem ex legatis suis alterum, cito remitteret, utpote in rebus divinis & humanis sibi necessarium, rogat; utinam promissis stetisset, non enim post Adriani quarti Pontificis obitum, funesto schismate ecclesiam adeo vexasset.

Fridericus legatos suos ad Eugenium Papam mittit.

Frider. epist. ad Eugenium inter. Vibald. n. 345. Martene to. 2. collect. Monum.

8. Extatque adhuc inita concordia inter Eugenii Papae, & Friderici legatos, quam ex Cencio Camerario integram annalibus suis inseruit Baronius hoc anno, ubi post praefationem de unione & concordia inter Sacerdotium, & Imperium servanda, haec sunt. *Haec est concordiae forma & conven-*

Concordia inter Eugenium Papam & Frider. Regem inita.

JESU CHR. AN. 1152. *tionis intec dominum Papam Eugenium, & dominum Fridericum Romanorum Imperatorem constituta, mediantibus Gregorio sanctæ Praxedis, Rolando Sancti Marci, Gregorio Sancti Angeli, Guidone sanctæ Mariæ in Porticu, & Brunone Abbate de Claravalle ex parte domini Papæ: Anselmo vero Avelbergensi, Hermanno Constantiensi Episcopis, Odelrico de Zemburcb, Guidone Guerra, & Guidone Baldratensi Comitibus ex parte domini Regis. Dominus siquidem Rex unum de majoribus ministerialibus regni fecit in anima Regis jurare, & ipse propria manu data fide in manu Legati domini Papæ promisit, quod ipse nec treguam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum Rogerio Rege Siciliæ, sine libero consensu & voluntate Romanorum, & domini Papæ Eugenii, vel successorum suorum, qui subscriptæ concordiæ cum eodem Rege Friderico tenere voluerunt, & pro viribus laborabit Romanos subjugare domino Papæ, sicut melius unquam fuerunt a centum retro annis. Honorem Papatus & regalia B. Petri, sicut devotus & spiritualis advocatus S. R. E. contra omnes homines pro posse suo servabit & defendet: quæ non habet, recuperare pro posse juvabit, recuperata defendet. Græcorum quoque Regi nullam terram ex ista parte maris concedet. Quod si forte ille invaserit, pro viribus regni, quanto citius poterit, ipsum eijcere curabit. Hæc omnia ex utraque parte sine fraude & malitia servabuntur, nisi forte libero & communi consensu utriusque immutentur*, ac subscriptorum testium nomina leguntur; Omnium primus ex parte Friderici subscripsit Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus, quatuor deinde Episcopi, Abbates vero quatuor, quorum primus Vibaldus stabulensis, deinde magister Henricus notarius, Gotifredus Viterbiensis Capellanus Regis; Ex laicis quoque Principes nonnulli subscripserunt, ac primus Velpho Dux deinde ceteri, datum *Constantiæ* dicitur, decimo Kal. Aprilis Indict. 15. Anno Domin: Incar. 1152.

Guicmannus ex Cicensi sede in Magdeburg. transfertur.

9. Interea cum Magdeburgensis sedes vacaret, *Alii ejusdem ecclesiæ Præpositum Gerardum, alii Decanum elegerunt, divisis hinc inde personis, Regem Fridericum adhuc in Saxonia morantem adire disponunt. Quos dum multis modis ad unitatem & vinculum pacis Princeps reducere satageret, ac proficere non valeret, alteri parti, idest, Decano cum suis persuasit, ut Guicmannum Cicensem Episcopum virum adhuc ja-*

juvenem sed nobilem eligerent: eoque accersito regalia ejusdem ecclesiæ concessit, atque id Friderico licitum fuisse, ex pactis sub Henrico quinto cum Rom. Pontifice adnotat Otto, at rem graviter Eugenius tulit, inusitatam quippe, absque Apostolicæ sedis dispensatione ex una in alteram Episcopalem sedem cujulibet translationem.

JESU CHR. AN. 1152. *Otto lib. 2 6.*

10. Ea de causa Gerardus Magdeburgensis ecclesiæ præpositus ab cleri parte electus *Romam pergens, Eugenium Papam adiit, Guicmannum multis modis de intrusione accusavit. Hanc rem quam gravissime Rom. Pontifex acceperit, ex litteris in quibus nonnullis Episcopis, qui pro eo ob amorem Regis Romanæ ecclesiæ scripserant respondit, quam ex Cardinalium, qui postmodum ad transalpina directi sunt, viva voce percepimus*; ait Otto, atque his Eugenii litteras subdit, *Eberardo Salisburgensi Artnico Bremensi, & Hillino Trevirensi Archiepiscopis, Eberardo Bambergensi, Hermanno Constantiensi, Henrico Ratisbonensi, Ottoni Frisingensi, Conrado Pataviensi, Danieli Pragensi, Anselmo Hamelburgensi, & Burchardo Eichstadensi Episcopis salutem & Apostolicam benedictionem. Literas, quas pro causa Magdeburgensis Ecclesiæ vestra nobis prudentia delegavit, debita benignitate suscepimus. In lectione autem & cognitione earum stupore nimio & admiratione repleti sumus, eo quod longe alind in eis, quam vobis ex officio pontificatus immineat, perspeximus contineri*, iisque exprobrat, quod Principi adulantes consensum suum hujuscemodi translationi præbuissent; *Cum enim*, subdit Eugenius, *translationes Episcoporum sine manifestæ utilitatis, & necessitatis judicio divinæ legis oraculum non permittat, cum etiam multo amplior, quam in aliis electionibus Cleri & populi eas debeat prævenire concordia; in facienda translatione de venerabili fratre nostro Guicmanno Citensi Episcopo, nihil horum est, sed solus favor Principis expectatur: & non inspecta necessitate illius ecclesiæ, nec considerata utilitate personæ, Clero volente, immo (ut dicitur) ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensi eum dicitis ecclesia supplantandum. Super quo tanto amplius admiramur, quanto persona illa, cujus gravitatis sit, atque scientiæ ab anteactis agnovimus, ac proinde quantum ecclesiæ illi sit utilis, non penitus ignoramus &c.* atque his, aliisque prænotatis. *Per præsentia vobis scripta mandamus*, ait, *quatenus*

Eugenii Papæ epist. de illicita Magdeburg. Episc. translatione.

JESU CHR. AN. 1152. *causæ isti favorem ulterius non præstetis, & apud charissimum filium nostrum Fridericum, quem Deus hoc tempore pro servanda libertate Ecclesiæ in eminentiam regni evexit, efficere vestris exhortationibus studeatis, ut & ipse a sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, contra sacros canones, contra regiæ dignitatis officium, eidem causæ favorem suum ulterius non impendat, sed ecclesiæ Magedburgensi, sicut & aliis ecclesiis regni a Deo sibi commissi, liberam facultatem, quem voluerint secundum Deum eligendi relinquat, & electionem ipsam postmodum favore suo (sicut decet majestatem regiam) prosequatur. Nos enim si, quod de supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obviandum; contra Deum autem, & sacrorum canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum. Datum Signiæ decimosexto Kalendas Septembris.* Ista Eugenius, qui & anno sequenti duos a latere Legatos in Germaniam misit ad depositionem quorumdam Episcoporum, ut idem Otto narrat, at de ea legatione anno sequenti.

Concilium Bultiniacense de causa divortii Lodovici Franc. Regis cum Eleonora. *concil. 10. p. 1139.*

11. Hoc anno in Galliis Bultiniacense concilium celebratum est, in quo causa divortii inter Ludovicum septimum Francorum Regem, & Eleonoram Aquitaniæ Ducis filiam, quam eidem pater, anno 1137. desponderat, ex eaque duas filias susceperat finita est, ac ut ambo ad alia connubia transirent, concessum est, ut auctor vitæ Ludovici septimi, Sugerius S. Dionysii Abbas, a Baronio, Labbeo, aliisque dictus, fusiori stylo narrat. Pagius tamen, & Mabillonius, aliique alium omnino ab Sugerio Abbate distinctum fuisse probant, quisquis vero tandem is auctor fuerit, hæc narrat. *Interea aliqui venerunt ad Regem de cognatione sua progeniti, qui ortum & derivationem parentelæ suæ noverant, & dixerunt (sicut & verum erat) quod inter se, & Alienordem uxorem suam erat consanguinitatis affinitas talis, quod inter eos de jure lex matrimonialis non poterat convenire: & inde per juramentum probationem legitimam offerebant. Quibus Rex sic respondit: Quod contra Deum, & contra legem Ecclesiæ eam nolebat habere, volens per omnia statuta Ecclesiæ, & legem matrimonii inviolabiliter observare. Et ut istius rei veritas posset veracius indagari, die Martis ante festum Paschatis Floridi in castro Baugenciaci Hugonem Archiepiscopum Rothomagen-*

Pag. not. 5. ann. 1151. Mabill. ibid. num. 142. pag. 495.

gensem ..... & quartum Lanfredum Burdigalensem cum pluribus suis Coepiscopis, & Baronibus Franciæ fecit solemniter convenire. Ante quorum præsentiam steterunt illi, qui genus inter Regem, & Reginam se probaturos obtulerant, qui etiam ejusdem generis erant parentes, & cognati, & per juramentum suum dixerunt, quod Rex, & Regina se cognatione contingebant, & quod secundum Deum, & legem conjugalem debebat inter eos divortium celebrari. Quo sufficienter probato in præsentia Prælatorum fuit inter eos per consensum partium matrimonium dissolutum: his subdit Eleonoram Henrico Regi Angliæ nupsisse, cui ex his nuptiis cum magno Galliæ detrimento, Aquitaniæ Ducatus provenit; unde inter utramque nationem temporis tractu magna exinde bella exorta sunt; Ludovicus vero Eleonora repudiata, Constantiam Hispaniæ Regis filiam biennio post duxit, seu anno 1154. ut narrat Pagius.

JESU CHR. AN. 1152.

Pag. not. 18. ann. 1154.

12. Hoc quoque anno concilium in Hibernia ad ecclesiasticam disciplinam restituendam a Paparone Eugenii Papæ legato celebratum est, cui una cum Episcopis, & Abbatibus, Duces quoque, proceresque adfuerunt, ut canones legesque vulgatæ reciperent, ac exequerentur, de gestis autem ibidem hæc auctor anonimus, & cœvus. *Joannes Paparo Card. ab Eugenio tertio Pontifice Rom. missus cum Christiano Episcopo Lismoriensi* (hic Cisterciensis fuit) *totius Hiberniæ Legato, in Hiberniam venit. Idem Christianus in Melli sive Mellifontis monasterio Cisterciensi, Concilium celebravit, cui interfuerunt Episcopi, Abbates, Reges, Duces, & majores natu Hiberniæ: quorum consensu Archiepiscopatus constituti sunt quatuor, Armachanus, Dublinensis, Caseliensis, Tuamensis: quibus præfuerunt eo tempore Gelasius, Gregorius, Donatus, Edanus*. Plura de eorum Metropolitanorum institutione Manricus hoc anno cap. v.

Concilium Hibernicum ab Paparone Card. Eugenii legato celebratum.

Labb. to. 10. p. 1130. Vilkins concil. Britann. tom. 1. pag.

13. Hoc anno Potho Presbyter, & monachus Pruniensis monasterii in agro Trevirensi libros quinque de domo Dei in bibliothecam Patrum inlatos vulgavit, ut ex ipsius autographo his refert Alexander Brassicanus, his verbis. *Hoc anno, quo mortuus est Rex Conradus, hoc est millesimo centesimo quinquagesimosecundo, ego Frater Potho indignus presbyter Prumiensium ad contemplandum decorem domus Dei mentis oculos attentius sublevans, quantum in ipsum intellectum per-*

Potho Presbyter libros de Domo Dei Eugenio inscribit.

JESU CHR. AN. 1152. *perspicere mihi datum fuit, secundum exemplar cœlestium, præsens opusculum scribere aggressus sum*. Quid autem per domum Dei intellexerit, ipse ejusdem operis exordio ita declarat: *Domus Dei, quæ in terris construitur, ad similitudinem cœlestis babitationis quæ est æterna, construitur. Hæc nimirum domus Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, quæ in unitate indivisa firmatur, quæ una columba, una perfecta, Deo unice dilecta, Scriptura teste declaratur. In tota hac Domo solus beatus Petrus cum suis successoribus plenitudinem potestatis accepit. Unde quicunque in partem sollicitudinis vocati sunt, ut ea quæ in partem gerenda susceperunt, provida dispensatione gubernent: ejus auctoritate roborandi, ejus exemplo informandi sunt, qui in plenitudine potestatis toti Ecclesiæ præesse dignoscitur &c.* Contra schismaticos, quibus præsens seculum abundavit, ab auctore opus esse elucubratum apparet: quod quidem tunc aggressus est opus, cum Fridericus regnare cœpit, plane Dei consilio factum videtur, ut una cum veneno & antidotum pararetur.

Theobaldi Comitis obitus.

II. Theobaldi Campaniæ, & Blesarum Comitis obitum anno proximo 1151. passim auctores referunt, ad labentem tamen figendum esse nos admonet Pagius, ac conjecturis confirmat, quem sane virum pietate insignem, multisque laudibus dignum fuisse auctores coævi testantur, Robertus a Monte, aliique plurimi a Labbeo in bibliotheca, & Pagio indicati: ex pluribus Robertus præ ceteris audiatur, qui virtutes ejus, & familiam his verbis describit. *Anno 1151. Obiit venerabilis Comes Theobaldus Blesensis, nepos Henrici Regis*, Angliæ scilicet, *& frater Stephani Anglorum Regis, Princeps magnæ sanctitatis, & integritatis in pauperes, huic successerunt tres filii sui Henricus primogenitus ...... Theobaldus filius secundus . . Stephanus tertius filius*, ac hæreditatis partem cuilibet relictam describit, ut ibidem videre est; His addendus est Gulielmus Senonensis Archiepiscopus, postea Remensis, qui teste Alberico in chronico hoc anno obiit.

Pag. not. 14. 15.

JESU CHRISTI ANNUS 1153. ANASTASII IV. PAPÆ AN. 1. MANUELIS COMNENI IMP. AN. 11.

Eugenius legatos in Ger-

I. Cum graves adversus Henricum Moguntinum Archiepiscopum, tum apud Episcopos, cum apud Fridericum Germaniæ

maniæ Regem querelæ excitatæ essent, ad eas sopiendas vel componendas legatos in Germaniam Eugenius Papa misit Bernardum Presbyterum Cardinalem, & Gregorium Card. Diaconum, de quorum adventu & gestis, hæc adnotat Otto Frisingensis. *Rex in proximo Pascha Bamberg coronam gestans, duos Cardinales videlicet Bernardum presbyterum, & Gregorium diaconum ad depositionem quorundam Episcoporum ab Apostolica Sede destinatos secum habuit, proximam de hinc Pentecosten Wormatiæ ferians, Henricum Moguntinæ sedis Archiepiscopum, virum pro distractione ecclesiæ frequenter correptum, nec correctum, per eosdem Cardinales deposuit, ac Arnoldum Cancellarium suum per quorundam ex Clero & populo, qui illuc venerant, electionem ei subrogavit.* Dodechinus etiam in appendice ad Marianum ad hunc annum hæc adnotat. *Henricus Archiepiscopus Moguntinus in Pentecoste ex præcepto Eugenii Papæ depositus est, & Arnoldus Cancellarius electus est.* Pro Henrico quidem intercessor apud legatos S. Bernardus Abbas extiterat, hæc ad eos scribens. *Dominis, & patribus reverendis Apostolicæ sedis legatis puer sanctitatis eorum Bernardus Clarævallis vocatus Abbas &c. Etsi corpore remoti, sed affectu & bona voluntate vobis appropiavimus, optantes & orantes duci actus, & studia vestra ad omne quod decet & expedit. Inde est, quod audientes, miserandum illum Archiepiscopum Moguntinensem vocatum ad vestram præsentiam, ibique responsurum adversariis suis, ausi sumus vestram pro eo interpellare bonitatem. In hoc enim credimus honorificari ministerium vestrum, si (quatenus salva justitia licet) parieti inclinato & maceriæ depulsæ humeros vestræ auctoritatis supponitis, nec calamum quassatum conteri, nec lignum fumigans (quod in vobis est) extingui permittitis. Sentiat, obsecramus, sibi profuisse & precem nostram, & suam simplicitatem, ob quam fertur a falsis fratribus circumventus potius quam inventus in aliquo dignus depositionis.* Hæc sanctus Brnardus in ejusdem commendationem, seu excusationem.

Jesu Chr. an. 1153. [...]maniam mittit.

Otto Frising. chr. lib. 2. 9.

Bernardi epistol. 302.

12. At Corradus Episcopus, qui post annos centum Chronicon Moguntiacum scripsit, per proditorem Arnoldum, qui legatos Apostolicæ sedis pecunia corruperat, gesta hæc fuisse narrat, accusatus quippe apud Papam, quod *somnolentus, & inutilis haberetur*, ut se excusaret legatos ad Ponti-

Jure vel injuria Henricus depositus fuerit, in obscuro est.

ti-

Jesu Chr. An. 1153. tificem misit; quorum primus Arnoldus fuit ejus cancellarius ab eodem etiam præpositura S. Petri exornatus, vir *miri ingenii*, ait auctor, *& facundiæ atque congestor pecuniæ infinitæ*, qui Moguntiacam sedem ambiens, Cardinales pecunia sibi conciliavit, obtinuitque ab Eugenio, ut quos pecunia corruperat, legatos in Germaniam mitteret; *Veniunt ergo legati Vormatiam. Henricus Episcopus citatus comparet: nihil prætendere poterat pro se, quod admittere vellent judices sive Legati supradicti. Præsidentes autem judicio in loco, qui Neuhusen vocatur, Henricum laudabilem virum ab Episcopatu amovent Moguntinensi, Arnoldum substituunt. Dicebatur autem, quod Fridericus Imperator huic negotio assensum præbuerit, sed occultum. Venerabilis vir Henricus tam manifesta perversitate turbatus, ipsos perversos alloquitur in hunc modum: Si ad Sedem Apostolicam appellarem contra vestrum iniquum processum: Papa forsan ipse nihil amplius attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerum, & afflictio spiritus, & inviscieratio mentis, & evacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum Jesum Christum tanquam Judicem justissimum, vos cito ad ejus tribunal, ibi vobis coram summo Judice me responsurum exhibeo. Non enim juste, nec secundum Deum sed mercede corrupti, sicut placuit, judicastis. At illi: Cum tu præcesseris, nos sequemur. Hæc autem ridentes & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc anno gratiæ* 1153. post hæc Henricus in monasterium Cisterciensis ordinis abiit, ubi post annum fere & dimidium defunctus est, ait Corradus, vel Kal. Septemb. hujus anni, ut narrat Dodechinus, duos vero Cardinales Apostolicæ sedis legatos pecunia corruptos, ut injustam sententiam ferrent, mox pessimo exitu subsecutos fuisse adnotat Corradus, unus enim ventrem exgravans viscera quoque effudit, alter vero in rabiem versus seipsum mordens expiravit, atque post annos aliquot Arnoldus etiam Moguntiacæ sedis invasor debitas & ipse pœnas dedit, ut suo loco infra dicturi sumus; Hæc tamen Corradi narratio de injusta Henrici depositione, deque corruptis auro ab Arnoldo legatis Apostolicæ sedis, tota quanta est, falsitatis argui adnotat Baronius, cum præsertim cœvi scriptores hæc ignoraverint & præcipue Otto Frisingensis, qui totam Henrici causam paucis verbis exponit: constat etiam duos Cardinales legatos, quos paulo post Hen-

Henrici obitum pessimo fine interiisse narrat Corradus, longo post tempore supervixisse, aliasque legationes obiisse sub Hadriano Papa, quod etiam Radevicus in appendice ad Ottonem confirmat, dum inter Hadriani legatos Bernardum Cardinalem recenset, quare recentioris scriptoris Corradi historia de injusta Henrici depositione suspecta saltem & dubia redditur; Quod si quis scandalum patiatur, ait Baronius, quod tales habuerit Rom. ecclesia Cardinales, provoco eum ad Christi collegium duodecim Apostolorum, inter quos unus ex eis mercimonio triginta denariorum Christum prodidit, & sibi ipsi manus intulit, suspendio se suffocans medius crepuit, & diffusa sunt omnia viscera ejus.

JESU CHR. AN. 1153.

Murat. rer. Ital. tom. 6. Radevicus cap. 15.

3. Inter postrema Eugenii Papæ gesta, ejusdem bulla seu diploma extat, hoc anno vulgatum quarto idus Aprilis, quo quartam partem oblationum, quæ super altare, vel in capsa Apostolorum Principis fiebant, Canonicis ejusdem ecclesiæ attribuit, atque hoc se fecisse testatur, ut *Vos die ac nocte studiose in Dei laudibus desudantes, tam in Missarum celebratione, quam in Matutinis, & aliis Horis pro vivorum ac defunctorum salute attenta diligentia & honeste decantantes, prædictam B. Petri ecclesiam obsequio debito veneremini, & Dei Fideles Apostolorum Limina devotione debita visitantes, locum ipsum in majori devotione ac veneratione semper habeant &c.* Bernardo vero Presbytero Card. S. Clementis, & Archipresbytero S. Petri ceterisque ejusdem ecclesiæ canonicis diploma inscriptum est, ac post Eugenium Pontificem a Card. viginti sex subscriptum fuit, uti apud Baronium, vel in Bullario Vaticano tomo primo pag. 51. videre est.

Eugenii Papæ diploma pro Canonicis S. Petri.

4. Ingentem Eugenii tertii Papæ obitus luctum Rom. ecclesiæ attulit, octavo quippe Idus Julii Tibure mortuus est, uti narrat Ugo Cardinalis & Episcopus Ostiensis, Cistercensis antea monachus in epistola ad Gosvinum Cistercensem abbatem, *Pater noster*, ait, *ac defensor felicis memoriæ Papa Eugenius trabea carne exutus octavo idus Julii carne immaculatus transivit ad Christum, cujus exequiæ præter spem omnium (jam enim fere Senatum annichilaverat) præter morem consuetum ita per biduum sunt a clero & populo celebratæ, ut jam crederetis regnaturum in Cœlis, qui mortuus in terris colebatur.* Nonis autem Julii obiisse scribit Ceccanus in Chronico Fossæ novæ, in nocte scilicet inter diem octavam

Eugenii tertii Papæ obitus.

Inter Bernardi epist. n. 437.

Murat. rer. Ital. tom. 7.

Jesu Chr. an. 1153. vam nonarum Julii, & nonis objerit, seu inter diem septimam, & octavam Julii, postquam Romanam tenuisset sedem per annos octo, menses quatuor, dies quindecim circiter, ex Tiburi *per stratam publicam, & mediam urbem usque in Vaticanum cum totius fere cleri, & populi Rom. frequentissima turba maximo luctu, & communi atque immensa tristitia deportatus est, & in ipsa B. Petri ecclesia coram majori altari tumulatus*, ait in ejus vita Aragonensis Cardinalis, eademque habet Bernardus Guido, & alii, ejusque sepulcrum *Miraculis gloriosis illustratum fuisse* affirmat auctor chronici S. Petri vivi, qui hoc tempore floruit, & sane miraculis statim post obitum inclaruisse narrat quoque auctor anonymus & coævus, qui septem ad ejus tumulum miracula tunc edita memorat, eumdemque Beati simul titulo semper exornatum. Is auctor ab Chrysostomo Henriques in fasciculo, & ab Papebrochio in conatu chronico historico cum Eugenii vita editus est; eo vero tempore se vixisse in præfatione indicat, loquens enim de quodam Romano, *stabili* dicto, qui Eugenii tertii apparitione sanatus fuerat, subdit; *Cum jaceret in Choro nostro apparuit ei Dominus Eugenius*, ex quibus patet se præsentem fuisse. Breve ejusdem epithaphium Albericus refert his versibus

Murat. to. 3.

Hic habet Eugenius defunctus carne sepulchrum
Cui pia cum Christo vivere vita fuit.
Pisa virum genuit: quem Claravallis alumnum
Exhibuit, sacræ religionis opus

Hinc ad Anastasi translatus martyris ædem,
Ex Abbate Pater summus in urbe fuit.
Eripuit solemne jubar, Mundique decorem
Julius, octavam sole ferente diem.

Eugenius munera respuit.

5. Inter egregias Eugenii Papæ dotes, id laude præ ceteris dignum fuit, quod teste Bernardo, aliisque, ab muneribus manum semper retraxit; Unde Salisburiensis in Policratico: *Amplectendæ memoriæ, & imitandæ sanctitatis summus Pontifex Eugenius, quem vidisti, nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat: aut cui litem crederet imminere. Unde cum in adventu suo Prior quidem modicæ fa-*

lib. 5. cap. 15.

facultatis, cujus causam nondum audierat, ei marcham auri devotione multa instanter efferret. Nondum, inquit, domum ingressus es, & jam vis corrumpere dominum? Corruptionem namque vir sanctus esse dicebat, quod offerebatur judici lite pendente. Hæc de Eugenio Salisburiensis, eamdem porro a muneribus abstinentiam a suæ Curiæ administris servari jussit, ut inscriptio Terracinæ in turri posita, & a Baronio relata testatur, in qua præterea proditum est eam urbem ab ipso Romanæ ecclesiæ patrimonio restitutam fuisse. Jesu Chr. An. 1153.

6. Eugenio defuncto post dies duos, vel tres Anastasius quartus *natione Romanus de regione Suburra, patre Benedicto*, Conradus etiam dictus, & Sabinensis Episcopus, communi totius cleri voto, populique plausu electus, & Rom. Pontifex ordinatus fuit, uti passim vitæ eius auctores referunt, Guido, Aragonius, aliique. Post Platinam, & Trithemium monachum vel ordinis S. Benedicti, vel S. Rufi Veliternæ Diœcesis in Gallia Abbatem fuisse, quamplurimi scriptores dixerunt; eum tamen Pagius Canonicum regularem potius fuisse demonstrat, qua sane caussa factum est, ut de ejusdem monachatu ne verbum quidem habeat Mabillonius Benedictini ordinis illustrator eximius, annum porro unum, menses quatuor, dies 25. Romanam sedem obtinuit, ac anno sequenti vivere desiit: Anastasio in Pontificem mox electo Vibaldus Stabulensis & Abbas Corbejensis litteris suis gratulatus est, utpote qui ejus familiaritatem, dum Cardinalis esset, ac in urbe Abbas, expertus fuerat; *Siquidem a retro annis quinque & viginti*, ait Vibaldus, *vestram beatitudinem satis intima, & familiari notitia cognovimus, & gratia vestra atque miti patrocinio in omni causa seu privata seu publica, quam apud Romanam Ecclesiam egimus, perfrui cum omni benignitate, & efficacia meruimus. Inde est quod intolerabilis dolor, qui de transitu reverendi patris nostri, vestri utique prædecessoris, animam nostram sauciaverat, non parvo delinimento mitigatus est, cum ordinator temporum Deus vestram sanctitatem in ipsius cathedra beata successione sedere fecit, ut vita vestra inclyta cunctas illustrare posset ecclesias, & nobis consuetæ misericordiæ benignum tribuatis effectum. Repetimus enim a vestra celsitudine quodam pietatis jure familiarem gratiam, quam ab antecessoribus vestris longo tempore obtinuimus, ut liceat nobis absque præsumptionis nota*

Anastasius Papa quartus Rom. Pontifex eligitur.

Murat. ut sup. tom. 3. Pag. not. 5. 6.7.8.

Vibaldus Abbas cum Anastasio de Pontificatu gratulatur.

Martene coll. tom. 2. Vibaldi epistol. 393.

Jesu Chr. an. 1153. *de sollicitudine, de statu regni aliquid intimare, quod tunc confidenter facere incipiemus, cum per sacratissimos apices vestros hoc facere admoniti fuerimus*. Scripsit eodem tempore ad duos S. R. E. Cardinales a legatione Germanica revocatos, Bernardum, & Gregorium, quibus Corbejensis monasterii, & Stabulensis res Pontifici commendat, *qui nos, inquit, a longis retro temporibus & novit, & diligere dignatus est*.

S. Bernardi Abbatis Claraevallis obitus.

7. Luctum ob Eugenii Papae obitum in ecclesia conceptum, Bernardi Claraevallensis Abbatis mors hoc eodem anno secuta exasperavit, & auxit, qui multis pro Dei gloria functus laboribus infirma jam valetudine laborabat, ut in ultimis epistolis suis narrat, Andreae praecipue avunculo suo in Palaestina Templi milite, inter cetera haec scribit. *Si venturus es, ne tardaveris, ne forte venias, & me non invenias; Ego enim jam delibor, nec puto me longum facere super terram*; Quot vero quantisque morbis affligaretur, in epistola ad Arnaldum Bonaevallis Abbatem de ejusdem statu sollicitum, ipse Bernardus narrat, quae postrema tanti viri fuit non ab eo scripta, sed dictata, itaque stomacho jamdiu languens, hydropisique laborans, decimo tertio Kal. Septemb. in pace quievit, anno aetatis suae 63. Monasticae professionis quadragesimo, Praefecturae monasterii Claraevallensis 38., in qua Robertum successorem habuit; Vir vere Apostolicus, immo verus Apostolus missus a Deo opere & sermone potens, ubique & in omnibus suum Apostolatum frequentibus signis illustravit, ut plane nihil minus habuerit a magnis Apostolis. Hic vivens jam centum sexaginta monasteria ubique terrarum erexerat. Sed ista minora censenda sunt, respectu illorum, quae extra claustra in diversis orbis ecclesiis, potissimum vero pro Romana est operatus ecclesia. Qui & apud Imperatores, Reges, aliosque Principes pro omnium sublevatione, atque ipsorummet Principum salute tot tantaque peregerit. Et qui dicendus sit totius Ecclesiae Catholicae ornamentum simul ac fulcimentum: Gallicanae vero in primis ecclesiae praedicandus sit summum decus, summa gloria, summa felicitas. Cujus memoria felicissima in benedictione & sanctificatione ad morum informationem & disciplinam, & in condemnationem haereticorum in sancta Ecclesia jugiter perseverat. Porro plura atque diversa a diver-

epist. 288.

Bernardi elogium.

sis

sis affixa sunt ejus sepulchro epitaphia , quæ ad finem vitæ ipsius cusa leguntur , quæ tu consulas : plurimi quoque admiranda Bernardi gesta descripserunt . Primus fuit Villelmus S. Theodorici Abbas , qui Bernardo adhuc superstite de ejus vita librum scripsit ; sed ante Bernardum obiit . Alterum rogantibus Clarævallensibus monachis post ejus obitum composuit Ernaldus , seu Arnoldus Bonævallis in agro Carnotensi Abbas , ad quem , ut diximus , ultimam Bernardus scripsit epistolam . His postea duobus libris tres alios addidit Gaufridus ipsius Bernardi notarius , qui præterea de Bernardi obitu scripsit epistolam ad Eschilum Lundunensem : Mitto alios vitæ Bernardi , vel miraculorum scriptores , quos in novissima Bernardi editione Mabillonius memorat ; Omnia vero Manricus in Annalibus Cistercensibus collegit , vulgavitque . In tanta autem veneratione vel mortuus fuit Bernardus Abbas , tantusque ad ejus tumulum ob frequentia miracula , populorum concursus fiebat , ut Gosvinus Abbas , qui cum multis aliis sui ordinis Abbatibus , ad beati viri exequias advenerat , timens ne monastica disciplina inde relaxaretur , mortuo ex obedientia precepit , ne deinceps miracula faceret , cujus præcepto mortuus paruit , ait Mabillonius , sui tamen ordinis fratribus pro variis infirmitatibus ad se clamantibus non defuit . Bernardi corpus sacerdotalibus indutum vestibus in oratorio B. Mariæ , comitantibus ac lugentibus monachis , turbisque adstantibus , sepultum fuit , cum capsula pectori ejus apposita , in qua condebantur reliquiæ Beati Thadæj Apostoli , quas sanctus vir Jerosolyma receperat , suoque corpori superponi jusserat , ut cum eo resurgere mereretur ; Sacrum tamen ejus corpus , ex Beatæ Virginis oratorioi n novam postea basilicam translatum fuit , ac sub Altari matutinali prope tumulum S. Malachiæ reconditum , excepto capite , quod in peculiari theca cum capite , Malachiæ inclusum fuit . Tanti Viri opera semel , iterumque ab Mabillonio edita , & illustrata adeo nota sunt , ut eadem recensere superfluum judicemus .

8. Post Eugenii Papæ , & Bernardi Abbatis obitum , non diu superstes fuit Henricus de Murdac Eboracensis Episcopus , de cujus obitu Gulielmus Neubrigensis auctor coævus lib. 1. cap. 26. hæc refert . *Tres viri memorabiles , & in vita sua* Henrici Eboracensis Episcop. obitus.

ami-

JESU CHR. AN. 1153. *amicissimi tempore illo decedentes, in morte quoque brevibus intervallis separati sunt, scilicet Eugenius Papa Romanus, Bernardus Claraevallis Abbas, & Henricus Eboracensis Archiepiscopus, e quibus Eugenio & Bernardo prius assumptis, Henricus e vestigio secutus est. Vulgato autem duorum transitu* (sc. Eugenii & Bernardi) *tertio adhuc superstite* (sc. Henrico) *Guillelmus olim Eboracensis, qui Vintoniae morabatur, spe recuperationis concepta) nam prior eum deposuerat, secundus, ut deponeretur egerat, tertius deposito successerat) Sedem Apostolicam celeriter adiit, judicium non accusans, misericordiam humiliter postulavit, Et ecce de transitu certus, ex Anglia Eboracensis Episcopi* (sc. Henrici) *nuntius superveniens, verecundissimas ejus* (nempe Guillelmi) *preces multum adjuvit. Et quidem Dunelmensis electus qui prior illuc venerat, a Domino Papa* (nempe Anastasio IV.) solemniter consecratus: illius (nempe Guillelmi), *qui posterior advenerat, pendente adhuc fortuna discessit. Sed tandem prioris judicii rigore sublato Apostolicae mansuetudinis clementiam expertus; miserante ejus canitiem Papa, cum Cardinalibus, & satagente circa ejus negotium maxime quodam Gregorio, magni nominis Cardinali, homine facundissimo. Itaque in integrum restitutus, & Pallio quod nunquam eatenus impetrare potuerat, insignitus, sabbato sancto Vintoniam rediit*, anno sequenti ait Pagius.

Civile bellum in Anglia extinguitur. 9. Interim hoc anno Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi, & Henrici Vintoniensis opera inter Stephanum Regem, & Henricum Normanniae Ducem cognatum ejus pax firmata est, & civile bellum, quod Angliam diu turbaverat extinctum, ait Robertus de Monte, sicque Werra, *quae decem & septem annis saevierat hoc fine quievit*, ait Matthaeus Paris: Joannes etiam Hagustaldensis, qui ad hunc annum historiam suam perduxit, de pace inter Stephanum, & Henricum inita inter plurima, haec adnotat. *Obiit Eustachius filius Regis Stephani, & Henricus Episcopus Vintoniae instantius promotiones Henrici Ducis excoluit; Quo mediante frater ejus Stephanus Rex, & Henricus Dux datis acceptisque sacramentis ab invicem convenerunt in foedus sub vinculo pacis &c.* pacis prima conditio ea fuit, ut Stephanus dum viveret, Angliae Regnum retineret; Henricus vero post ejus obitum, si superstet fuisset, eidem succederet; *Consenserunt in*

in hoc omnes Principes Regni, humiliatique sunt sub manu Regis Stephani, qui adversati sunt ei &c. edictoque proposito, subdit, hostiles impetus ubique cessarunt, auxiliaresque milites collecti dimissi sunt. *Justitia ergo & pax ubique in Regno revocata est &c.*

Davidis Scotiæ Regis obitus, ejus pietas commendatur.

10. Antequam ex Brittanicis insulis excedamus, ex eodem Joanne Hagustaldensi, adnotandum est, quod *David Rex Scotiæ apud Karlel pressus infirmitate nono Kal. Junii obiit, cujus memoria per omnes generationes in benedictione est. Similis illius Principis in diebus nostris non fuit; divinis devotus officiis, singulis diebus omnes Canonicas horas, etiam vigilias defunctorum audire non prætermittens &c.* quem militari quoque fortitudine, & christianis virtutibus refulsisse narrat, nam in abluendis pauperum pedibus frequens, alendisque eis & vestiendis misericors erat. Cœnobia etiam plurima vel restauravit, vel erexit, *ac terris & reditibus ad sufficientiam locupletavit. Regnavit autem annis vigintinovem, corpusque ejus ad Dunfermelin delatum in sepulcro Regum Scotiæ sepultum est, ubi & sancta Margareta Regina mater ejus requiescit &c. Tollens igitur omnis populus terræ Melcholmum filium Henrici Comitis filii ipsius David Regis* (demortui) *apud Scotiam sicut consuetudo illius nationis est, puerum admodum duodennem constituerunt Regem pro David avo suo. De quo veraciter dici potest;* Cum semine eorum permanent bona, hæreditas Sancta nepotes eorum. *Northymbria vero subjecta fuit Villelmo fratri ejus.* Plura habet de Davide Aelredus Abbas Rievallensis in Epistola ad Henricum Ducem & postmodum Anglorum Regem, edita a Seldeno in decem Scriptoribus Hist. Angl.

Raymundi Comitis Barcin. Victoriæ adversus Mauros.

11. Hoc tempore Raymundus Berengarius bellum adversus Mauros in Hispania gerens, Ilerdæ, & Fragæ expugnatione narrata, addit auctor de gestis comitum Barcinonensium cap. 17. *Miravetum opinatissimum castrum anno Christi 1153., non dicam munitissimum castrum Siuranam, sed montana fortissima, & alia plurimum castra circa littus Iberiamnis a Tortosa usque Cæsaraugustam cæpit, & Christi nomen usque ad trecentas, & eo amplius Ecclesias dilatavit.* Diagus lib. 2. Hist. Comit. Barcinon. cap. 162. de munitissimi castri Siuranæ dicti expugnatione agens, adnotat hæc contigisse die vigesima nona mensis Aprilis hujus Christi

JESU CHR. AN. 1153.

Mariana de reb. Hispan. lib. 11. cap. 3. tom. 2.

sti anni. Idem Auctor scribit *Raymundum Comitem* condidisse tunc celebre monasterium apud *Populetum*, locum in Diœcesi Terraconensi situm, in quod introducti sunt Monachi Cistercienses, & ubi postea sepultus est Idelphonsus Rex Aragonum, & cæteri ferme Reges, qui post eum fuere, donec Aragoniæ Regnum Castellæ Regno accessit, ut apud Marianam videre est.

Rogerii Siciliæ Regis Victoriæ de Seracenis in Africa.

12. Eadem felicitate, qua in Mauris expugnandis in Hispania usus est Rajmundus Barcinonensis, eadem hoc tempore Rogerius Siciliæ Rex adversus Seracenos in Africa utebatur, nam, ut narrat Robertus de Monte, *Rogerius per Amiralios suos cœpit Tonitam urbem maximam in Africa*, seu Tunetum, *Tunisi*, Anonymus etiam Cassinensis in chronico ad annum 1152. hæc addit. *Rex Rogerius cœpit* civitatem, quæ quondam Hippone regium *vocabatur*, sed de his hactenus.

Murat. to. 5.

Ascalona a Crucesignatis capta.

13. Ob reditum in Occidentem cum Ludovici Galliarum Regis, tum Corradi Imp. afflictæ admodum attritæque Crucesignatorum res in Oriente remanserant, ut anno 1149. adnotavimus; Qui tamen inde minime abiere, & præsertim Balduinus Hierosolymorum Rex bellum adversus Mauhumetanos susceptum, prosequi non dubitarunt, atque hoc anno, ut narrat auctor chronici Cassinensis, & Fossæ novæ, Ceccanus etiam dictus, aliique chronologi, Robertus de Monte, & Gulielmus Tyrius produnt. Ascalonam cæperunt. Tyrius quidem anno sequenti hæc accidisse, ait *decimo quarto Kal. Septemb.*, urbem a christianis captam fuisse addit Joannes Cecanus quam Balduinus Rex *matris consilio Joppensi Comiti liberaliter concessit* addit Tyrius: Scriptor etiam actuarii Affligemensis ad hunc annum refert, Regem Hierosolymorum diebus Sanctæ Dei Genitricis Purificationi proximis procinctum movisse, & diurno bello incessanter perdurasse *usque in festum Assumptionis ejusdem sacratissimæ Virginis*, ac proxima die illius festi turrim cum suis machinamentis muro admovisse, & tertia die ad murum accessisse. Quæ postquam fuse retulit, subdit: *Vir ille, qui præsens fuit, & omni* tempore *obsidionis in exercitu duravit, quod vidit, nobis narravit*.

Murat. rer. Ital. tom. 5. tom 7. Gulielm. Tyr. lib. 17. cap. 21.

Theodoti CP Patriarchæ obitus, cui

14. Hoc anno, Theodotus Patriarcha CP, qui triennio ante, seu anno 1151. Nicolao Musaloni successerat, mortuus est, ait Pagius, & successorem habuit Neophitum inclusum

cx

ex mansione Evergetidis ; Hunc tamen Neophitum Patriarcham commentitium esse suspicatur Bandurius , ut ad hunc annum adnotat Mansius , eo quod ejus nomen in catalogo Patriarcharum CP. a Nicephoro Callisto edito , & a Bandurio vulgato , non legitur ; eoque expuncto , reliquorum Patriarcharum series cum catalogis reliquis optime cohæret ; ut ibidem persequitur Mansius Patriarcharum CP seriem usque ad seculi hujus finem contexens ; Quo constituto , Constantinum Theodoto successisse dicendum est , juxta seriem Patriarcharum catalogi Nicephori Callisti , eumdemque triennio post , seu anno 1155. locum cessisse Lucæ , Chrysobergæ dicto , qui eam ecclesiam , usque ad annum 1169. administravit .

JESU CHR. AN 1154. succeditNeophitus , seu potius Constantinus . *Pag. n.* 20. *an.* 1153.

JESU CHRISTI ANNUS 1154. HADRIANI IV. AN. 7.
MANUELIS COMNENI IMP. AN. 12.

1. Ad componendas in ecclesiis Germaniæ res , & præcipue in Magdeburgensi , cum de ejusdem sede inter se Henricus , & Arnoldus contenderent , Bernardum Presbyterum & Gregorium Diaconum Cardinales , illuc ab Eugenio Papa missos fuisse anno superiore diximus , ipsorumque præsentia ob Henrici depositionem magis magisque turbata omnia fuisse scimus . Quare Anastasius Eugenii in Pontificatu successor , alteram illuc legationem misit quam Gerardus Cardinalis obivit , quæ irrita quoque fuit . Nam , uti narrat Otto , cum Gerardus Principem , idest Fredericum Regem Bambergæ *Natalem Domini celebrantem adiisset , cum quædam ibi secus illius nutum tractare vellet , indignationem ejus incurrens , infectis negotiis pro quibus venerat , mandatis severioribus inglorius redire coactus , in via etiam vita decessit . Verum Princeps missis ad Anastasium cum Guiomanno novo Archiepiscopo ab ipso intruso Nuntiis , non solum facti sui ratihabitionem , sed etiam pallium obtinere eum fecit , non sine quorundam scandalo , qui ne unquam id fieret immobiliter fixum Romanos tenere , a proprio ipsorum ore audierant . Ex hinc non solum in secularibus , sed & in ecclesiasticis negotiis disponendis auctoritas Principis plurimum crevit* , audacior scilicet factus , eadem libertate qua Imperii negotia gerebat , ecclesiasticis quoque sese immiscere præsumpsit , unde gra-

Anastasii legatio in Germaniam irrita redditur .

*Otto Frising. lib.*2.*cap.*10.

Jesu Chr. an. 1154. vissimæ posthæc contentiones, inter Sacerdotium, & Imperium exortæ sunt, de quibus infra.

Anastasii IV. Papæ obitus

Murat. rer. Ital. tom. 3. p. 440.

2. Anastasius interea, anno proximo ordinatus, cum annum unum, menses quatuor, dies 24. alii 28. numerant, sedem tenuisset, hoc anno mortuus est, *quarto nonas Decemb.*, ait auctor vitæ ejus Card. Aragonius, *& tumulatus Laterani in ipsa S. Salvatoris ecclesia in Porphiretico pretioso sepulchro, in quo olim jacuit Helena mater Constantini Imp.*, teste Joanne Diacono ejusdem Lateranensis ecclesiæ Canonico. Porphyretica hæc urna, quæ jamdiu neglecta ac deformata in interiori ejusdem basilicæ porticu jacebat, in Museum Vaticanum, nostris hisce diebus transferri & in integrum restitui jussit maximus vere Pontifex Pius VI. Anastasium etiam Pontificem, Lateranensem ecclesiam præ omnibus prædecessoribus suis dilexisse adnotat idem Joannes Diaconus, & vitæ ejus auctores confirmant, adduntque eamdem multis donis locupletasse, & privilegiis auxisse. Octo supersunt hujus Pontificis protuenda ecclesiastica disciplina apud Labbeum epistolæ, quibus addidit alteram Mansius Vibaldo Abbati, qua eidem annuli usum concedit.

Labb. to. 10. Mansi suppl. to. 2. p. 491.

Hadrianus quartus Rom. Pontifex ordinatur, quis esset.

3. In Anastasii locum Hadrianus quartus natione Anglus, Nicolaus antea dictus, Cardinalis Albanensis, ordinatus est, de cujus gestis usque ad Pontificatum hæc narrat auctor vitæ ejus apud Card. Aragonium. *Fuit natione Anglicus de castro S. Albani Nicolaus nomine, qui pubertatis suæ tempore, ut in studiis literarum proficeret, egrediens de terra sua & cognatione sua pervenit ad Arelatum, ubi cum in scholis literis vacaret, a Domino factum est, ut ad ecclesiam B. Rufi accederet, & in ea Religionis habitum, facta canonica professione, susciperet. Proficiens autem, Deo auctore, de bono in melius, Prioratum in ipsa domo prius obtinuit, & postmodum Abbatiæ apicem de communi Fratrum voluntate conscendit. Accidit autem, ut pro incumbentibus ecclesiæ sibi commissæ negotiis ad Apostolicam Sedem veniret, & peractis omnibus causis, pro quibus venerat, cum redire ad propria vellet, beatæ memoriæ Eugenius eum retinuit, & de communi fratrum suorum consilio in Albanensem Episcopum consecravit. Processu vero modici temporis, cognita ipsius honestate, & prudentia, de latere suo ad partes Norvegiæ Legatum Sedis Apostolicæ destinavit, quatenus*

verbum vitæ in ipsa provincia prædicaret, & ad faciendum omnipotenti Deo animarum lucrum studeret. Ipse vero tanquam minister Christi, & fidelis ac prudens dispensator mysteriorum Dei gentem illam barbaram & rudem in lege Christiana diligenter instruxit, & ecclesiasticis eruditionibus informavit. Divina itaque dispensatione Apostolatus sui diem præveniens, defuncto Papa Eugenio, & Anastasio in ejus locum ordinato, ad matrem suam S. Romanam Ecclesiam, auctore Domino, remeavit, relinquendo pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, ecclesiis ordinem, clericis disciplinam, & Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Transeunte autem modico temporis intervallo obiit Anastasius Papa. In secundo die convenientibus in unum pro eligendo sibi Pastore cunctis Episcopis, & Cardinalibus apud ecclesiam B. Petri, non sine divini dispensatione consilii factum est, ut in ejus personam unanimiter concordarent; & Papam Hadrianum a Deo electum tam clerici, quam laici pariter conclamantes, eum invitum & renitentem in Sedem B. Petri intrhonizarent Deo auctore Nonas Decemb. Dominicæ Incarnationis anno MCLIV. Indictione tertia cœpta, mense Septemb. Erat autem vir valde benignus, mitis & patiens, in Anglica & Latina lingua peritus, sermone facundus, eloquentia politus, in cantu ecclesiastico præcipuus, prædicator egregius, ad irascendum tardus, ad ignoscendum velox, hilaris dator, eleemosynis largus, & in omni morum compositione præclarus. Hæc is auctor, cetera ab eo gesta inferius suis annis. JESU CHR. AN. 1154.

4. Anastasii Pontificis obitum, Rogerii Siciliæ utriusque Regis mors præcesserat, quem Baronius Romualdum Salernitanum secutus anno 1152. obiisse scribit, at in Salernitani textum mendum irrepsisse, & loco 1152. legendum esse 1154. Pagius, Muratorius, aliique adnotant, ac ceteri chronicorum scriptores confirmant: de ejusdem obitu hæc Romualdus citatus. *Rex Rogerius post tot victorias & triumphos apud Panormum febre mortuus, & sepultus in Archiepiscopio ejusdem civitatis, anno vitæ suæ quinquagesimo octavo, mensibus duobus, diebus quinque, 26. die mensis Februarii, anno regni sui XXIV.* quem in colligenda pecunia sollicitum, in expendenda autem parcum, natura sævum, ac subditis terribilem magis *quam dilectum*, sicuti etiam Græcis, *& Sera-*

Rogerii Regis obitus.

Murat. to 7. Romualdus Salern. chr. pag. 196 pag. not. 4.5.6.7.

Jesu Chr. an. 1154. *norum formidini, & timori &c.* ait is auctor. At tum ob dilatatum in utraque Sicilia Imperium, bellaque fortiter, tum in Oriente adversus Græcos Imperatores, tum in Africa adversus Seracenos & ob catholicæ fidei zelum laudibns celebrarunt coevi, sequiorisque seculi scriptores, Hugo Falcaldus, Malaterra, Alexander Telesinus Abbas, Romualdus Salernitanus, de cujus gestis jam supra multa adnotavimus. De ejusdem autem in tuenda catholica fide, vindicandisque injuriis eidem illatis zelo illustre exemplum affert Romualdus Salernitanus his verbis.

Rogerii Regis pro fide catholica tuenda zelus

5. *Rex Rogerius quemdam eunuchum habuit Philippum nomine, qui pro sui probitate servitii ei gratus admodum & acceptus erat, & quia ipsum in agendis negotiis suis fidelem exequutorem expertus fuerat,* quem Præfectum Palatii creaverat, eique etiam expeditionem in Africam commiserat, & nauticæ classi præfecerat, quam cum feliciter gessisset, Bonamque urbem cœptam spoliasset, ac diruisset, *cum triumpho & gloria in Siciliam rediit.* At is catholica fide diu simulata, Macchemetis asseclam fuisse detectus est, ac legitimis testibus, & probationibus convictus. *Regis quidem justitiam metuens, cœpit veniam petere, & Regis misericordiam implorare, & de cetero futurum se christianum catholicum repromittere.* At Rex zelo fidei succensus nullam pœnitentiæ excusationem admisit, ac equi indomiti pedibus alligatus usque ad calcariam, quæ ante Palatium erat, violenter attractus, ibique ab equi pedibus dissolutus in flammarum medio jactatus, repente combustus est. Alii autem suæ iniquitatis complices, & consortes, capitalem subiere sententiam, ut pluribus is auctor narrat.

Gulielmus Rogerii in Regno successor. *apud Murat. rer. Ital.*

6. Defuncto Rogerio filius ejus Gulielmus biennio antea Regno sociatus, successit, & in Paschate proximo Panormi coronatus est, qui, ut ait Hugo Falcaldus; *Cum patriæ solum potestatis, non etiam virtutis hæres existeret, in tantum est primum efferatus amentiam, ut optimi patris acta contemneret, suaque industria curiæ statum in melius reformatum pessum ire permitteret; Unde & quos pater familiares habuerat, eos partim condemnavit exilio, partim carcerum conclusit angustiis &c.*

Stefani Angliæ Regis

7. Non diu post concordiam, cum Henrico anno elapso firmatam, superstes fuit Stephanus Rex Angliæ, hoc anno mor.

mortuus octava die ante festum Sanctorum omnium, seu octavo Kal. Novemb. ut narrat Matthæus Paris, & in Abbatia de Faverslam paulo ante ab eodem fundata, & Cluniacensibus data, juxta uxorem, & filium Eustachium, qui paulo ante objerat, sepultus, *cum fere novemdecim annis laboriose nimis, & infeliciter regnasset*, ut scribit Henricus Huntodinensis Archidiaconus, cujus historia libris octo digesta, & Alexandro Lincolniensi Episcopo dicata, in his desinit, cujus extat etiam epistola seu libellus ad Valterum amicum inscriptus, *de contemptu Mundi*, in quo adductis virorum illustrium exemplis, qui ea ætate infeliciter interierant, eumdem ad mundi contemptum excitat, ac plurimos lugubres casus refert. Stephano defuncto, ex Normandia in Angliam revocatus est Henricus, 14. Kal. Januarii, sive Dominica die ante nativitatem Domini, & Londonii ab Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo coronatus est, atque ut addit Gulielmus Neubrigensis lib.2. cap. 1. *a Normannia in Angliam veniens, hæreditarium Regnum suscepit, conclamatus ab omnibus, & consecratus mystica unctione in Regem concrepantibus in Anglia tubis: Vivat Rex, prioris quippe Regni, sub quo tot mala pullulaverant, infelicitatem experti, de novo Principe meliora sperabant &c.* cum præsertim prudentiæ, justitiæque servandæ indicia, in ipsis sui Principatus initiis non obscura dedisset, ut idem prosequitur auctor.

Jesu Chr. an. 1154. obitus, cui Henricus succedit.

Dacheri Spicileg. to.8.

8. Ut Angliæ Regnum adeptus est Henricus ordine secundus, ad Hadrianum Papam nuper in Rom. Pontificem electum litteras gratulationis, & obsequii sui testes dedit; Regis nomine eas Petrus Blesensis scripsisse vero proximum est, extantque inter ejusdem epistolas, cum hac inscriptione *ad N. Rom. Pontificem*, infra vero. *Tali Papæ, talis Rex*, quod vero natione Anglus in Romanum Pontificem evectus fuisset; præcipue admiratur. *Aures nostras*, inquit, *aura dulcis afflavit; quia sicut accepimus creationis vestræ novitas tanquam aurora rutilans desolationis Romanæ Ecclesiæ tenebras propulsavit. Gaudet Sedes Apostolica viduitatis suæ solatium consecuta: gaudent omnes ecclesiæ lucem novam oriri videntes, & ipsam usque ad perfectam diem crescere præstolantes. Sed gaudet præcipue noster Occidens, quod velut oriens novum lumen influere promeruit orbi terræ, & Solem Christianitatis, qui versus Orientem nuper occubuit, divino munere Occi-*

Henrici Regis epist. ad Hadrianum Pap.

Petri Blesen. epist. n.163.

Jesu Chr. an. 1154.

cidens restauravit. Nos itaque, Pater sancte, bonori vestro magnifice cottestantes, & divinæ Majestatis magnificentiam devotis inde laudibus prosequentes, Paternitati vestræ, de cujus fervore filiali devotione confidimus, vota nostra familiarius aperimus. Si enim carnalis filius carnales affectus patri fidenter aperit, quanto fidentius spiritualis spiritualia potest desideria reserare? Sane inter cæteras affectiones nostras non mediocriter affectamus, quod cum divina dextera reverendissimam personam vestram, tanquam lignum vivificum in medio Paradisi spiritualiter plantandum duxerit, & de terra nostra in suum Pomœrium transplantandum: summopere studeatis fructuosis operibus & doctrinis ecclesias omnes ita reficere, quod beatam dicant omnes generationes vestræ Beatitudinis nationem. Illud quoque sincero corde sitimus, quod spiritus procellarum, qui dignitatum culmina vehementius consuevit perflare, nunquam a sanctitatis studio vos avellat: ne, quod absit altius dignitatis fastigium gravius præcipitium subsequatur. Sed, & illud intime affectamus, ut cum universarum ecclesiarum ordinatio ad vos pertineat, tales ordinare curetis sine dilationis dispendio Cardinales, qui onus vestrum sciant, & velint, & valeant supportare: non respicientes ad patriæ propinquitatem, generis qualitatem, aut potentiæ quantitatem, sed quod Deum timeant, avaritiam odeant, justitiam sitiant, & zelo ferveant animarum. Hæc, & alia, Pontificem excitans, ut ad recuperandam Palæstinam, restituendumque Constantinopolitanum Imperium sollicitudinem suam extenderet.

Gulielmus Eboracensis Archiepisc. obiit, inter Sanctos relatus.

9. Gulielmus interea Eboracensis Archiepiscopus, ex urbe Romana Vintoniam reversus, & pallio ab Anastasio Papa exornatus, ut anno superiori diximus; *post receptam non multo post Albus Paschales ecclesiam*, ut ait Gulielmus Neubrigensis lib. 1. cap. 26., *decenti moderamine regens, & ingenita levitate nulli onerosus existens, paucis post Pentecostem evolutis diebus febre corripitur, & rapitur ex hac vita, ingenti tam Clericis, quam laicis, ex mitissimi pastoris, occasu, luctu relicto*, cumque vivens virtutibus, & miraculis post obitum inclaruisset, sanctorum catalogo Honorius tertius eumdem inscribi jussit, ad universos Angliæ Episcopos scribens, ejusdemque memoria Anglicano martyrologio, recolitur. Honorii diploma anno 1226. constat *Laterani de-*

Fontanin. Codex Canoniz. pag. 57.

ci-

cimoquinto Kal. Aprilis Pontificatus *anno decimo*. Gulielmi gesta, & miracula fusiori stilo exhibent Bollandistæ tom. 2. Junii; cujus reliquias Villelmus alter Eboracensis Episcopus anno 1284. solemni ritu extulit, & pretiosa theca recondidit, ut ex Thoma Stabb. in actis Episcoporum Eboracensium hæcque pluribus persequitur, nota undecima ad hunc annum Pagius.

10. Cum Henricus Hamburgensis Archiepiscopus Episcopales sedes in Slavia a barbaris destructas reædificasset, Aldemburgensem scilicet, Racesburgensem, & Miclemburgensem, iisque, Episcopos, ut christianam ibidem religionem dilatarent, misisset; inter eos ceteris illustrior Vicelinus Aldemburgensis fuit, qui, extremum hoc anno diem clausit *secundo Idus Decembris*, postquam sedisset in Episcopatu annos quinque. Manserat Vicelinus in Holsatia annos triginta, & plurimos ad Christianam fidem adduxerat, ut Helmoldus citatus, & Krantzius lib. 4. Vandaliæ narrant, quem etiam monasteria illic fundasse adnotat Pagius. Henschenius vero ad diem 17. mensis Maii de sancto Thedmaro agens, ex Helmoldi continuatore de sancto Vicelino hæc refert. *Sanctus Vicelinus fuit in ecclesia Bremensi scholasticus*, sive magister, *& in theologia disertus, qui multas habuit divinas revelationes tempore juventutis*, quibus incensus fuit, ut Slavis prope Hulatiam demorantibus fidem Christi prædicaret; ubi Christi fides olim delata, extincta tunc penitus fuerat, ea de causa Vicelinus vestem religiosam, quam Canonici Bremenses cum Regula S. Augustini abjecerant, derelinquere nolens, cum Sancto viro Thetmaro Cantore Bremensi in Holsatiam transiit, ibique fidem propagavit, cum alios habitu, & vita religiosos viros ibidem advocasset.

Vicelini Aldemburgensis Episc. obitus.

Helmodus chron. Sclavorum cap. 79.

11. Hoc quoque anno ex hac vita migravit S. Lambertus Vinceciensis Episcopus, qui ex monasterio Lirinensi ad Vinceam ecclesiam regendam vocatus, sanctitate & miraculis eamdem illustravit, cujus res gestas coævus auctor in tabulas retulit, uti apud Henschenium videre est. Fridericus interea Rex, compositis in Germania rebus, ut Otto Frisingensis narrat, Italicum iter suscepit, tum ut ferream in Longobardia, deinde auream seu Imperialem in urbe ab Hadriano Pontifice coronam acciperet, cum etiam ut Italiæ urbes, suo Imperio subjugaret, & ut Villelmo Siciliæ Regi bellum in-

S. Lamberti Episc. Vinciensis obitus.

Bolland. die 26. Maii.

Fridericus Germaniæ Rex in Italiam transit. *Otto lib. 2. cap. 11.*

JESU CHR. AN. 1154. inferret, ſuoque dominio, ſi fieri potuiſſet, Campaniam, Brutios, & Apuliam adjungeret; Adverſus Mediolanenſes iratus præcipue in Italiam advenit, qui cum Longobardiæ ſeu Liguriæ Metropolim obtinerent, judicibus ſibi electis, democraticam, vel Ariſtocraticam ibidem Rempublicam non ſolum conſtituerant, ſed etiam finitimas gentes, & urbes ſibi ſubjecerant, Laudenſes præcipue, Papienſes, & Cremonenſes; Cum itaque anno proximo 1153. Fredericus Conſtantiæ eſſet, ut Otto Murena, & Acerbus ejuſdem nepos fuſiori ſtilo narrant, cum Laudenſes cives duo Albernardus Alemanus, & Homobonus, magiſter dictus, forte fortuna Conſtantiæ tunc adeſſent, duabus in humeros aſſumptis Crucibus, ad clementiam ſibi conciliandam, ſupplices proſtratique de Mediolanenſium tyrannide, longa oratione, conqueſti ſunt, quos Fredericus non ſolum patienter excepit, ſed litteras continuo ad Mediolanenſes dari juſſit, miſſo etiam legato ſuo Sicherio, quibus Mediolanenſes admonebat, ne ultra Laudenſibus moleſtiam inferrent; In patriam reverſi Laudenſes cives geſta cum Frederico narrarunt, at nullam iis fidem tunc concives præſtarunt, quin, ſuis finibus ſe dejecturos, minati ſunt, & ne eadem ultra vulgarent præceperunt, *niſi ſtatim mori deſiderarent*, cumque paulo poſt Sicherius Friderici legatus cum litteris in eam rem ad Mediolanenſes datis Laudum perveniſſet, litteraſque apertas obtuliſſet, vix tum fides habita eſt, ac Sicherium rogarunt, ut eas litteras apud ſe retineret, nec Mediolanum deferret, timebant quippe Laudenſes, ne iis acceptis Mediolanenſes exaſperati, dum adhuc Fridericus in Germania erat, incurſione in ſe facta, Laudum fugatis, vel interfectis civibus, penitus diruerent; Sicherius tamen Mediolanum profectus cum Regis litteras Conſulibus obtuliſſet, iis ibidem lectis, ipſo Sicherio, aliiſque præſentibus eaſdem in terram projectis, pedibus Mediolanenſes conculcarunt, ac ipſum Sicherium fuga ſibi conſulere coegerunt, quare is Laudum reverſus, cum rem narraſſet, timore maximo perterriti Laudenſes, ut ſibi quantocius opem ferret Fridericum Regem rogarunt, ac clavem auream per Marchionem Gulielmum de Monferrato eidem miſerunt, ſe ſuaque omnia eidem offerentes, quod & aliæ plurimæ Longobardiæ urbes effecerunt; Quare Fridericus ut omnes Italiæ Principes, Epiſcopi, Abbates, Marchiones

Apud Murat. rer. Ital. to. 6. p. 956.

nes, duces, vel Comites, anno labente ad festum S. Michaelis in Roncalia, in agro Placentino adessent, praecepit, ubi alias Imperatores, Germaniae, aut Italiae Reges conventus Principum Italiae celebraverant. JESU CHR. AN. 1154.

12. Fridericus itaque, ut narrat Otto Frisingensis; *Per Brixanoram, & Vallem Tridentinam transiens, emensis alpium angustiis in campestribus Veronensium juxta stagnum Gardae castrametatur*, cumque eo in itinere ob locorum angustias, victus penuriam exercitus pateretur; *nonnulla sacra loca exercitus violaverat*, quam noxam, ut aboleret, Fridericus collectam in exercitu fieri jussit, & non modicam pecuniam, duobus Episcopis Tridentino scilicet, & Brixinorensi remisit, ut per singula sanctorum loca, quae damnum passa fuerant, distribuerent, subdit is auctor, sicque propitiato numine; *inde castra movens in campo Roncaliae super Padum, non longe a Placentia, mense Novembri resedit. Est autem consuetudinis Regum Francorum, quae & Teutonicorum, ut quotiescunque ad sumendam Romani Imperii coronam, militem ad transalpinandum coegerint, in praedicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, universorumque equitum agmen feuda habentium, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per Curiae praeconem exposcitur, quod sectantes qui in ejus Comitatu fuerant, singuli singulos beneficiatos suos per praecones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprehensus fuerat, denuo ad praesentiam Regis, aliorumque Principum, vel virorum illustrium evocatur, sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur* idest qui renuerent ibidem adesse, ac obsequium Regi, aut Imperatori tamquam subditi praestare, tamquam rebelles condemnati sunt, ac feudorum seu regalium possessione privati; eaque de causa, ut narrat Otto cap. 12. lib. 2. Hartuichus Bremensis Episcopus, & Hulricus Halberstaldensis feudis eorum ecclesiis concessa exciderunt, atque ex hac consuetudine, feudorum jura exorta, quae postmodum legibus confirmata sunt, his multa de Italiae situ, moribus, & urbibus, subdit; deinde adnotat, jamdiu eam consuetudinem inolevisse, ut intrante Principe in Italiam dignitates, magistratusque cessarent, ut omnes undique ad Regis aulam accurrerent

Friderici iter, & gesta in Italia. *Otto lib. 2. cap. 11. 12. 13.*

Jesu Chr. An. 1155.

& ut ex omnibus, quæ terra produceret usui necessariis, quantum necesse fuerit, militibus, aut regiis administris Itali suppeditarent; Hinc merito non semel adnotavimus horum adventum omni tempore molestum gravemque Italis fuisse. Quid postea gestum sit, anno sequenti videbimus; de eadem Friderici in Italiam expeditione, gestisque ibidem plura quidem, sed incerta, aut etiam falsa Sigonius de Regno Italiæ, Galvaneus Flamma in chronico Mediolanensi referunt a Pagio hoc, & sequentibus annis confutata: nobis sat erit præcipua ab Ottone, aliisque coævis, fideque dignis auctoribus tradita summatim per annos singulos exponere.

JESU CHRISTI AN. 1155. HADRIANI IV. PAPÆ AN. 2.
MANUELIS COMNENI IMP. AN. 13.
FRIDERICI ÆNEOBARBI IMP. AN. 1.

Hadrianus Papa Gulielmum Siciliæ Regem excommunicat. *Romuald. chron. Murat. tom. 7. p. 197.*

1. Statim ac Anastasio Pontifici, Hadrianum quartum successisse accepit Gulielmus Siciliæ Rex; *Nuncios ad eum de pace componenda transmisit*, ait Romualdus Salernitanus in chronico, *sed obtinere non potuit*; Cumque Rex circa quadragesimam Salernum venisset, ibique usque ad Pascha mansisset; *Hadrianus Papa Henricum Card. Ss. Nerej, & Achillej ad eum misit, quem Rex recipere noluit, sed Romam redire præcepit; eo quod in litteris Apostolicis, quas Regi portabat, Papa ipsum non Regem, sed Gulielmum Dominum Siciliæ nominabat, pro quo facto Hadrianus Papa, & tota curia Romana contra Regem commota, & turbata est*, ait is auctor; cum enim Gulielmus, patre defuncto, Regni Siciliæ nondum investituram postulasset, aut obtinuisset, eum Hadrianus Papa in litteris suis Regem dicere renuit, sed tantum Siciliæ Dominum appellavit; Hinc inter Pontificem, & Regem diffidia exorta sunt. Nam Gulielmus, Schitinio Cataniensi Archidiacono, quem Cancellarium suum dixerat, Apuliæ administrationem contulit, & post Pascha in Siciliam ipse rediit, Schitinius vero Regis jussu Beneventum obsedit, & usque ad mœnia vastavit, ait Romualdus Salernitanus loco citato; Fines deinde Campaniæ violenter ingrediens Villam Ceperam, Cepranum scilicet, & Castrum Babuchum, Babucum dictum, aliaque loca concremavit, ut

ut in vita Hadriani prodit Cardinalis Aragonius, ac subdit. *Pro iis ergo, & aliis offensis praedictus Hadrianus Papa, Petri gladium exerens ipsum Regem gladio excommunicationis percussit.* Jesu Chr. an. 1155.

Bellum in Apulia inter Gulielmum Siciliae, Regem & Hadrianum Papam.

2. Excommunicationis gladio, materialem etiam gladium Hadrianus adjunxit, ac ut Romualdus, & Aragonius adnotant; *Congregato exercitu cum Roberto Capuano Principe, & Andrea de rupe Canina terram laboris ingressus, eam violenter obtinuit, & a Beneventanis cum honore susceptus est*, Hadrianus Papa, cumque varia fortuna bellum gereretur paulopost *Gulielmus excommunicationis sententia percussus, in contemptu haberi coepit a suis, & cum salubria fidelium suorum consilia de satisfactione praestanda contemneret, in sua elatione, & fatuitate fere solus remansit*, inquit Aragoniensis, pluribusque narrat Salernitanus Romualdus; Quare Gulielmus sibi jam timens, ne omnino Siciliae Regno, seu Neapolitano excideret, cum Pontifici etiam auxilio advenissent Comneni Imp. Graeci Duces, qui injurias patri suo, sibique illatas ab Rogerio Gulielmi patre vindicare, urbesque maritimas Apuliae, & Calabriae Graecorum Imperio ereptas recuperare satagebat, ut supracitati scriptores fusius narrant; unde subdit Aragoniensis, Gulielmus *valde perterritus, & erroris sui poenitentia ductus ad sinum matris suae sacrosanctae Romanae Ecclesiae, & Domini & patris sui, ejusdem Romani Pontificis obedientiam redire cum omni humilitate disposuit. Quocirca Electum Catanensis Ecclesiae cum quibusdam de majoribus aulae suae ad praesentiam ipsius Pontificis accessurum usque Salernum transmisit. Quibus plenariam potestatem dedit, ut gratiam & pacem Domini Papae ab eo humiliter quaererent, & satisfactionem plenariam, quae continetur inferius, cum firma securitate ipsi praestarent. In primis petebat absolvi secundum Ecclesiae morem, de inde homagium, & fidelitatem eidem Pontifici facere promittebat, & quod omnes quoque terrae suae Ecclesias cum plenaria libertate restitueret; tria castra pro illis dandis, Paludum videlicet, Montem Fusculum, & Muronem cum pertinentiis suis in propriam haereditatem Ecclesiae Romanae daret. Romam praeterea, quae tunc adversabatur Pontifici, suis armis & pecunia eidem domino Papae, & sacrosanctae Romanae Ecclesiae gratiam, tantum pecuniae, quantum Graeci obtulerant largi-*

JESU CHR. AN. 1155. *giretur. Auditis itaque Pontifex hujusmodi oblationibus, venerabilem virum Hubaldum presbyterum Cardinalem tituli S. Praxedis tunc Ostiensem Episcopum Dominus Papa transmisit Salernum, quatenus a præfatis Nuntiis inquireret, si ea quæ fuerant promissa, veritate certa inniterentur, & quod inveniret, sibi referret. Factum ita est, & redeunte Episcopo Cardinali, omnia quæ promissa ex parte Regis fuerant, inventa vera sunt, & ad complendum parata. Bonum igitur visum est eidem Pontifici, ut tam utilis concordia, & cum tam magno honore Ecclesiæ compositio deberet admitti.* At major pars fratrum, subdit auctor, seu Cardinalium, concordiæ ineundæ restitit, cum fortasse Imperatori placere magis curarent, quam Pontifici, nam in Æmilia, viciniſque locis adversus Gulielmum Fredericus quoque bellum gerebat, teste Romualdo. Quare, aliquandiu concordia suspensa fuit, usque dum Gulielmus exercitu comparato viribusque auctus, victor totam Apuliam liberrime excurreret, ac Beneventum, ubi Pontifex morabatur, appropinquaret; At de his anno sequenti, quo gesta sunt, de quibus etiam plurima his omnino consententia narrat Gulielmus Tyrii Archiepiscopus. *lib. 18. cap. 2.*

3. Nunc aliud in urbe bellum ab Hadriano Papa pro pietate, juribusque Rom. ecclesiæ tuendis susceptum videamus, adversus scilicet Arnaldum Brixianum, virum longo jam tempore urbi infestum, de quo hæc Aragoniensis in vita Hadriani. Cum Arnaldus Brixiensis hæreticus, erroris sui venena in urbe disseminaret, & simplicium mentes a via veritatis averteret, pro ejus expulsione Eugenius tertius, & Anastasius Hadriani prædecessores *multum laboraverunt, sed favore & potentia quorumdam perversorum civium, & maxime Senatorum, qui tunc ad regimen a populo fuerant instituti, antedictus hæreticus munitus & tutus contra inhibitionem Hadriani Papæ in eadem civitate procaciter morabatur, atque ipsi Hadriano, cæterisque Patribus insidiari cœpit, & publice atque atrociter adversari. Venerabilem namque virum dominum Gerardum presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Pudentianæ ad præsentiam ipsius Pontificis euntem, quidam ex ipsis hæreticis ausu temerario in via sacra invadere præsumpserunt, & ad interitum vulneraverunt. Quapropter Pontifex ipse civitatem Romanam interdicto supposuit, & usque ad quartam feriam majoris hebdomadæ universa Civitas a divinis cessa-*

Arnaldus de Bsix'a urbe eijcitur. *Murat. tom. 3. p. 442.*

cessavit officiis. Tunc vero præfati Senatores compulsi a Clero & populo Romano accesserunt ad præsentiam ejusdem Pontificis, & ad ipsius mandatum, supra sancta quatuor Evangelia juraverunt, quod prædictum Arnaldum hæreticum, & alios ipsius sectatores de tota Urbe Romana, & ejus finibus expellerent; nisi ad mandatum & obedientiam ipsius Papæ redirent. Sic itaque ipsis ejectis, & civitate ab interdicto absoluta, repleti sunt omnes gaudio magno, laudantes Dominum pariter & benedicentes, sicque seditiosis turbulentisque ex urbe ejectis, ex Leonina urbe, ubi hactenus Hadrianus Papa moratus fuerat, comitante Clero, plaudente populo per mediam transiens urbem in Lateranum transiit, *ibique die ipso & sequenti, sexta feria, & Sabbato sancto Pascha quoque ac secunda, tertia, & quarta feria divina mysteria solemniter celebravit, atque in Lateranensi Palatio, secundum antiquam consuetudinem Pascha cum discipulis suis festive comedit. Celebrato itaque cum lætitia festo singuli ad propria cum gaudio redierunt*. Hæc auctor præsens assistens (quisquis fuerit) illorum temporum scriptor anonymus, Aragoniensis Cardinalis dictus.

JESU CHR. AN. 1155.

Arnaldus Brix. ligno suspensus in urbe obiit.

4. Quem finem turbulentus vir habuerit, nunc dicendum restat; cum itaque Arnaldus urbe ejectus in Hetruriam properaret, in itinere interceptus; eum *Vicecomites de Campania obtulerant A. magistro Gerardo Card. Diacono S. Nicolai apud Utricolos*; ait auctor vitæ Hadriani. At cum jam ad urbem propinquaret Fredericus Rex, ac ad eum legatos Hadrianus misisset, inter alias conditiones, quibus in urbem admitti, & Imperiali corona ornari poterat; *continebatur, ut redderet Arnaldum, Rex vero auditis Domini Papæ mandatis, continuo missis apparitoribus, cepit unum de Vicecomitibus, aliisque valde perterritis, eundem hæreticum in manus Cardinalium statim restituit*. Quid autem post factum de Arnaldo, ex Ottone Frisingensi illud constat eumdem devenisse in manus Petri Urbis Præfecti, ipsumque ab eo dignum in Urbe accepisse supplicium, ait enim: *Hæc & his similia cum multis diebus, idest, a morte Cælestini usque ad hæc Hadriani, scilicet Papæ, incessanter & irreverenter ab Arnaldo agerentur, tempora, cumque sententia Pastorum juste in eum & canonice prolata, ejus judicio tanquam omnino auctoritatis vacua contemneretur: tandem in manus*

quo-

JESU CHR. AN. 1155.

rundam incidens in Tusciæ finibus captus, Principis examini, Friderici scilicet, reservatus est. Et ad ultimum a Præfecto Urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne a stolida plebe corpus ejus venerationi haberetur, cinis in Tiberim sparsus est. His finis nefandissimi hæresiarchæ Urbis & orbis perturbatoris, quem & hisce carminibus Ligurinus cecinit vates:

Unde etiam tandem (neque enim reor esse silendum)
Ne de funesto repetatur postea sermo,
Judicio Cleri, nostro sub Principe victus,
Appensusque Cruci flammaque cremante solutus
In cineres, Tiberine, tuas est sparsus in undas,
Ne stolidæ plebis quem fecerat improbus error,
Martyris ossa cineresque foveret honore.

Hactenus Guntherus Ligurinus dictus, eademque Otto Frising. lib. 2. cap. 21. ubi de Arnaldi vita, gestisque perversis, quorum causa laqueo vitam finivit, plurima adnotat.

Fridericus Mediolanensium, oppida, & Terdonam vastat. *Murat. tom. 6. p.7c9.& pag.970.seq.*

5. Fridericus autem Germaniæ Rex, postquam, ut anno proximo diximus, in Roncaliæ planitie obsequia, & munera ab Italiæ Principibus accepisset, inde digressus, per invia loca ab Mediolanensium consulibus una cum exercitu Papiam versus perductus, ut Otto Frisingensis, & Morena, qui hæc se vidisse narrat, in Mediolanenses exasperatus, eorum fines irrumpens, castra, & oppida ferro & igne destruxit, ac iter reflectens per Vercellum & Taurinum versus Papiam rediit, deinde Cairum, & Astam progressus, eo quod Marchioni de Monferrato, juxta ejus præceptum parere noluissent, pene subvertit, Astamque prædicto Marchioni tradidit, ac Terdonam utpote Mediolanensibus sociatam, aggressus, post dierum aliquot obsidionem, sponte traditam diruit, igneque consnmpsit, ut supracitati auctores fusiori stilo describunt; hisque gestis Fridericus *Terdona discessit & Romam pergens, multa castra, multique Principes Longobardiæ, Thusciæ, Romaniæ ei se subjecerunt*, ac ipse Romam ingressus honorifice ibidem ab Hadriano Papa susceptus est: antequam vero Terdona expugnata, & diruta Romanum iter susciperet, Papiam reversus.

Fridericus Papiæ coronatur.

Ibique ea Dominica, qua Jubilate canitur, in ecclesia S. Michaelis, ubi antiquum Regum Lon-

Longobardorum Palatium fuit, cum multo civium tripudio coronatur, ait Otto Guntherus etiam de duplici coronatione Friderici agens, Papiensi scilicet, & Romana de Papiensi hæc adnotat,

Jesu Chr. an. 1155. pag. 718. Gunth. lib. 3. & 4.

Comiter receptum Sancti Michaelis ad ædem
Qua veterum fulgent antiqua Palatia Regum
Producunt, nitidumque caput gemmante corona
Cingitur, & sceptro decoratur dextera sacro

De altera solemniori coronatione ejusdem Romæ facta, hæc subdit.

Hos Regi titulos, hoc clari nomen honoris
Quartus ab ingressu Regnorum contulit annus,

quarto scilicet anno, quo Germaniæ Rex dictus fuerat;

Plusque fere medio juvenum se mensis agebat,
Ut quarto decimo prodiret Julius ortu
Postea gemmiferum læta cervice coronam
Ipse ferens insedit equo &c.

6. De Friderici adventu Romam, auctor vitæ Hadriani Papæ, & Otto hæc narrant, itaque Fridericus Terdona excisa, *in urbem tanta festinantia properabat, ut merito credi posset magis hostis accedere, quam patronus*, ait auctor supracitatus, ac per Placentiam transiens Bononiæ Pentecostem celebravit, inde per Thusiam, cum Pisanos obvios habuisset, eosdem ut classem adversus Gulielmum Siciliæ Regem pararent, jussit quare cum jam urbi instaret, *Hadrianus Papa, qui apud Viterbium residebat, deliberato cum fratribus, & Petro Urbis Præfecto, atque Ottone Frangipane consilio; misit ei obviam Jacobum tituli sanctorum Joannis & Pauli, & Gerardum tituli S. Pudentianæ presbyteros, & Gregorium diaconum S. Mariæ in porticu Cardinales, quibus & certa capitula dedit, & formam præfixit, qualiter cum ipso pro Ecclesia deberent componere. Qui accepto mandato cum festinatione proficiscentes, cum apud S. Quiricum invenerunt, & accedentes ad ipsum, ab eo honorifice sunt recepti, & in*

Friderici iter ad urbem. *Murat. tom. 3. p. 442. & to. 6. p. 718.*

Jesu Chr. An. 1155. *& in tentorium deducti. Post salutationem vero literas ei Apostolicas porrexerunt, atque domini Papae exposuerunt mandata, in quibus continebatur inter caetera, ut redderet eisdem Cardinalibus Arnaldum haereticum &c.* de quibus jam supra egimus.

Legationes invicem inter Hadrianum, & Fridericum missae, & receptae.

7. Ante adventum Cardinalium, quos Hadrianus miserat; *Idem Rex miserat Arnaldum Coloniensem, & Anselmum Ravennatensem Archiepiscopos ad praesentiam supradicti Pontificis, ut de ipsius coronatione cum eo tractarent, & de aliis insimul convenirent. Ideo responsum Cardinalibus dare non potuit, nisi prius Archiepiscopos quos miserat, recepisset. Pontifex autem, qui propter nimium suspectum Imperatoris adductus, ad Urbevetanam civitatem natura loci munitissimam transire, & illic Imperatorem disposuerat expectare: pro repentino & inopinato ejus adventu in majorem suspicionem cecidit. Sed cum ad locum illum tutissimum jam secure non posset transire, ad civitatem Castellanam festinanter ascendit, aeque praesidium inexpugnabile. Ubi, si de persona ejus Rex male cogitasset, iram illius secure declinaret, & iniquos illius cogitatus facile posset eludere. Archiepiscopi secuti sunt eum, exponentes bonam Regis voluntatem, quam erga eum & totam Romanam ecclesiam habebat, & alia quae erant ipsis imposita, nihilominus ostendentes. Quibus Pontifex de consilio fratrum suorum dixit: Nisi prius recepero fratres meos Cardinales, quos ad Regem delegavi, nullum responsum vobis dabo. Cardinales Legati eodem anno a Friderico dimissi, & Archiepiscopi a Pontifice infecto negotio redeuntes obviaverunt sibi, dicentes ad invicem, quod propter eorum absentiam responsum ab utraque parte dilatum fuerat. Ideoque habito inter se deliberationis consilio simul venerunt ad praesentiam Regis in campo Viterbiensi, ubi Rex castra posuerat. Venerat autem ad eum Octavianus tituli S. Caeciliae presbyter Cardinalis, non missus a Pontifice, sed dimissus, jam parans seditionem ex schismaticis. Postquam vero dicti Cardinales intraverunt ad Regem, ut haberetur consilium super eorum legatione de satisfaciendo mandati Romani Pontificis: idem Octavianus quod hauserat virus vomere coepit & pacem turbare, sed brevi oratione valide repressus est a fratribus Cardinalibus, & sicut dignus erat, multa est confusione respersus.* Erat hic Romanus, genere nobili, nempe ex Tusculanorum Comi-

mitum progenie oriundus, alter Judas, utpote qui in Pontificem, ipsamque Romanam Ecclesiam, & collegium Cardinalium semper cum potuit, aliquid moliri conatus est, ut quæ dicentur inferius, manifestius declarabunt. Quæ autem hæc sint secuta, ita eadem Acta significant: *Tandem adversario confutato, & salubri consilio comprobato, Rex omnium procerum, & militum suorum Curiam maximam congregavit, & in præsentia eorundem Cardinalium allata sunt sacra pignora, Crux, & Evangelia, super quæ nobilis quidam miles de cæteris electus, cum juratus & tertio jurare jussus esset in animam suam & ejusdem Regis: juravit vitam & membra non auferre, sed conservare Papæ Hadriano, & Cardinalibus ejus omnia sibi debita jura; nec malam captionem facere, nec honorem, nec bona sua auferre ab eis, nec auferri permittere. Sed & si quis auferre vellet omnimodo prohibere, & contradicere: post illatam vero injuriam pro posse suo, & abdicare facere, & emendare, atque conservare. Hoc itaque juramento (sicuti dictum est) & a Rege præstito, & a Cardinalibus ipsis cum alacritate recepto, accepta licentia concito gradu Cardinales sunt reversi ad summum Pontificem, universa quæ fecerat sibi & fratribus suis, cum diligentia referentes. Placuit ergo summo* Pontifici, *& ejus collateralibus, quod talis securitas ei a Rege data, & per consilium Principum suorum firmiter est roborata. Ideoque omni mala suspitione sublata de medio, regiæ petitioni de imponenda ipsi Imperii corona & dies certus ab utraque parte statutus est. Perrexit igitur Rex cum exercitu suo in territorium Sutrinum, & castrametatus est in campo Castro: Pontifex autem civitatem Nepesinam descendit. Et secundo die, occurrentibus multis Teutonicorum Principibus, complurima laicorum, & clericorum multitudine ad sæpe dictum Regem, cum Episcopis, & Cardinalibus usque ad ipsum tentorium cum jucunditate est deductus. Cum autem Rex de more eidem Papæ officium stratoris non exhiberet, Cardinales turbati & valde perterriti abierunt retrorsum, & in prædictam civitatem Castellanum se receperunt, relicto Pontifice in territorio Regis. Quocirca dominus Papa turbatus, & quid sibi foret agendum, incertus, licet tristis, descendit, & in præparato sibi faldistorio sedit. Tunc Rex ad ejus vestigia procidit, & deosculatis pedibus, ad pa-*

Jesu Chr. An. 1155. *cis osculum accedere voluit, cui idem Pontifex protinus locutus est in ista verba &c.* ac oratione sua demonstravit Hadrianus prædecessores in Imperio ob reverentiam Apostolorum Petri, & Pauli, Romanis Pontificibus, dum in urbe essent, stratoris officio fuisse perfunctos, quod cum Friderico persuasisset, alia die motis castris, Fridericus in territorium Nepesinum transiens, *præcessit aliquantulum, et appropinquante domino Papa tentorio Regis, per aliam viam transiens descendit, et occurrens Rex ei, quantum est jactus lapidis, in conspectu exercitus officium stratoris cum jucunditate implevit, et streguam fortiter tenuit. Tum vero Pontifex eundem Regem ad pacis osculum primo recepit.* Hactenus acta de rebus extra Urbem gestis. Ita quidem obsequentem se in omnibus pie sancteque præbuit Pontifici Fridericus, ne prætermittamus in eo quæ sunt laudanda laudare, sicut, & consuevimus detestari in eodem ea, quæ perperam, aut a pietate aliena patravit.

De legatione a Romanis ad Fridericum missa.

8. Dum urbi Fridericus Rex instaret, ac prope Sutrium moraretur, Romani Arnaldisticæ factionis sectatores, legatos quoque suos ad Regem miserunt, ejdem urbis dominium offerentes, ac longa, subdolaque oratione ut Romanorum Rempublicam, Senatumque restitueret, hortati sunt, quorum orationem, & Friderici responsionem, qua eorumdem oblationem non sine indignatione rejecit, ac sprevit, narrat Otto; Quare Romanorum legati festinanter in urbem reversi, se in Adrianam molem receperunt, ut ab ea Regem excluderent, aut pro viribus, irrumpentes eidem resisterent, molestiamque inferrent, ut mox dicturi sumus.

Otto Frising; lib. 2. cap. 22.

Hadrianus Papa Fridericum coronat.

9. Rex autem Romanorum, detectis fraudibus, Hadrianum Pontificem consulendum censuit: *Cui ille*, ut narrat Otto, *Romanæ plebis fili adhuc melius experieris versutiam cognoscens enim in dolo eos venisse, et in dolo rediisse, sed Dei nos adjuvante clementia sua, prævenire eorum poterimus versutas insidias. Maturato igitur præmittantur fortes et gnari de exercitu juvenes, qui ecclesiam beati Petri, Leoninumque occupent castrum. In præsidiis equites nostri ibi sunt, qui eos, cognita voluntate nostra, statim admittent. Præterea Octavianum Cardinalem presbyterum, qui de nobilissimo Romanorum descendit sanguine, fidelissimum tuum eis adjungemus, sicque factum est. Eliguntur proxima nocte pene usque ad*

mille armatorum equitum lectissimi juvenes, summoque diluculo Leoninam intrantes Urbem, ecclesiam B. Petri, vestibulum & gradus occupari observant: Redeunt ad castra nuntii hæc læta reportantes. Hucusque Otto. In litteris ipsius Friderici ad eumdem Ottonem de rebus a se gestis hæc adijciuntur: *Octaviano Cardinale conducente, maxima pars militiæ nostræ nocte per portam parvulam juxta sanctum Petrum intravit, & sic monasterium sancti Petri præoccupavit.* Inde Otto cætera de Imperatoris coronatione summatim perstringit, quæ paulo latius in Actis ipsius Hadriani Papæ ita narrantur: *Post hæc autem versus Urbem simul procedentes, pro eo quod ab eis populus Romanus discordabat (licet munitionem B. Petri in potestate sua Pontifex detineret) placuit tamen, ut in manu valida civitatem Leoninam Rex intraret. Positis igitur extemplo castris, & deliberato festinanter consilio, atque dispositis quæ ad coronationem opus erant: eadem die ante horam tertiam Rex ad gradus sancti Petri armatorum maxima multitudine stipatus accessit: ibique depositis vestibus, quas gerebat, solemniori se habitu induit, & ad ecclesiam beatæ Mariæ in Turri, in qua eum ante altare Pontifex expectabat, profectus est, et manus imponens, consuetam professionem & plenariam securitatem (secundum quod in Ordine continetur) publice exhibuit ipsi* Pontifici. *Relicto ibidem Rege* Pon*tifex ad altare beati Petri conscendit. Cujus vestigia Rex cum processione subsequens ad altare per portas Argenteas, orationem intra ecclesiam in Rota Porphyretica super eundem Regem dixit primus Episcopus Cardinalis, alius ex Episcopis dixit aliam, tertiam vero tertius Episcopus dixit, & unctionem ante confessionem B. Petri nihilominus contulit. Missaque incœpta, & Graduali post Epistolam decantato, Rex ad Pontificem coronandum accessit, & præsentatis Imperialibus signis, gladium, sceptrum, atque Imperii coronam de manibus ejusdem Papæ suscepit. Quo facto, statim tam vehemens & fortis Teutonicorum conclamantium in vocem laudis & lætitiæ vox emissa concrepuit, ut terribile tonitruum de cœlo crederetur cecidisse.* Tempus autem coronationis Friderici Otto Frisingensis ita consignat: *Cum benedictione debita Imperii coronam accepit anno regni sui quarto, mense Junio, decimoquarto Kalend. Julii cunctis, qui aderat, acclamantibus, Deumque super tam glorioso facto glorificantibus.* His autem ipse Fri-

Jesu Chr. an. 1155. Fridericus in epistola ad Ottonem de rebus a se gestis hæc addit: *Missa celebrata ad altare sanctorum Apostolorum* Petri *& Pauli in honorem sanctæ Mariæ Virginis, quia Sabbatum erat, benedictionem coronæ Romani Imperii largiter super caput nostrum effudit.*

Friderici milites cum Romanis præliantur cum romanis.

10. His autem ante horam nonam in pace peractis, populus Romanus, qui clausis portis *apud castrum Crescentii residebat armatus, ignorans quæ facta fuerant, sine consilio & deliberatione majorum, ad civitatem Leoninam paulatim ascendit, & eorum qui remanserant in porticu, spoliis violenter detractis, omnes quos reperit usque ad Imperatoris castra prosequendo fugavit. Invalescentibus autem clamoribus, eorumdemque resonante inopinato tumultu, Teutonicorum exercitus ad arma velociter convolavit, strictis mucronibus ab utraque parte acriter dimicatur. Quid plura? cæsi sunt multi, & plurimi capti. Tandem populus ipse non sine multorum suorum jactura intra portas ipsius castri seipsum recepit. Pontifex autem sicut benignissimus Pastor ac Pius Pater super tanto excessu valde tristis, eidem populo, tanquam suo gregi debita charitate compassus est. Cujus casus relevare desiderans, pro liberatione suorum omnium apud ejusdem Imperatoris clementiam diutius laboravit, & affectuosas preces instanter facere non cessavit, donec universos Urbis captivos de manibus Teutonicorum ereptos, in potestatem Urbis Præfecti* Petri *restitui fecit.*

Fridericus Imp. Tiburtinos, ut Rom. Pontifici subsint, jubet.

11. Imperator autem urbe cum Hadriano egressus Sabinam transiens per Farfam, & Castrum Poli ad pontem Lucanum in vigilia Ss. Apostolorum Petri, & Pauli pervenit, ibique propter instantem solemnitatem substitit; *& ut Ecclesia Dei, & Imperium decori ampliori clarescerent, cum deliberatione statutum est, ut ad laudem Dei, & exultationem christiani populi prædictus Romanus Pontifex & Imperator ad Missarum solemnia in illa die pariter coronati procederent. Dignum namque satis erat, ut illorum duorum Principum Apostolorum solemnia, duo summi Urbis Principes, cum lætitia & magno gaudio celebrarent eorum, qui suscepta a Domino potestate ligandi atque solvendi, portas cœli claudunt & aperiunt quibus volunt*; Cum ibidem Fridericus esset, Tiburtini in Romanos jamdiu infesti, se suaque Imperatori obtulerunt; quos datis litteris, ab auctore vitæ Hadriani Pon-

Pontificis relati, ut Hadriano, successoribusque ejus subessent, hortatus est, ac jussit, *Salvo tamen super omnia Imperiali jure*.

Fridericus in Germaniam redit.

12. Quoniam autem æstivi calores, Germanis militibus infesti adeo erant; ut jam plurimi quotidie deficerent; *instans petitio Principum fuit*, ut Imperator ad propria, *sine dilatione rediret*, ait auctor actorum Hadriani Papæ; Friderici vero Imperatoris iter, gestaque in itinere pluribus prosequitur Otto, ac primum in Spoletinos infestum fuisse adnotat, tum eo quod falsam monetam eidem dederant, vel fraudando summam, qua obnoxii erant, solvere renuerant, cum etiam eo quod *Guidonem quemdam cognomento Guerram*, inter Thusiæ Comites præcipuum, cum ex Apulia, ubi legatus ab Friderico missus fuerat, rediret, comprehenderant, vinctumque tenuerant; Quare Spoletum aggressus funditus delevit, igneque consumpsit; *Cives, qui ferrum, flammamque effugere poterant, in vicinum montem seminudi vitam tantum servantes se recipiunt*, ait Otto, ac ex Friderici epistola subdit, *Inde euntes versus Anconam Paleologum nobilissimum Principem Græcorum, & Maroducum socium ejus cum cæteris Nuntiis Constantinopolitanis obvios habuimus. Qui ut in Apuliam iremus, & hostem utriusque Imperii Vvillelmum potentia virtutis nostræ conterere vellemus, infinitam pecuniam nobis dare spoponderunt. Quia vero militia nostra propter multos labores & bella nimis attrita fuit: placuit magis Principibus redire, quam in Apuliam descendere*.

Fridericus adversus Gulielmum Siciliæ Regem arma inferre meditatur. *Otto Frising. lib.2.cap.11.*

13. Ad Italicam expeditionem Fridericum Imp. ea etiam de causa ab Manuele Comneno Imp. excitatum fuisse scimus, ut arma adversus Gulielmum Siciliæ Regem inferret; Unde antequam cum exercitu Italiam ingrederetur, *ad Manuel Græcorum Imp. tam pro hoc negotio*, idest *pro uxore, ei danda sorore uxoris suæ* Bertha, quam Græci Irenem dixerunt *quam pro Gulielmo Siculo, qui patri suo Rugerio noviter defuncto successerat, utriusque Imperii pervasore debellando, in Græciam legatos destinandos ordinat*, hinc ut non multo post subdit Otto, cum in Anconæ finibus esset Fridericus, Paleologum Græcorum nobilissimum, & Marocum egregium virum ex parte Principis sui Costantinopolitani obvios habuit, cui etiam non parva munera detulerunt; eademque narrans auctor vitæ Hadriani subdit. *Imperator Græcorum ma-*

cap.24. *Murat. to. 3. rer. Ital. pag. 444.*

Jesu Chr. An. 1155. *maximam de thesauro pecuniam per quemdam Principem suum Paleologum misit Anconam &c. Praeterea quinque millia libras auri, eidem Papae*, Hadriano, *ejusque curiae dari promisit*, ut de civitatibus maritimis Apuliae, deque tota Sicilia, Pontifex cum Friderico sociatus, Gulielmum expelleret; Frustra tamen haec omnia cessisse scimus, nam Gulielmus ob instans periculum perterritus, cum Hadriano Papa reconciliatus est, ut ex auctore vitae Hadriani supra diximus; Fridericus vero imminutum ob aeris intemperiem, aestivosque calores, exercitum, in Germaniam revocare coactus fuit, in eamdem quoque rem extant datae vicissim, & acceptae epistolae Friderici ad Emmanuelem Comnenum, & Comneni ad Fridericum, quas in appendice ad Pepanum Graecum scriptorem seculi decimiseptimi in lucem Romae, vulgavit ejus editor Amadutius: ad Vibaldum quoque Stabulensem Abbatem ea de causa litteras Comnenus scripserat; quem maximae auctoritatis apud Fredericum esse sciebat; *Vult igitur*, ait, *Imperium meum, quod rursus etiam tua pratiositas laboret in honorem praenobilissimi Regis, numquam enim inveniet meliorem adjutorem in servitium contra siculum*: & in epistola sequenti de connubio ineundo haec subdit. *De negotio vero connubii de quo praenobilissimus Rex Romae, & dilectus frater Imperii mei nostro declaravit Imperio, remisit ej Imperium meum intentionem suam diffusius cum praesentibus nunciis Imperii mei*. Gulielmus etiam Tyrius, de gestis ab Hadriano, sub Pontificatus sui initio, utrosque Imperatores, *ad occupandum siculum Regnum sollicitat, alterum ore ad os manifeste, quia adhuc erat in Italia, alterum vero per litteras &c.*, ac plura in Apulia, & Campania tunc gesta, vel tentata ibidem commemorat, quae persequi longum esset.

Amaduzi in Pepan. tom. 1. pag. 403. 404.

Gulielm. Tyr. lib. 18. cap. 3. & seqq.

Hierosolym: Patriarchae querela adversus Hospitalarios equites.

14. Interea cum inter Hierosolymitanum Patriarcham, Fulcherium, & Palaestinae Episcopos gravis controversia exortata esset cum Hierosolymitanis equitibus circa decimas praecipue solvendas, a quibus praestandis Hierosolymitani equites, ex Romanae Ecclesiae privilegio se immunes esse ajebant, ex rescripto scilicet Anastasii Papae sibi anno proximo 1154. *Lateranis dato Kal. Novemb. Indict. III.*, cujus litterae inter privilegia Hierosolym: Equitum recensentur; & inter litteras Anastasii Papae. *Post quam ergo*, subdit Gulielmus Ty-

Labb. tom. 10. p. 1138.

Tyrius, *sæpe ac sæpius tam Dominus Patriarcha, quam reliqui Ecclesiarum Prælati apud eosdem Fratres sua jura reposcendo non proficiebant (ut præmisimus) ad Romani Pontificis hinc inde processum est auditorium. Assumens ergo dominus Patriarcha sibi, licet longævus esset, & fere centenarius, de Ecclesiarum Prælatis dominum Tyrensem Archiepiscopum, & de Suffraganeis ejus dominum Fridericum Aconensem Episcopum, Almaricum Siconiensem Episcopum, Dominumque Balduinum Cæsariensem Episcopum, Dominum Renerum Sebastenum Episcopum, Dominum Herbertum Tiberiadensem Episcopum, vernalis temporis gratia respirante, eum primum mare flatibus exagitatum hibernis, spirante favonio, cœpit se reddere placabilius, iter aggressi, auctore domino, Hydruntum Apuliæ urbem maritimam prospero cursu attigerunt.*

Jesu Chr. an. 1155. *Pauli Congreg. Matris Dei diplom. EquitumHierosolym. Tyr. ut supra cap.6.*

15. Eo autem tempore Hierosolymorum Patriarcha cum Palestinæ Episcopis in Italiam, & Hidruntum in Apulia pervenit, cum bellum ibidem adversus Gulielmum Siciliæ Regem, cujus supra mentionem fecimus ferveret; Quare cum Brundusium Orientales Episcopi pervenissent; viam sibi ad Pontificem ab hostibus interclusam videntes, *Habito consilio*, subdit Tyrius, *viam maritimam secutus cum omni comitatu suo Anconam Patriarcha pervenit*; ibique legatos suos ad Fridericum Imp. misit, qui Senogaliam, & Pisaurum in Germaniam pergens, pervenerat, ac pro negotiis suis litteras ab eodem ad Hadrianum Pontificem obtinuit; Deinde Romam versus Patriarcha cum comitatu suo *dirigens, dominum Papam a civitate Narniensi egressum, quasi fugientem prosequebatur. Tandem Romam veniens, ibique per dies aliquot facta mora; eum ei nuntiatum esset, apud urbem Ferentinum dominum Papam gressum fixisse, illuc incunctanter properat, ut de negotio pro quo venerat, experiri tentaret. Dicebant quidam (nempe Papæ adversarii, a quorum ipse ore pendebat) dominum Papam, ut eum tædio afficeret, & gravaret sumptibus, eum studio se declinare: nam muneribus infinitis corruptus, in partem Hospitalariorum dicebatur se dedisse proclivem, qui jam ad eum multo ante prævenerant. Alii dicebant Urbis Beneventanæ gratia, quæ obsidione claudebatur, ut diximus, eum tam maturato advenisse itinere. Illud tamen erat evidens, favorem suum & familiarium suorum*

Hierosolym: Patriarcha & Palestini Episcop. querelas adHadrianm deferunt.

cap.7.8.

Jesu Chr. an. 1155. *rum Hospitalariis nimis indulsisse; dominum vero Patriarcham cum suis quasi adulterinos filios fastu quodam & indignatione a se repellere quasi indignos. Postquam igitur Patriarcha ad prædictam urbem pervenit, obtulit se de more Apostolicis aspectibus: ubi & male receptus & pejus habitus, invitis ex plurima parte Cardinalibus, certum de domini Papæ mentis conceptu & dubitatione reportant argumentum. Ille tamen quorundam prudentum amicorum suorum fretus consilio, totum hoc dissimulans, sicut homo severus erat, dominum Papam frequentabat, diebus festis assiduus erat in Consistorio, Episcoporum suorum cœtu venerabiliter circumseptus: cui etiam Advocatorum turba, quoties opus erat, jugis assistebat, officium adimplere parata. Data igitur utrisque partibus audientia, cum jam per multos dies utrimque inutiliter esset decertatum: videns Dominus Patriarcha, & per quosdam familiares amicos suos intelligens, quod non proficeret; sumpta licentia, conditionem referens deteriorem, confusione indutus & reverentia, aggressus est ad propria redire. De tanta autem Cardinalium turba vix reperti sunt duo vel tres, dominus videlicet Octavianus, Dominus Joannes de sancto Martino, qui ejusdem Domini Patriarchæ, dum esset Tyrensis Archiepiscopus, Archidiaconus fuerat, qui Christum sequens, ejus ministrum in causa sua pie vellent favere. Alii omnes abeuntes post munera, secuti sunt vias Balaam filii Bosor.* Hactenus Gulielmus Tyrius, quem sane Hierosolymitanis equitibus, & Hadriano Pontifici infestum fuisse, ac injurias Hierosolymitano Patriarchæ ab Equitibus illatas exageraſſe vero proximum est, ac Hadrianum Pontificem cum Cardinalibus, virum ab muneribus alienum, summaque justitia præditum calumniis aspersisse inde patet, quod eos tantum Cardinales laudaverit, qui præ ceteris vituperatione digni erant; Octavianus quippe non multo post sub Victoris quarti nomine Antipapa fuit; Joannes vero tituli S. Martini Cardinalis, cum solo Guidone Cremensi postea Antipapa sub nomine Paschalis tertii Octavium elegit; nullam porro in his fidem sibi conciliavit Tyrius, hæc potissimum scribens, cum jam schismate sopito, Alexander tertius Orientali, & Occidentali ecclesiæ præesset.

Hadriani Papæ epist. ad 16. Hadrianus autem Papa de Orientali ecclesia cum Occidentali reconcilianda sollicitus, legatos suos ad Comnenum

nenum Imp. misit Balduinum, & Baldizonem, quibus litteras ad Basilium Thessalonicensem Episcopum deferendas dedit, hoc idem opus eidem commendans; cum enim Comnenus Imp. hoc tempore foedus cum Frederico Imp. iniisset, ac junctis viribus bellum adversus Gulielmum Siciliæ Regem gereret; ut maritimas Calabriæ, Apuliæque urbes Costantinopolitano Imperio recuperaret, de Romani quoque Pontificis gratia sibi comparanda, sollicitum fuisse dubitari vix potest, qua occasione utens Hadrianus Papa legationem ad eum misit, de qua in epistola ad Basilium Thessalonicensem Episcopum occurrit mentio; ac se prædecessorum suorum exempla secutum fuisse testatur, qui post schisma inter Costantiuopolitanam Ecclesiam, & Romanam exortum, non cessarunt Orientales tamquam dragma perditum, vel oves errantes quærere, se quoque legatos in eamdem rem misisse addit, & post plurima; *Quod superest, dilectos nostros Balduinum, & Baldizonium præsentes tabellarios ad dilectissimum filium nostrum Emmanuelem Imperatorem Constantinopolitanum a religioso cœtu missos, dilectioni tuæ studiose commendamus, rogantes ut per dilectionem Dei, beatique Petri, & Sedis Apostolicæ, & pietatis cultum aspectu gratioso in eorum necessitatibus consolationem adhibeat. De tua valetudine cupimus per litteras fieri certiores.*

Basilium Tehssali Episcop. de tollendo Orientalium schisma.

apud Baronium ann. 1155. *n.* 31. 32. 33.

17. Hadriani litteris respondens Basilius, multa quidem in ejus laudem congerit, cujus epistolæ hæc est præfatio. *Legimus tuam epistolam Sanctissime Papa, ex qua perspeximus ingenii tui sublimitatem, humilitatis profunditatem, latitudinem tuæ erga Deum dilectionis & affectionis, per quam non coangustatur Apostolicum cor tuum, quin potius viscera dilatantur ad suscipiendum acquirendumque omnium Ecclesiarum Christianos. Vocem tuam agnovimus per litteras, alloquentem nos ad aures mentisque intima: audivimus loquentem ut patrem, ut pastorem, vel potius Archipastorem. Nam quasi pater filios, qui a te abalienati videntur, sub paternos sinus tuos cogis; eorumque sollicitudinem habes: quasi pastor autem, ut oves errantes revocas, quasi pastorum pastor, pastoralem tuam & divinitus infusam scientiam nos doces, ne greges negligamus, sed totis viribus prospiciamus, ut ei, quod male habet, sedulo medeamur. Audivimus revocantem ad seipsum, & ad vocem tuam conversi sumus &c.* Ægre tamen

Basilii Thessal. Episc. Epist. ad Hadrianum.

Jesu Chr. an. 1155. Basilius tulit, se suosque Orientales, tamquam schismaticos ab Hadriano dictos fuisse. Eamdem quippe fidem ubique ab Orientalibus teneri ac prædicari ait, quam Occidentalis profitebatur ecclesia, & in nonnullis tantum, quæ ad disciplinam pertinebant, se diffidere addidit; ut pluribus ibidem prosequitur; quæ etsi aliquatenus vera sint, negari tamen non potest, ob diversam utriusque ecclesiæ disciplinam schisma ab Orientalibus exortum fuisse, temporis vero tractu in fide etiam claudicasse, ac præcipue de Spiritus Sancti ex Patre, & Filio processione; unde merito S. Bernardus ad Eugenium. *Ego addo*, ajebat, *& de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt, juncti fide, pace divisi; Quamquam & in fide claudicaverunt a semitis rectis*. Sed de gestis hoc anno hactenus.

JESU CHRISTI ANNUS 1156. HADRIANI IV. PAPÆ AN. 3. FRIDERICI IMP. AN. 2. MANUELIS COMNENI IMP. AN. 14.

Pax inter Hadrianum Pap. & Gulielmum Reg. firmatur.

1. Ob susceptum ab Hadriano Papa in Apulia bellum adversus Gulielmum Siciliæ Regem res ibidem undique turbatas fuisse anno proximo diximus. Hoc autem anno, cum Gulielmus non semel Græcis, & Apuliæ Ducibus Roberto de Loritello, Andrea de Rupecanina, Roberto Capuano, aliisque, qui adversum se rebellaverant, fugatis victisque, Beneventum usque, ubi Hadrianus Papa morabatur, victor transiisset, ut pluribus Romualdus, qui his interfuit, Gulielmus Tyrius, ceterique chronologi, narrant Cecanus, Falcaldus Anonimus Cassinensis &c. tunc Hadrianus Papa, ut Beneventanis quoque consuleret, ac ab Regis ira eriperet, *Nunciis intervenientibus*, ait Tyrius, *conditionibus occultis*, lib.19. n.8. *reformata est pax inter eos*, *exclusis omnibus aliis a fœdere*, Græcis scilicet, & Apuliæ Principibus, *qui Domini Papæ jussionibus tantis se laboribus immerserunt*, *& periculis*, unde alii sponte exules facti sunt, alii ad Fridericum Imp. confugerunt; Robertus autem Princeps Capuæ in Trajectu oppido prope Garilianum, dum fluminis transitum tentaret, captus, & in Siciliam perductus obcæcatus in carcere *miserabiliter vitam finivit*, ait Tyrius; De concordia inter Hadrianum, & Gulielmum inita hæc narrat Aragoniensis in vita Hadriani: *prædictus Dominus Hadrianus venerabiles viros Hu-*

Hubaldum tituli S. Praxedis, *item Julium tituli S. Marcelli, & Rolandum tituli S. Marci Sedis Apostolicæ Cancellarium, præsbyteros Cardinales ad Regem direxit, quatenus ex parte B. Petri eumdem commonerent, ut ab ejus offensis omnino cessaret, de illatis damnis satisfaceret, & jura matris suæ sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ ipse pacifice conservaret. Quibus benigne susceptis, atque tractatis, post mutuam collocutionem, & diversorum altercationem capitulorum, Rex ipse cum eodem* Papa, *eis mediantibus, concordavit. Et veniens Rex ipse ad Ecclesiam S. Marciani juxta Beneventum positam, ad pedes ejusdem Pontificis humiliter se prostravit, & ligium homagium, & fidelitatem coram circumstantium maxima Episcoporum, Cardinalium, Comitum, Baronum, & aliorum multitudine, Ottone Frangipane juramentum pro eo interponente, ipsi fecit. Recepto itaque dicto Rege ad pacis osculum collatis magnis muneribus ex auro & argento, & sericis pannis Pontifici, ejusque fratribus, & toti ejus Curiæ, ab invicem læti, & cum gaudio discesserunt.* Hucusque de his auctor vitæ, ac subdit, in reditu ad urbem, per Montem Casinum & per Marsicana montana Narniam pervenisse Hadrianum indeque ad Urbevetanam civitatem, quam nuper ad subjectionem Rom. ecclesiæ reduxerat, transiisse, ibique ab clero, & populo cum lœtitia exceptus, moram aliquandiu ibidem fecit, appropinquante autem hyeme ad Viterbii castrum descendit, *& exinde ad urbem, & Lateranense consistorium*, seu Palatium, *cum gloria, & honore debito remeavit.*

Jasu Chr. an. 1156. *Murat. tom. 3. rer. Ital. pag. 445.*

Hadrianus Urbemveterem recuperat, in urbem redit.

2. De reintegrata pace inter Hadrianum, & Gulielmum extat tum diploma Regis ad Hadrianum, cum litteræ Pontificis ad Gulielmum; diplomatis Gulielmi hic est titulus. *In nomine Dei æterni, & Salvatoris nostri Jesu Christi Amen. Domino Hadriano Dei gratia S. R. C. Summo Pontifici charissimo Domino, & patri nostro Reverendo, ejusque successoribus, Villelmus eadem gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, &* Principatus *Capuæ &c.* ac se pacis & concordiæ amatorem semper fuisse ait; Quapropter victis jam Græcis, & barbaris, fugatisque turbatoribus pacis, ac seditiosis; nihilominus subdit, *discordiis illis, quæ inter Rom. ecclesiam fuerant agitatæ, finem congruum imponere cupientes, cum appropinquassemus civitati Beneventi, & inimici nostri ante fa-*

Gulielmi Regis diploma ad Hadrianum.

Jesu Chr, an. 1156.

ciem indignationis nostræ fugissent, venerabiles Cardinales vestros Hubaldum tituli S. Praxedis, & Julium tituli S. Marcelli presbyteros Cardinales, & cum eis Rolandum tituli S. Marci presbyterum Cardinalem, & Cancellarium vestrum, quos ad nostram præsentiam direxistis, eo quo decuit honore suscepimus, & desiderium ac monita vestra de bono pacis ex ore ipsorum libenti animo audientes, ipsis, & Majone magno Ammirato Ammiratorum dilecto fideli & familiari nostro, & Hugone Panormitano, & Romualdo Salernitano venerabilibus Archiepiscopis, & Vuillelmo Calano Episcopo, & Marino Cavensi Abbate fidelibus nostris mediantibus, in hunc vobiscum per eos pacis devenimus concordiæque tenorem; videlicet ut de capitulis illis, de quibus inter majestatem vestram, & nos controversia vertebatur, quod subscriptum est, observetur &c.

Pacis conditiones inter Hadrianum, & Gulielmum

3. Inter pacis conditiones prima hæc fuit, ut appellationes ad Apostolicam sedem liberæ essent; Translationes Episcoporum nonnisi necessitate, aut utilitate suadente non fierent; *Consecrationes, & visitationes libere Rom. ecclesia faciet Apuliæ vel Calabriæ Civitatum ut voluerit, aut illarum partium quæ Apuliæ sunt affines, civitatibus illis exceptis, in quibus persona nostra, vel nostrorum hæredum in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, nisi cum voluntate nostra nostrorumque hæredum. In Apulia, & Calabria, & partibus illis quæ Apuliæ sunt affines, Romana Ecclesia libere legationes habebit. Illi tamen, qui ad hoc a Romana Ecclesia fuerint delegati, possessiones Ecclesiæ non devastent. In Sicilia quoque Romana Ecclesia consecrationes & visitationes habeat, & si de Sicilia personas aliquas Ecclesiastici ordinis vocaverit, magnificentia nostra, nostrorumque hæredum pro Christianitate facienda, vel pro suscipienda corona, remoto malo ingenio, retinebit quas providerit retinendas. Cætera quoque ibidem habebit Romana Ecclesia, quæ habet in aliis partibus regni nostri, excepta appellatione & legatione, quæ nisi ad petitionem nostram & hæredum nostrorum, ibi non fient. De Ecclesiis & monasteriis terræ nostræ, de quibus Romanæ Ecclesiæ quæstio mota fuit, sic fiat: Vos quidem, & vestri successores in eis habebitis eas, quæ in cæteris Ecclesiis, quæ sub nostra potestate consistunt, solitæ sunt accipi consecrationes, & benedictiones a Romana Ecclesia; & debitos insuper & statu-*

tos

tos ei census exolvent. De electionibus quidem ita fiat. Clerici conveniant in personam idoneam, & illud inter se secretum habebunt, donec personam illam excellentiæ nostræ pronuncient, & postquam persona celsitudini nostræ fuerit designata, si persona illa de proditoribus, aut inimicis nostris, vel hæredum nostrorum non fuerit, aut magnificentiæ nostræ non extiterit odiosa, vel alia in ea causa non fuerit, pro qua non debemus assentire, assensum præstabimus. Profecto vos nobis, & Rogerio Duci filio nostro & hæredibus nostris, qui in regnum pro voluntaria ordinatione nostra successerint, concedetis regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis suis, Neapolim, Salernum, & Malphiam cum pertinentiis suis, & Marchiam, & alia quæ ultra Marsicam debemus habere, & reliqua tenimenta, quæ tenemus, a prædecessoribus nostris hominibus sacrosanctæ Rom: Ecclesiæ jure detenta, & contra omnes homines adjuvabitis honorifice manutenere. Pro quibus omnibus vobis, vestrisque successoribus, & S. R. E. fidelitatem juravimus, & vobis ligium homagium fecimus, sicut continetur in duobus similibus Capitularisbus, quorum alterum penes vestram majestatem sigillo vestro signatum penes nos habetur. Et censum sexcentorum schifatorum de Apulia & Calabria, quingentorum vero de. Marchia, vel æquivalens in auro, vel argento nos ac nostros hæredes Romanæ Ecclesiæ statuimus annis singulis soluturos, nisi forte impedimentum aliquod intercesserit, quo cessante, census ex integro persolvetur. Omnia vero prædicta, quæ nobis concessistis, sicut nobis, ita etiam & hæredibus nostris concedetis, quos pro voluntaria ordinatione nostra statuerimus, qui sicut nos, vobis vestrisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem facere, & quæ præscripta sunt, voluerint observare. Ut autem quæ supra dicta sunt, tam vestro quam vestrorum successorum tempore obtineant perpetuam firmitatem, nec nostris, aut nostrorum hæredum temporibus alicujus valeant præsumptione turbari, præsens scriptum per manum Matthæi nostri Notarii scribi, ac bulla aurea nostro Typario impressa insigniri, ac nostro signaculo decorari jussimus. Datum ante Beneventum per manus Majoris magni Ammirati Ammiratorum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo sexto, mense Junii, quartæ Indictionis, anno vero regni Dom. Vuillelmi Dei gratia magni.

JESU CHR. AN. 1156. *gnifici & gloriosissimi Regis Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno sexto*, ex quo regnare cœpit cum Rogerio patre, ut Romualdus, & Falcaldus narrant in chronico.

Hadriani Papæ litteræ ad Gulielmum Regem. *Labb. tom. 10. epist. 8.*

4. Pacis conditiones litteris ad Gulielmum datis confirmavit Hadrianus Papa, in quibus pro pastoralis officii munere, se omnes, & maxime Reges, sublimioresque personas ad pacem servandam cohortari debere adnotat; *Quod siquidem nos, dilectissime in Christo fili Villelme eximie diligentius attendentes & inspicientes pariter, quantæ utilitates Romanæ Ecclesiæ valeant provenire, si celsitudo tua per firmam pacem ei & concordiam conjungatur: dum in civitate Beneventana securi & liberi cum fratribus nostris essemus, ad pacem tecum habendam diligenti studio decrevimus intendere. Misimus ergo ad excellentiam tuam quosdam fratrum nostrorum, scilicet ut supra, & proposuimus per eos nostrum de bono pacis & concordiæ desiderium, & incitavimus attentius, & monuimus excellentiam tuam ad pacem. Et illius inspirante virtute, qui ad cœlum iturus Discipulis suis ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: talem animum tuum invenimus, qualem filii pacis & Catholici Principis decuit inveniri. Et mediantibus præfatis filiis nostris &c.* ut supra, *in hanc formam pacis libera, & spontanea voluntate nostra devenimus: Ut videlicet de capitulis illis, de quibus inter nos & excellentiam tuam controversia est, per omnia &c.* ut supra in proxime scripta Regis est conclusione: his addit: *Ut autem quæ supra diximus, tam nostro, quam successorum nostrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, & nec tuis, nec tuorum hæredum temporibus alicujus valeant præsumptione turbari: nos ea de communi consilio, & voluntate fratrum nostrorum auctoritate Apostolica confirmamus, & valitura in perpetuum præsentis scripti pagina communimus, & tam a nobis, quam a nostris successoribus perpetuis temporibus statuimus observanda. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostræ concessionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare voluerit, omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus indignationem incurrat, Amen*: ac datum est eadem die, qua Gulielmi diploma signatum fuit.

Pax inter Hadrianum, &

5. Has pacis conditiones concordiamque initam ab Gulielmo cum Pontifice utrisque Imperatoribus Friderico, & Ma-

Manueli, invisam fuisse, sicuti etiam Cardinalibus plurimis, qui Imperatoris gratiam, & amicitiam promereri satagebant, extra dubium est; etenim cum bellum Gulielmo siculo inferre meditaretur Fredericus, ac anno proximo pro viribus intulisset, hanc cum Rom. Pontifice societatem sibi ob futuram persensit, atque hinc in Romanum Pontificem iræ, diffidiaque exorta sunt de quibus infra. Cardinales vero Imperatoris partibus addicti, idipsum non multo post publicis litteris testati sunt, quas Radevicus refert, *Ex quo contra honorem ecclesiæ Dei & Imperii amicitia inter dominum Papam Hadrianum, & Willelmum Siculum apud Beneventum facta est, dissensio & discordia non modica inter Cardinales S. R. E. non sine causa oborta est: nobis scilicet qui honorem & dignitatem sanctæ Dei Ecclesiæ & Imperii nullatenus diminui volebamus, amicitiæ, quæ facta fuerat in detrimentum Ecclesiæ, & Imperii, nequaquam consentientibus: alii vero, qui pecunia, & multis promissionibus obcæcati jam dicto Siculo tenebantur astricti, conventionem ipsam taliter, ut diximus, fabricatam nequiter defendentibus, & quamplures in partem sui erroris attrahentibus, nostro conatui & voluntati totis nisibus pertinaciter resistentibus. Proinde procedente tempore cum jam fama ferret, Imperatorem Italiam intrasse, & plurimam ejus partem suæ potestati subjugasse, prædicti fratres Siculo astricti dominum Papam sollicitare & circumvenire omni sagacitate cœperunt, qualiter aliqua occasione assumpta, dominus Imperator, & omnes sequaces ejus excommunicationi subderentur, & nos ad id faciendum una cum eis juramento astringeremur. Nos autem e contra diximus, potius Siculum excommunicandum, qui omnia jura ecclesiæ tam spiritualia, quam temporalia violenter abstulerat, quam Imperatorem, qui Ecclesiæ Romanæ & Imperii jura fideliter laborabat recuperare, & Ecclesiam de servitute ad libertatem reducere &c.* At quam egregie mentiti sint isti, sæpius postea significaverunt eventa, cum nihil magis in animo firmum idem Imperator haberet, quam Romanam Ecclesiam suæ ipsius, & successorum suorum subiicere servituti, omnique libertate nudare.

Jesu Chr. an. 1156. Gulielmum Frederico Imp. & Cardinalibus invisa.

Radevicus l. 2. cap. 52. apud Murat. tom. 6.

6. Hoc ipso anno, ut narrat Dodechinus in chronico, *Fridericus Imperator Agnetem Principis Burgundiæ filiam*, seu potius Beatricem dictam, ait Otto: filiam Rainaldi Burgundiæ Ducis *uxorem duxit, repudiata priori legitima uxore apud*

Friderici nuptiæ cum Beatrice.

JESU CHR. AN. 1156. *Otto Frising. lib. 2.29.30.*

apud Constantiam. Unde in Ecclesia gravissimum exortum est schisma. Hæc ipse. Divortium autem factum fuisse per Legatos Apostolicæ Sedis, tradunt Otto Frisingensis, nec non Gunterus Ligurinus: causam autem intercessisse jus consanguinitatis, quo impediretur ejusmodi contrahi matrimonium. Has autem nuptias hoc anno, post Pentecostem celebratas fuisse, ait Otto ac subdit: *Quam Imperator in matrimonio sortitus, non solum Burgundiam, sed & Provinciam jamdiu ab Imperio alienatas, sub uxoris titulo possidere cœpit.*

Græci fraudulenter Campaniam invadunt.

7. Interea Guibaldus Corbejensis Abbas e Græcia rediens ad Fridericum venit, ait Otto, is quippe ab Frederico illuc missus fuerat, ut Manuelem Imp. sibi sociaret; adjutoremqne haberet in bello adversus Gulielmum Siciliæ Regem suscipiendo, ad quem, ut anno 1151. diximus, duas Epistolas Manuel Imp. dederat ab Martene editas, ac iterum in appendice ad Pepanum tomo primo ab Amadusio vulgatas; legati autem Græcorum, qui cum eo advenerant, non sunt admissi, eo quod nimio cum fastu loquuti essent, ac insigni inventa fraude in Campaniam, & Apuliam irruissent; nam cum ab eo iidem legati *circa Anconam recessissent, litteras quosdam sigillo suo clausas per subreptionem acceperant*, iisque ostensis Maritima sibi loca Campaniæ, & Apuliæ ab Imperatore sibi concessa fuisse mentientes, ab exulibus etiam Principibus adjuti, quorum supra mentionem fecimus, & indigenas auctoritate Imperatoris terrendo, auroque corrumpentes, totam pene provinciam ad suam ditionem inclinaverant, ac Barim usque progressi expugnarunt; cum præcipue tunc fama vulgasset, *non solum per vicinas regiones, sed & ad nos usque pervenit Gulielmum vel vitam finiisse, vel ex vi morborum sensum amisisse*, ait Otto; Quare ut Grecorum fraudes Federieus cognovit, indigne hæc ferens, an Manuelis legatos conspectui suo admitteret anceps erat; *Tandem inclinatus quorumdam precibus, audientiam eis præstare disponit, & ob hoc dies eis in Norico castro mense Julio præscribitur*; Interea etsi Fridericus Imp. Gulielmum odiisset, nolens tamen ab exteris, seu Græcis Apuliæ, vel Campaniæ oppida possideri, bellum iis inferri statuerat; At ut cognovit Græcorum temeritatem, ac perfidiam a Gulielmo repressam fuisse; datis patruo suo Ottoni Frinsingensi Episcopo litteris, Principes ab ea expeditione suscipienda liberavit, ac adversus Mediolanen-

nenses iram suam & arma convertit; unde ut post Pentecostem anni proximi ad eam expeditionem parati essent, Principes iisdem litteris, ab Ottone historiæ suæ insertis, admonuit; sed de his infra.

Joannis Salesburiensis cum Hadriano congressus.

Joann. Salisb. in Policratico l. 8. 23.

8. Cum ad urbem hoc tempore Joannes Salisburiensis advenisset, ab Hadriano Papa benigne exceptus, quantum ab Apostolico honore, & onere, aut ecclesiarum sollicitudine premeretur, cum eo conquestus est, ut idem Joannes his verbis narrat. *Dominum Hadrianum, cujus tempora felicia faciat Deus; hujus rei testem invoco, quia Romano Pontifice nemo miserabilior est, conditione ejus nulla miserior. Et licet nihil aliud lædat, necesse est ut citissime vel solo labore deficiat. Fatetur enim in ea Sede se tantas miserias invenisse, ut facta collatione præsentium, tota præcedens amaritudo, jucunditas & vita felicissima fuerit. Spinosam dicit Cathedram Romani Pontificis, in tantum acutissimis usquequaque consertam aculeis, tantæque molis, ut robustissimos premat, & terat, & comminuat humeros: coronam, & phrygium clara merito videri, quoniam ignea sunt. Se numquam a natali solo Angliæ malle exisse, aut in claustro B. Rufi perpetuo latuisse dicit, quam tantas (nisi quia divinæ dispensationi reluctari non audet) intrasse angustias. Dum superest, ipsum interroga, & crede experto. Hoc etiam mihi sæpissime adjecit, quod cum de gradu in gradum a claustrali clerico per omnia Officia in Pontificem summum ascenderit, nihil unquam felicitatis, aut tranquillæ quietis vitæ priori adjectum est ab ascensu. Et ut verbis ejus utar (nihil enim cum præsens sum, sui gratia vult apud se absconditum esse ab oculis meis) in incude (inquit) & malleo semper dilatavit me Dominus, sed nunc oneri, quod infirmitati meæ imposuit, si placet, supponat dexteram, quoniam mihi importabile est.*

Quanta in Rom. ecclesiam ubique jactarentur.

Joann. Salisb. in Policrat. lib. 6. 24.

9. Et iterum de congressu cum Hadriano habito Beneventi idem auctor; *Memini me causa visitandi Dominum Hadrianum Pontificem quartum, qui me in ulteriorem familiaritatem admiserat, profectum in Apuliam. Mansi cum eo Beneventi ferme tres menses. Cum itaque, ut fieri solet inter amicos, sæpe plurimis conferremus, & ipse quid de Ecclesia Romana sentirent homines, a me familiarius & diligentius quæreret: ego apud eum usus spiritus libertate, mala, quæ in diversis provinciis audieram, patenter exposui. Sicut enim dicebatur a multis, Romana Ecclesia, quæ mater omnium ec-*

Jesu Chr. an. 1156. *clesiarum est, se non tam matrem exhibet aliis, quam novercam. Sedent in ea Scribæ & Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in Clero, nec forma fiunt gregi qui recto calle pergit ad vitam: pretiosam suppellectilem congerunt, auro & argento onerant mensas, sibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus, quam vana gloria introducit. Concutiunt ecclesias; lites excitant, collidunt Clerum, & populum, laboribus & miseriis afflictum nequaquam compatiuntur, ecclesiarum lætantur spoliis, & quæstum omnem reputant pietatem: justitiam non tam veritati, quam pretio reddunt: omnia namque cum pretio hodie, sed nec cras aliquid sine pretio obtinebis. Nocent sæpius, & in eo demones imitantur, quod tunc prodesse putantur, cum nocere desistunt, exceptis paucis, qui nomen & officium pastoris implent, sed & ipse Romanus Pontifex omnibus gravis & fere intolerabilis est. Præterea omnes arguunt, quod ruentibus & collabentibus ecclesiis, quas Patrum construxit devotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit, & ipse non modo purpuratus, sed deauratus incedit. Palatia splendent sacerdotum, & in manibus eorum Christi sordidatur Ecclesia. Provinciarum diripiunt spolia, ac si thesauros Crœsi studeant reparare. Sed recte cum eis agit Altissimus, quoniam & ipsi aliis, & sæpe vilissimis hominibus dati sunt in direptionem. Et ut opinor, dum sic in invio erraverint, numquam deerit eis flagellum Domini. Os siquidem Domini locutum est: Quia quo judicio judicaverint, judicabuntur, & sua mensura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non novit. Hæc, inquam, Pater, loquitur populus, quandoquidem vis ut illius tibi sententias proferam. Et tu, inquit, quid sentis? Angustiæ inquam sunt undique. Vereor enim ne mendacii, vel adulationis contraham notam, si solus populo contradixero. Sin autem, reatum vereor majestatis, ne tamquam qui os meum in cœlum posuerim, crucem videar meruisse. Verumtamen quia Guido Clemens sanctæ Potentianæ presbyter Cardinalis populo testimonium perhibet, ei usquequaque contradicere non præsumo. Asserit enim in Romana Ecclesia quandam duplicitatis esse radicem, & fomentum avaritiæ, quæ caput & radix est omnium malorum. Neque id quidem in angulo, sed confidenti-*

bus

bus fratribus, sancto Eugenio præsidente, quando adversus innocentiam meam Ferentini gratis exanduerant, hoc publice protestatus est. Unum tamen audacter conscientia teste profiteor, quia nusquam honestiores clericos vidi, quam in Ecclesia Romana, aut qui magis avaritiam detestentur. Quis Bernardi Redonensis sanctorum Cosmæ & Damiani diaconi Cardinalis continentiam contemptumque pecuniæ non miretur? Nondum natus est a quo munus acceperit. Quod tamen a communione fratrum sinceriore jure proveniebat, interdum accipere persuasus est. Quis non stupeat Episcopum Prænestinum, qui scrupulum conscientiæ metuens, & a participatione bonorum communium abstinebat? Plurium tanta modestia, tanta gravitas est, ut Fabricio non inveniantur inferiores, quem agnita salutis via, modis omnibus antecedunt. At licet bonus Christi odor in Ecclesia nunquam desit: muscæ tamen morientes perdunt odorem unguenti. Sed pergit: *Quia ergo instas, urges, præcipis, cum certum sit, quod Spiritui sancto mentiri non licet, fateor, quia quod præcipis, faciendum est, etsi non sitis omnibus operibus imitandi. Nam qui a doctrina vestra dissentit, aut hæreticus, aut schismaticus est. Sed Deo propitio sunt, qui non omnium vestrum opera imitentur. Paucorum ergo labes sinceris maculam, & universali Ecclesiæ ingerit. Et in ea opinione frequentius moriuntur, ne totam corrumpant Ecclesiam. Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitia immutentur, & quia Roma corrupta apud Deum his reperitur indigna. Tu ergo quia id habes officii, quære & insere humiles, vanæ gloriæ & pecuniæ contemptores. Sed timeo ne dum pergis quærere quæ vis, ab imprudente amico audias quæ non vis. Quid est Pater, quod aliorum discutis vitam, & te ipsum minime perscrutaris? omnes applaudunt tibi. Pater omnium vocaris & dominus, & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo Pater es, quare a filiis munera & retributiones expectas? Si Dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repressa, eos ad fidem non revocas? At Urbem vis Ecclesiæ tuis muneribus conservare. Nunquid eam sic Sylvester muneribus acquisivit? In invio Pater es, & non in via. Eisdem est conservanda muneribus, quibus est acquisita. Quod gratis accepisti, gratis dato. Justitia Regina virtutum est, & erubescit quovis pretio permutari. Si gratiosa futura est, sit gratui-*

JESU CHR. AN. 1156.

JESU CHR. AN. 1156.

tuita. Nequaquam prostituatur ad pretium; quæ corrumpi non potest. Integra est, & semper incorrupta: Dum premis alios, & tu gravius opprimeris. Risit Pontifex, & tantæ congratulatus est libertati: præcipiens, ac quotiens sinistrum aliquid de ipso meis auribus insonaret, hoc ei sine mora nuntiarem. Et cum plurima nunc pro se, nunc contra se respondisset, apologum hujusmodi mihi proposuit: ait ergo: Accidit, ut adversus stomachum membra omnia totius corporis conspirarent, tanquam adversus eum, qui voracitate sua labores omnium exhauriret. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu, laboribus insistunt manus, pedes ab itinere callum induunt, ipsaque lingua utiliter sermonem & silentium moderatur. Omnia denique membra publicis invigilant commodis, & in tanta sollicitudine omnium & labore, solus quiescit venter, & cum omnia parata fuerint, quæ labor multiplex acquisivit, solus omnia devorat, & consumit. Quid multa? Condixerunt ut a laboribus abstinerent, & gravi inedia conficerent illum inertem & publicum hostem. Exacta est sic una dies, secuta est altera tædiosior: tertia adeo perniciosa fuit, ut fere omnibus defectum indiceret. Urgente itaque necessitate, fratres iterum in unum convenerunt, acturi de salute sua, & hostis publici statu. Cum vero omnes assisterent, oculi languerunt, pes molem corporis non erexit, torpebant brachia, sed & ipsa lingua iners, & deficienti palato, sociota, causam communem exponere non præsumpsit. Ad cordis ergo consilium omnia redi erunt, ibique, habita deliberatione ratio patefecit, quoniam hæc mala ingerebat, qui ante denuntiatus fuerat publicus hostis. Ex quo enim ei tributa subtracta sunt, & ipse quasi publicus dispensator omnibus alimenta subduxit. Et quia nemo potest sine stipendiis militare, cum stipendia non procedunt, debilitatur & frangitur miles. Sed nec in dispensatorem poterat culpa refundi, qui quod non acceperat, minime potuerit aliis erogare, longeque tutius esse, ut ei quod distribuat, ministretur, quam illo evacuato, omnia membra esuriant, factumque est ita. Suadente ratione impletus est venter, refocillata membra, & pax omnium reformata. Absolutus est itaque stomachus, qui licet vorax sit, & avidus alieni, non sibi tamen petit, sed aliis, quæ eo exinanito nequeunt sustentari. Tale est, inquit, frater, si recte attendas, in corpore Reipublicæ, ubi licet plurimum appetat ma-

magistratus, *non tam sibi quam aliis coacervat*. *Si enim exinanitus fuerit*, *nihil est quod membris valeat impartiri*. *Nam stomachi in corpore*. *& Principis in Republica idem officium est &c.* Hæc ob collectionem decimarum, quas in omnibus provinciis Romani Pontifices colligere solerent, quarum loco successerunt Annatarum solutiones, quæ cujuscunque ingressu Sedis, taxata summa solvuntur. *Noli ergo* (inquit Hadrianus) *neque nostrum*, *neque secularium Principum duritiam metiri*, *sed omnium utilitatem attende*. Hactenus congressus Joannis cum Hadriano Pontifice, dignus Baronio habitus, ut pene integer annalibus insereretur.

Jesu Chr. an. 1156.

Petri Venerab. Cluniacensis Abbatis obitus.

10. Hoc desinente anno, eadem fere hora qua de Virgine matre natus est Dei Verbum, *pro hominibus homo factum*, Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis obiit, Cluniacensis ordinis, quin & ecclesiæ totius decus & ornamentum, cujus pro ecclesia zelum probant editæ ab eo lucubrationes contra Petrobusianos hæreticos, contra Judæos, & Mahumetanos, ejusdem vero pietatem, aut pro monastica disciplina tuenda sollicitudinem epistolæ ab eo scriptæ testantur; omnia ejusdem opuscula in bibliotheca Cluniacensi, alibique extant una cum vitæ ejus compendio. Petri vitam Radulphus monachus discipulus ejus digessit, ac Stephano Cluniacensi, secundo post Petrum Abbati dicavit, sed multo breviorem, quam tanti viri meritum postularet ait Mabillonius Annal. lib. 80. num. 106., scripta a Dupinio, Caveo, Oudinio aliisque recensentur; quos lector curiosus adire potest.

Hugo Cluniacensis Petri successor.

11. Post Petri obitum, ubi de successore eligendo actum est, monachorum aliqui tumultuarie quemdam extraneum, scilicet *Robertum Grassum*, *cognatum Comitis Flandriæ*, *pro parentela*, inquit Robertus de Monte, idest ob splendorem generis, elegerunt, reclamantibus ceteris maturioris judicii, maxime iis, qui *de eodem monasterio ad pastoralem curam assumpti fuerant*, ex quibus unus fuit haud dubie Henricus Episcopus Vintoniensis, qui tunc Cluniaci demorabatur. Cum electioni suæ multos adversari videret Robertus, Romam cum suis fautoribus properavit, ut electionem suam ab Hadriano Papa confirmari curaret. At contra accidit, nam ille depositus, & in reditu cum sociis suis morte interceptus est, testante Roberto de Monte. Unde in serie abbatum Cluniacensium locum non habuit. Itaque Hugo prior Cluniacensis crea-

Jesu Chr. an. 1156.

creatus est Abbas, ejus nominis tertius, sicque Cluniacensi familiæ pax & tranquillitas reddita est; qua de re Petrus Cellensis Hugoni novo abbati gratulatur his verbis. *Serenior post nubila dies succedit: dulcedo crescit ex amaritudine præcedenti: ruina statum amplius commendat.* Hæc, & alia Petrus Cellensis.

Neophitis, seu Constantini CP Patriarchæ obitus, cui Lucas succedit.

12. Cum biennio Neophitus, seu Constantinus, ut ad annum 1153. diximus, CP sedem tenuisset, e vita hoc anno excedens, Lucam Chrysobergem dictum, successorem habuit, qui eamdem sedem per annos quindecim circiter, seu ad annum usque 1169. obtinuit, de cujus gestis nonnulla infra adnotabimus.

JESU CHRISTI annus 1157. Hadriani IV. an. 4.
Friderici Imp. III.
Manuelis Comneni Imp. an. 15.

Dissidia inter Hadrianum Papam, & Fridericum Imp.

1. Pacem cum Gulielmo Siciliæ Rege ab Hadriano initam egerrime Fridericum tulisse anno proximo diximus; hinc dissidia inter utrumque exorta sunt, quæ in immensum temporis tractu sub Alexandro tertio Hadriani successore aucta, in apertum schisma prodiere de quibus infra dicturi sumus. Interea cum Lundensis Archiepiscopus, non vero Londinensis in Anglia, ut post Radevicum ait Baronius, in Daniam hoc tempore reversurus, ut narrat Saxo Grammaticus Eskylus nomine, qui in urbem profectus ab Hadriano Papa Apostolicæ sedis legatus in Dania dictus fuerat, *ut quicumque maximi Svenonum Pontifices creandi essent, pallio a curia dato per Lundensem insignirentur Antistitem, eamque sedem pro patrio venerarentur obsequio*, idest tamquam Metropolitanum agnoscerent; Is itaque in Svetiam, & Daniam ex urbe rediens, ab impiis, & nefariis hominibus captus, & rebus omnibus expoliatus, in carcerem conjectus fuerat, ibique longo tempore detentus; Immane facinus cum dissimularet Fridericus Imp., ad eum Hadrianus Papa legatos misit; tum ut eumdem sibi reconciliaret, cum ut ad vindictam sceleris in Lundensem Episcopum admissi excitaret; At quem sibi benevolum Hadrianus reddere curaverat, cum hoc anno ad eum devenissent legati, exasperatum sensit.

Hadriani le-

2. Cum itaque hoc anno Fridericus apud Bisuntium in Bur-

Burgundia, (Besanzon) curiam celebraturus adesset, ut Burgundiæ possessionem iniret, quo convenerunt, ut narrat Otto & Radevicus, *diversarum nationum, utpote de Dacia Pannonia, Italia, seu de Burgundia, diversæ legationes ibique omnibus fere Burgundiæ primoribus adunatis multisque exterarum gentium, Thuscis, Venetis, Italis, Francis, Anglis, & Hispanis per legatos suos Imperatoris adventum præstolantibus, festivissimo apparatu, & solemni excipitur*, Fridericus scilicet, ac ibi quoque Hadriani legati excepti sunt, *Personæ*, autem, *nunciorum*, ut Radevicus addit, *erant Rolandus tituli S. Marci Presbyter Cardinalis & Cancellarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Bernardus sancti Clementis presbyter Cardinalis, ambo divitiis, maturitate, & gravitate insignes, & pene omnibus aliis in Romana Ecclesia auctoritate majores. Causa vero adventus eorum speciem sinceritatis videbatur habere, sed fomentum & occasionem malorum latuisse, postmodum evidenter deprehensum est. Principe ergo die quodam a strepitu & populi tumultu declinante in cujusdam Oratorii privatiore recessu, prædicti Nuntii in conspectu ejus deducti, ab eoque ut oportebat, sicut qui boni se nuntii bajulos assererent, benigne & honeste recepti sunt: exordium autem sermonis illorum in fronte ipsa notabile comparuit, quod tale fuisse dicitur. Salutat vos beatissimus noster Papa Hadrianus, & universitas Cardinalium S.R.E. ille ut pater, illi ut fratres, paucisque interpositis, literas, quas ferebant, pertulere.*

JESU CHR. AN. 1157. gatio ad Frider. Imp. *Radev. l. 1. 8.*

3. Atque his a Radevico historiæ suæ insertis, hæc Pontifex ajebat. *Imperatoriæ majestati paucis retractis diebus recolimus scripsisse, illud horrendum, & execrabile facinus, & piaculare flagitium tempore nostro commissum in Teutonicis partibus, sicut credimus, aliquando intentatum, excellentiæ tuæ ad memoriam revocantes, non sine grandi admiratione ferentes, quod absque digna severitate vindictæ usque nunc transire passus sis tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noster E. Londonensis Archiepiscopus, dum a Sede Apostolica remearet, a quibusdam impiis & scelestis (quod sine grandi animi mœrore non dicimus) in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodia teneatur: qualiter etiam in ipsa captione prædicta, viri impietatis, semen nequam, filii scelerati in eum, & in suos evaginatis gladiis violenter exarse-*

Hadriani Papæ epist. ad Fridericum Imp. *Labb. to. 2. epist. 2. Radev. lib. 1. 9.*

JESU CHR. AN. 1157. *ferint, & eos ablatis omnibus, quam turpiter atque inhoneste tractaverint, & tua serenissima celsitudo cognoscet, atque ad longinquas & remotissimas regiones fama tanti sceleris jam pervenit. Ad cujus utique vehementissimi facinoris ultionem, sicut is, cui bona placere, mala vero displicere credimus, constantius exurgere debuisti, & gladium, qui tibi ad vindictam, laudem vero bonorum est ex divina provisione concessus, in cervicem desævire oportuit impiorum, & gravissime conterere præsumptores; Tu vero id ipsum ita dissimulasse diceris, sævitiam neglexisse, quod eosdem non est quare pœniteat commisisse reatum, quia impunitatem sacrilegii quod gesserunt, jamjam sentiunt invenisse, cujus quidem dissimulationis & negligentiæ causam penitus ignoramus, quoniam nos in aliquo serenitatis tuæ gloriam offendisse, conscientiæ scrupulus animum nostrum non accusat, sed personam tuam sicut charissimi & specialis filii nostri & Principis Christianissimi, quem in Apostolicæ confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, sincera semper dileximus charitate, & debitæ tractavimus benignitatis affectu; Debes enim gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quam gratanter, & quam jucunde alio anno, mater tua sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris, & qualiter Imperialis insigne coronæ libentissime conferens, benignissimo gremio tuæ sublimitatis apicem studuerit confovere, nihil prorsus efficiens, quod regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obviare &c. Nunc autem,* post aliqua addit, ad conciliandam sibi benevolentiam, *quia tam immensum facinus, quod in contumeliam universalis Ecclesiæ & Imperii tui noscitur etiam commissum, negligere ac dissimulare videris: suspicamur utique ac veremur, ne forte in hanc dissimulationem & negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestione perversi hominis zizania seminantis adversus clementissimam matrem tuam sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & nos ipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis, vel rancorem: Ob hoc igitur, & ob omnia alia negotia, quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus & charioribus, quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros Bernardum sancti Clementis presbyterum, Rolandum S. Marci presbyterum Cardinalem & Cancellarium nostrum, viros utique religione, prudcn-*

dentia & honestate conspicuos serenitati tuæ de latere nostro ad præsens duximus destinandos, excellentiam tuam rogantes attentius, quatenus eos tam honorifice, quam benigne recipias, honeste tractes, & ea quæ ipsi super hoc & super aliis ad honorem Dei, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad decus etiam & exaltationem Imperii pertinentia, ex parte nostra Imperatoriæ proposuerint dignitati, sicut si ab ore nostro procedant, absque ulla hæsitatione suscipias, & ipsorum verbis, tanquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere. Hactenus Hadriani litteræ ad Fridericum Imperatorem in quibus nil Apostolicæ sedis indignum occurrit, quod Imperatori, vel Imperii Principibus offensionis caussam præberet: nihilhominus, quot inde clamores exorti sint, turbæque excitatæ hæc Radevici verba declarant. *Talibus litteris lectis, & per Reinaldum cancellarium fida satis interpretatione diligenter expositis, magna Principes qui aderant indignatione commoti sunt, quia tota literarum continentia non parum habere, & occasionem futuri mali jam fronte sua præferre videbatur. Præcipue tamen universos accenderat, quod in præmissis literis inter cætera dictum fuisse acceperant, dignitatis & honoris plenitudinem sibi a Romano Pontifice collatam, & insigne Imperialis coronæ de manu ejus Imperatorem suscepisse, nec ipsum pœnitere, si majora beneficia de manu ejus suscepisset, habita consideratione, quanta Ecclesiæ Romanæ per ipsum possent incrementa & commoda provenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem, ac præfatæ interpretationis fidem auditores induxerat, quod a nonnullis Romanorum temere affirmari noverant, Imperium Urbis, & regnum Italicum donatione Pontificum Reges nostros hactenus possedisse, idque non solum dictis, sed & scriptis, atque picturis repræsentare, & ad posteros transmittere. Unde de Imperatore Lothario, in palatio Lateranensi super hujuscemodi pictura scriptum est:*

Aulicorum tumultus adversus legatos excitati.

Rex venit ante fores, jurans prius Urbis honores.
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Talis pictura, talisque superscriptio Principi, quando alio anno circa Urbem fuerat, per fideles Imperii delata cum vehementer displicuisset, amica prius invectione præcedente, lau-

JESU CHR. AN. 1157. *damentum a Papa Hadriano accepisse memoratur, ut & scriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in urbe viris litigandi & discordandi praebere posset materiam. His omnibus in unum collatis, cum strepitus & turba inter Optimates regni de tam insolita legatione magis ac magis invalesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferunt unum de Legatis: A quo ergo habet, si a domino Papa non habet Imperium? Ob hoc dictum eo processit iracundia, ut unus eorum, videlicet Otto Palatinus Comes de Bajoaria (ut dicebatur) prope exerto gladio cervici illius mortem intentaret. At Fridericus auctoritate praesentiae suae interposita, tumultum quidem compescuit: ipsos autem Legatos securitate donatos ad habitacula deduci, ac primo mane via sua proficisci praecepit, addens in mandatis, ne hac, vel illac in territoriis Episcoporum, seu Abbatum vagarentur, sed recta via, nec ad dexteram, neque ad sinistram declinantes, revertentur ad Urbem.* Haec Radegisus Frisingensis canonicus, eademque paucioribus verbis Otto de S. Blasio in chronico, ad annum 1156., quo legatio missa fuit, hoc autem anno accepta.

Otto chr. cap. 8. Murat. to. 7. pag. 868.

Friderici Imper. litterae circulares contra Hadriani legationem.

5. Legatis itaque Hadriani re infecta revertentibus; Fridericus Imp. quasi gravissimas ab iis, Romanoque Pontifice contumelias accepisset, *per universum Regni ambitum* has litteras, querelarum plenas vulgavit. *Cum divina potentia, a quo omnis potestas in Caelo, & in terra nobis Christo ejus regnum & Imperium regendum commiserit, & pacem ecclesiarum Imperialibus armis conservandam ordinaverit: non sine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni vestrae, quod a capite sanctae Ecclesiae, cui Christus pacis & dilectionis suae characterem impressit, causae dissensionum, seminarium malorum, pestiferi morbi venenum manare videntur. De quibus (nisi Deus avertat) totum corpus Ecclesiae commaculari, unitatem scindi, inter regnum & sacerdotium schisma fieri pertimescimus. Cum enim nuper in Curia Bisuntii essemus, & de honore Imperii & salute ecclesiarum debita sollicitudine tractaremus, venerunt Legati Apostolici, asserentes se talem legationem nostrae asserre majestati, unde honor Imperii non parvum accipere deberet incrementum. Quos cum prima die adventus sui honorifice suscepissemus, & secunda (ut mos est) ad audiendam legationem eorum, cum Principibus nostris con-*

consedissemus : ipsi quasi de mammona iniquitatis inflati, de altitudine superbiæ, de fastu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione legationem Apostolicis literis conscriptam nobis præsentaverunt, quarum tenor talis erat. Quod præ oculis mentis semper deberemus habere qualiter dominus Papa insigne Imperialis coronæ nobis contulerit, neque tamen poenitentia moveretur, si majora excellentia nostra ab eo beneficia suscepisset. Hæc erat illa paternæ dulcedinis legatio, quæ unitatem Ecclesiæ & Imperii consovere debuit, quæ vinculo pacis utrumque colligare studuit, quæ ad utriusque concordiam & obedientiam animos audientium allexit. Certe ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam non solum Imperialis majestas debitam indignationem concepit, verum omnes Principes qui aderant, tanto furore & ira sunt repleti, quod sine dubio illos duos iniquos presbyteros mortis sententia damnassent, nisi hoc nostra intercepisset præsentia. Porro, quia multa paria literarum apud eos reperta sunt, & schedulæ sigillatæ ad arbitrium eorum adhuc scribendæ, quibus sicut hactenus consuetudinis eorum fuit, per singulas ecclesias Teutonici regni conceptum iniquitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur : ne ultra procedendi facultas eis daretur; eadem quæ venerant via, ad Urbem eos redire fecimus. Cumque per electionem Principum a solo Deo regnum & Imperium nostrum sit, quod in passione Christi filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit : cumque Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit, Deum timete, Regem honorificate : quicunque nos Imperialem coronam pro beneficio a domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni & doctrina Petri contrarius est, & mendacii reus erit; Quia vero hactenus honorem ac libertatem ecclesiarum, quæ jam diu indebitæ servitutis jugo depressa est, a manu Ægyptiorum studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum jura conservare intendimus : universitatem vestram super tanta ignominia nobis & Imperio condolere rogamus, sperantes, ne honorem Imperii, qui a constitutione Urbis, & Christianæ religionis institutione ad vestra usque tempora gloriosus & imminutus extitit, fidei vestræ indivisa sinceritas tam inaudita novitate, tam præsumptuosa elatione imminui patiatur, scientes omni ambiguitate remota quod mortis periculum ante vellemus in-

Jesu Chr. An. 1157. *currere, quam nostris temporibus tantæ confusionis opprobrium sustinere*. Hactenus litteræ Imperatoris ad Principes, & Episcopos Regni sui, quas sane acerbiori stylo, ac calamo felle intincto scriptas fuisse res ipsa clamat; quid enim nefandum, tantisque clamoribus, vel levi etiam vituperatione dignum dixerat Hadrianus, dum Friderico in memoriam revocavit, quanto cum honore exceptus in urbe fuerit, & inter beneficia eidem ab Rom. ecclesia collata, Coronam Imperii eidem impositam fuisse commemoravit; non enim beneficii nomine, feudum, & Vassalagium, ut barbarorum lingua utar, Hadrianus Papa designaverat, sicuti a jurisperitis, feudorumque scriptoribus passim usurpatur; Pro beneficiis a Rom. ecclesia in eum collatis, facilitatem, qua exceptus fuerat, honores eidem in urbe collatos, Imperialem coronam ab Hadriano capiti ejus impositam, interpraetari potuisset, ac etiam, nisi exasperatum retinuisset animum, debuisset; Hinc ut aliqualem vindictam sumeret, eodem tempore, edictum vulgavit, ne quis Clericalis, vel monachalis ordinis Romam peregrinari præsumeret, ac viarum custodes posuit, ne quemlibet ex iis transire paterentur, ea ratione id excusans, ne ecclesiæ dispendiis gravarentur, aut ejusmodi peregrinationibus Claustralium monastica disciplina relaxaretur, excusationes in peccatis exquirens, quas etiam Germaniæ Episcopi in litteris paulo post Hadriano scriptis adoptarunt, de quibus infra sermo fiet.

Hadriani litteræ ad Episcopos Germaniæ, & Episc. ad Pontificem. *Radev. lib. cap.15. apud Labb. to.10. epist. 3.*

6. Cum hæc agerentur, legati sedis Apostolicæ Rolandus, & Bernardus reversi, ait Radevicus, injurias sibi illatas retulerunt, Hadrianum Papam, & Rom. clerum ad vindictam provocantes; Hadrianus tamen Papa, utpote mitissimi ingenii vir, injuria prudenter dissimulata, ab Germaniæ Episcopis opem auxiliumque postulavit, & ut ad meliora consilia Fridericum revocarent, his datis litteris excitavit. *Quoties aliquid in ecclesia contra honorem Dej, & salutem fidelium attentatur, fratrum & Coepiscoporum nostrorum, & eorum præcipue, qui Spiritu Dei aguntur, cura debet existere, ut ea, quæ male gesta sunt, gratam Deo correctionem debeant invenire. Hoc autem tempore (quod absque nimio moerore non dicimus) charissimus filius noster Fridericus Romanorum Imperator tale quid egit, quale temporibus antecessorum suorum non legimus perpetratum: Cum enim nos duo de melioribus fratribus*

bus nostris, Bernardum tituli sancti Clementis, & Rolandum Cancellarium nostrum tituli sancti Marci presbyteros Cardinales ad ipsius præsentiam misissemus: ipse, cum primum ad ejus præsentiam pervenerunt, alacriter visus est eos recepisse Sequenti vero die, cum redirent ad eum, & literæ nostræ in ejus auribus legerentur, accepta occasione cujusdam verbi, quod ipsarum literarum series continebat (insigne videlicet coronæ beneficium tibi contulimus) in tantam animi commotionem exarsit, ut convincia, quæ in nos & Legatos nostros dicitur conjecisse, & quam inhoneste ipsos a præsentia sua recedere, ac de terra sua velociter exire compulerit, & audire opprobrium, & lamentabile sit referre. Eis autem ab ipsius præsentia excedentibus, facto edicto, ne aliquis de regno vestro ad Apostolicam Sedem accedat, per omnes fines ejusdem regni custodes dicitur posuisse, qui eos, qui ad Sedem Apostolicam venire voluerint, violenter debeant revocare. Super quo facto, licet aliquantum perturbemur: ex hoc tamen in nobis ipsis majorem consolationem accepimus, quod ad id de vestro & Principum consilio non processit. Unde confidimus eum a sui animi motu, consilio & persuasione vestra facile revocandum. Quocirca, fratres, quoniam in hoc facto non solum nostra, sed vestra, & omnium ecclesiarum res agi dignoscitur, charitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, quatenus vos opponatis murum pro domo domini, & præfatum filium nostrum ad viam rectam quam citius reducere studeatis, attentissimam sollicitudinem adhibentes, ut a Reinaldo Cancellario suo, & Palatino Comite, qui magnas blasphemias in præfatos Legatos nostros, & matrem vestram sacrosanctam Romanam Ecclesiam evomere presumpserunt, talem & tam evidentem satisfactionem faciat exiberi: ut sicut multorum aures amaritudo sermonis eorum offendit, ita etiam satisfactio multos ad viam rectam debeat revocare etc. Hæc & alia ad Germaniæ Episcopos Hadrianus, quorum plurimi etsi moribus, aut doctrina fulgerent, nihilhominus Imperatori plus æquo faventes, canes muti facti sunt non valentes latrare, atque quid ad hæc Fridericus Imp. responderat, Hadriano miserunt, ac se conterritos, conturbatosque, ex iis quæ contigerant, fuisse addiderunt; *Equidem a verbis illis, quæ in litteris vestris continebantur, quas per Nuntios vestros prudentissimos & honestissimos dominum Bernardum*

Jesu Chr. An. 1157. *dum, & Dominum Rolandum Cancellarium venerabiles presbyteros Cardinales misistis, commota est universa Respublica Imperii nostri, aures Imperialis potentiæ ea patienter audire non potuerunt, neque aures Principum sustinere. Omnes ita continuerunt aures suas, quod nos, salva gratia vestræ sanctissimæ paternitatis, ea tueri propter sinistram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo approbare, nec audemus, nec possumus, eo quod insolita & inaudita fuerunt usque ad hæc tempora. Literas autem, quas nobis misistis, debita cum reverentia suscipientes & amplectentes, commonuimus filium vestrum dominum nostrum Imperatorem, sicut jussistis, & ab eo responsum (Deo gratias) accepimus tale, quale decebat Catholicum Principem, in hunc modum.*

Friderici Imper. responsio ad Hadrianum Papam.

7. Ut hactenus gesta excusaret Fridericus Imp. hæc Hadriano per eosdem Episcopos respondit. *Duo sunt, quibus nostrum regi oportet Imperium, leges sanctæ Imperatorum, & usus bonus prædecessorum & patrum nostrorum: istos limites Ecclesiæ nec volumus præterire, nec possumus: quidquid ab his discordat, non recipimus. Debitam patri nostro reverentiam libenter exhibemus, liberam Imperii nostri coronam divino tantum beneficio adscribimus, electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde, quod superest, cæteris secundum ordinem Principibus recognoscimus. Regalem unctionem Coloniensi, supremam vero, quæ Imperialis est, summo Pontifici. Quidquid præter hæc est, ex abundanti est, a malo est. Cardinales in contemptum dilectissimi & reverendissimi Patris nostri & consecratoris a finibus terræ nostræ coegimus non exire, sed cum his & pro his, quæ scripta, & scribenda ferebant in dedecus & scandalum Imperii nostri, ultra eos prodire pati noluimus. Introitum & exitum Italiæ nec clausimus edicto, nec claudere aliquo modo volumus peregrinantibus, vel pro suis necessitatibus rationabiliter, cum testimonio Episcoporum & Prælatorum suorum Romanam Sedem adeuntibus, sed illis abusionibus, quibus omnes Ecclesiæ regni nostri gravatæ & attenuatæ sunt, & omnes pene Claustrales disciplinæ emortuæ & sepultæ, obviare intendimus. In capite Orbis Deus per Imperium exaltavit Ecclesiam: in capite Orbis Ecclesia non per Deum (ut credimus) nunc demolitur Imperium. A pictura cœpit, ad scripturam pictura processit, scriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non su-*

sustinebimus, coronam ante ponemus, quam Imperii coronam una nobiscum sic deponi consentiamus. Picturæ deleantur, scripturæ retractentur, ut inter regnum, & sacerdotium æterna inimicitiarum monimenta non remaneant. Hæc, & alia, utpote de concordia Rogerii & Willelmi Siculi, & aliis quæ in Italia facta sunt, conventionibus, quæ ad plenum prosequi non audemus, ab ore domini nostri Imperatoris audivimus. Absente autem Palatino præmisso, a Cancellario ibidem adhuc præsente aliud non audivimus, nisi quod humilitatis erat & pacis; præter quod eis pro periculo vitæ, quod a populo imminebat, pro viribus suis astiterit, cunctis qui ibi aderant, hujus rei testimonium ei perhibentibus. De cætero sanctitatem vestram suppliciter rogamus & obsecramus, ut nostræ parcatis infirmitati, ut magnanimitatem filii vestri, sicut bonus pastor, leniat's scriptis vestris, scripta priora suavitate mellita dulcorantibus: quatenus & Ecclesia Dei tranquilla devotione lætetur, & Imperium in sublimitatis statu glorietur, ipso mediante & adjuvante, qui mediator Dei & hominum factus est homo Christus Jesus Hæc ad Hadrianum Papam Germaniæ Episcopi, in quorum excusationem nil aliud dici potest, nisi illud Apostoli *zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*, ait hoc loco Baronius; His acceptis Hadrianus Papa, consilium Episcoporum sequens, ut iram Regis, seu Imp. leniret, alteram anno proximo legationem, cum litteris suis misit, quibus verba, sensusque suos apertius exposuit, sed de his anno proximo.

JESU CHR. AN. 1157.

ad Rom. 10.

8. Hadrianus interea anno Pontificatus sui primo, octavo Kal. Maii litteris suis, Saderditum Archiepiscopum admonuerat, ut cum suis suffraganeis, Henrico Gradensi Patriarchæ subesset ac pareret; hoc autem anno 1157. *Pontificatus tertio*, Henrico Gradensi Patriarchæ scribens; Patriarchatus ejus limites, super Diœceses Saderditani Archiepiscopatus extendit. *Inde est, ait, quod nos honestatem ac prudentiam tuam, & devotionis sinceritatem, quam erga sacrosanctam Rom. ecclesiam semper habuisse dignosceris, attendentes, & ne commissa regimini & dispositioni tuæ Gradensis ecclesia, quæ de benignitate Apostolicæ sedis prærogativa gaudet honoris, ex brevitate Patriarchatuum inferius, & abjectius valeat apud simpliciores haberi, & ampliandam dignitatem ipsius, primatum ei super Sadertinum Archiepiscopatum, & Epi-*

Gradensis Patriarchatus ab Hadriano ampliatus. *Labb. to.* 10. *p.* 1170. *epistol.* 37. 36. 38.

Jesu Chr. an. 1157. *Episcopatus ipsius, apostolica auctoritate concedimus, & tam te, quam successores tuos Sadertino Archiepiscopo consecrationis munus impertiri, Romano quidem Pontifici traditione pallii reservata &c.* & epistola altera ad eumdem Henricum, Patriarchalem dignitatem eidem confirmat; Unde post aliqua subdit. *Igitur prædecessorum nostrorum felicis mem. Pelagii, Alexandri, & Urbani II. vestigiis inhærentes, illius præcipue constitutionis tenorem servantes, quam prædecessor noster Leo IX. Papa sanctissimus, & synodali judicio, & privilegii pagina confirmavit: tibi tuisque successoribus canonice substituendis patriarchalem concedimus dignitatem, & magisterium Gradensis ecclesiæ gerendi in iis tamen finibus confirmamus, qui per supradictos prædecessores nostros eidem noscuntur ecclesiæ constituti*, & ut ad Crucem ante se ferre, & pallio in præcipuis solemnitatibus uteretur permittit; iisque post Hadrianum Cardinales plurimi subscripserunt, ut ibidem videre est.

Privilegia Venetis ab Hadriano concessa. *epist. 39. & 40.*

9. Eodem hoc anno Venetiarum Duci, & populo scribens de iis quæ ad ampliandam Gradensis ecclesiæ dignitatem statuerat, eosdem certiores reddit, ac ipsis eumdem Henricum Patriarcham commendat; *Quem ad vos tamquam ad speciales & devotos filios, cum Apostolicæ sedis benedictione, & nostræ gratiæ plenitudine principaliter remittentes, universitati vestræ ipsum attentius commendamus, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eum honorifice recipiatis, honeste tractetis, & ei tamquam spirituali Principi, & animarum vestrarum rectori, debitam in omnibus obedientiam & reverentiam impendatis*. Epistola vero altera hoc eodem anno ad Henricum Gradensem Patriarcham scripta, postulationibus ejus inclinatus, ait Hadrianus. *Tibi & successoribus tuis auctoritate Apostolica duximus concedendum, ut in Costantinopolitana urbe*, & in aliis *Civitatibus*, CP Imperii, *in quibus Veneti plures habent ecclesias, ubi videlicet eorum multitudo consuevit assidue convenire, liceat vobis Episcopum ordinare, & absque alicujus contradictione munus ei consecrationis impendere &c.* ex quibus aliisque patet sub Manuele Comneno Imp. aliqualem inter Latinos, & Græcos concordiam viguisse, ac nondum schisma firmatum, Romanum quippe Pontificem, ac Venetos sibi hoc tempore demereri curaverat Manueles, ut eosdem contra Gulielmum Siciliæ Regem, adversus quem arma converterat, socios haberet.

Hoc

8. Hoc etiam anno, ut narrat Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum, *Inundatione Tiberis facta non modica, Romae in quadam insula ejus fluminis, in ecclesiola antiqua inventum est in quodam sarcophago corpus B. Bartholomaei Apostoli totum integrum, excepto corio, quod remansit Beneventi, quando Otto Imperator capta ea civitate, corpus praedicti Apostoli transtulit Romam, sicut tabulae areae scriptae demonstrant literis Graecis & Latinis, quae repertae fuerunt in corpore Apostoli. Repertum est etiam in eadem ecclesia corpus S. Paulini Nolani Episcopi:* Haec Robertus suorum temporum res gestas prosequens.

JESU CHR. AN. 1157. Corpora Ss. Bartholomei, & Paulini Nolani refossa.

10. A Sampsone Episcopo Remis hoc anno concilium celebratum fuit, in quo septem capitula sunt edita, quorum primus de *Piphilis* agit, seu Manicheis, quos diversa nomina habuisse scimus, & ut ibidem adnotat Martenius; Piphili seu Pisti, Gallice Pifres dicti sunt Albigenses, Cathari passim in Germania appellati, in Flandriis Texerans, seu textorii ab arte textoria apud eos familiari: canone autem primo haec contra eos statuta sunt. *Quoniam impurissima Manichaeorum secta tergiversatione lubrica sub specie religionis apud imperitissimos se occultans, simplicium animas perditum ire molitur, & per abjectissimos textores, qui saepe de loco fugiunt ad locum, nominaque commutarunt, captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis: Nos gregi dominico, cujus curam suscepimus, ne per illam in praecipitium eat, consulentes, statuimus, ut quoniam inter sacrilega nefandaque, quibus non inquinare solum, verum etiam inficere ecclesiam conantur, conjugium quod a Domino institutum sanctumque est, ut quasi puriores mundioresque valeant apparere, impudenter damnant, & tamen in suggillatione mendacissimae simulationis foeminarum etiam consanguinearum contubernia affectant & frequentant, ut nisi commoniti a cohabitatione sua illas removerint, ab Episcopo excommunicentur. Quod si nec ita destiterint, bona eorum publicentur. Majores vero quibus alii seducuntur, si confessi fuerint vel convicti, carcere perpetuo nisi gravius aliquid mihi eis fieri debere visum fuerit, recludentur.* ceteros ferro calido in fronte signatos ejiciendos undique jubet: secundus raptores rerum ecclesiae cohibendos esse decernit: tertio, ut pax ubique, & tregua Dei a vespera feriae quartae, usque ad mane feriae secundae servetur, admonet

Concilium Remense. *Martene monum. to. 7 p. 74. Mansi suppl. ad Labb. to. 2. p. 500.*

Jesu Chr. an. 1157.

net : quarto christiana sepultura eos privat , qui vulnere in torneamentis accepto , obierint : de Sacerdotibus ecclesiis præficiendis quintus agit : sextus de Regularibus , qui parochias tenent , hæc statuit , ut cum Abbas monachum alicui destinaverit ecclesiæ eum Episcopo præsentet , sicque *cura accepta , sine licentia Episcopi eum removere a ministerio , ac revocare ad claustrum potestatem Abbas non habeat* . Septimus tandem de modesto Monialium habitu , deque clausura servanda agit , ut ibidem videre est .

Gulielmi Eremitæ obitus . *Bollands die 10. Febr.*

11. Hoc anno S. Gulielmus cognomento magnus Eremita in stabulo Regis in Hetruriæ oppido ad cœlestem patriam migravit . Theobaldus enim in ejus vita , post varia miracula in medium adducta , hæc subdit . *Igitur anno verbi Incarnati* 1156. (a Paschate incœpto) *quarto idus Februarii mortuus est , & sepultus in stabulo Regis , vir Dei Gulielmus Dux , & Comes illustris , & magnificus , domino coronante in Cælis spiritum , & ornante in terris corporis sepulchrum sequentibus signis* . De ordine Eremitarum ab eo instituto , deque fabulis ejusdem vitæ additis legendus Henschenius in notis ad ejus vitam ; Hunc tamen Innocentius Papa tertius anno Pontificatus sui quinto , litteris ad Grossatensem Episcopum datis , Sanctorum fastis inscripsit , iisque narrat Martinum Grossatensem Episcopum ad Alexandrum tertium Papam profectum ab eo postulasse , ut Gulielmum sanctorum catalogo inscriberet , quod cum se tempore opportuno facturum promisisset , Alexander interim jusserat , ut in anniversario , pro divini nominis gloria , & ejusdem sancti memoria officium Confessoris in Grossatensi ecclesia , & in tota Diœcesi solemniter celebraretur ; *Ideoque & nos per Apostolica scripta fraternitati tuæ mandamus , quatenus & tu , prædecessoris nostri mandatum in majori ecclesia exequaris , & Dioecesanis tuis nuncies exequendum*

Fontanini Codex Canon. in app. pag. 644.

Hactenus Innocentii diploma , ab Fontanino in Codicem Canonizationum relatum , quo constat , Gulielmi Eremitæ cultum Grossetanam Dioecesim non excessisse .

Theodoricus Flandriæ Comes christianorum res in Palestina restituit . *Gulielm. Ty-*

12. Cum christianorum res in Palæstina alibique attritæ admodum hoc tempore essent , ut pluribus narrat Tyriensis , accidit prospere , ut Theodoricus Flandriæ Comes jam tertio Hierosolymam profectus , cum quibusdam terræ suæ Principibus , & bellico apparatu , & uxore sua Sibilla illuc adveniret , cum Noradinus quidam Sanguinii filius Balduinum Hie-

Hierosolymorum Regem facto prælio in fugam conjecerat, terramque ejus excurrens, ferro, & igne vastabat. Sed Theodoricus adjuncto sibi Rege adversus Noradinum progressus eum ad pacem poscendam compulit. Inde circa Natale Domini Antiochiam veniens, quæcumque Raimundus Antiochiæ Princeps amiserat, recuperavit; Cæsaream postea Cappadociæ profectus oppugnavit, ac evertit; quo tempore Sibilla Theodorici uxor in Bethania religionis habitum suscepit, quæ fusius in auctario Affligemiensi, in historia Gulielmi Tyrii, & in Annalibus Mejerii narrantur. Sibilla autem anno 1165., ut videre est in auctario Aquicintino, *postquam decem annis Hierosolymis apud S. Lazarum servierat*, sicque bonis operibus intenta obiit, dum Crucesignati Hierosolymis in Ægypto, aliisque Orientis regionibus dispersi, nefandis ubique sceleribus sese fœdarent, & præcipue Templi milites cum eorum Rege Balduino, ut fusiori stilo narrat Gulielmus Tyriensis.

JESU CHR. AN. 1157. Tyrius lib. 18. cap. 12. & seqq.

JESU CHRISTI AN. 1158. HADRIANI IV. PAPÆ AN. 5. FRIDERICI ÆNEOBARBI IMP. AN. 4. COMNENI MANUELIS IMP. AN. 16.

1. Hujus anni initio Hadrianus Papa consilia Episcoporum Germaniæ secutus, ad Fridericum *sicut bonus pastor, scripta priora suavitate mellita* misit, ac beneficii vocem clarius explicavit, ac ut Radevicus subdit, dum apud Augustam Rhætiæ, in Italiam pergens, pervenisset Fridericus *ad leniendum ejus animum, nuncios mittit Henricum videlicet Cardinalem Presbyterum tituli St. Nerei, & Achillei, & Hiacyntum Card. Diaconum S. Mariæ in schola Græca viros prudentes in secularibus, & ad cursalia negotia pertractanda prioribus missis multo aptiores &c.* His addit quod cum iidem Pontificis legati Ferrariam ingressi, legatos Frederici ibidem non invenissent, qui Mutinam transierant, ad Fridericum Augustum profecturi, dum montium juga transcenderent, in via detenti, ac spoliati sunt a Friderico, & Henrico Comitibus, seu potius grassatoribus; *Hanc tamen immanitatem Henricus nobilissimus Dux Bojariæ, & Saxoniæ, ob amorem S. R. Ecclesiæ, & honorem Imperii non multo post probe vindicavit. Nam & vadem* (pro legatorum li-

Hadriani Papæ legatio ad Frider. Imp. Radev. lib. 1. cap. 16. & 17.

cap. 21. 23.

JESU CHR. AN. 1158. Hadriani legati satisfactionem, & litteras offerunt.

bertate obtinenda datum) *eripuit* , *& Comites multis malis attritos ad deditionem* , *& satisfactionem coegit* .

2. Itaque Fridericum Augustæ convenientes Hadriani legati , ac ad Imperatoris præsentiam admissi , *Reverenter ac demisso vultu voce modesta tale suæ legationis assumunt principium : Præsul S, R. E. vestræ excellentiæ devotissimus in Christo Pater salutat* , *sicut charissimum & specialem S. Petri filium* : *salutant etiam vos venerabiles fratres nostri* , *clerici autem vestri universi Cardinales* , *tanquam dominum & Imperatorem Urbis & orbis* ; Paulo aliter legatorum verba refert Gunterus Ligurinus his versibus .

Totaque Romani , nunc maxima Curia Cleri
Te velut eximium Regem dominumque salutant .

Deinde ; *Quanta dilectione S. R. E. amplitudinem & honorem Imperii vestri amplectatur* , *quam sine conscientia peccati* , *vestram satis invita sustinuerit indignationem* , *& scripta præsentia* , *& in ore nostro positæ vivæ vocis officium declarabit* . *Post hæc verba literas offerunt* , *quæ venerabili Ottoni Frisingensi Episcopo ad legendum simul & interpretandum datæ sunt* , *viro utique* , *qui singularem habebat dolorem de controversia inter regnum* , *& sacerdotium : exemplar literarum hoc est* : *Hadrianus Episcopus servus servorum Dei &c.* ac se ab initio dignitatis adeptæ , eum impense honorasse narrat Hadrianus; his addidit , quod cum intellexisset , ipsum in se aliquantulum commotum fuisse , legatos suos Rolandum , & Bernardum , ut eum lenirent , misisse , quos aliter *quam Imperialem decuerit honorificentiam* tractatos fuisse addit . *Occasione siquidem cujusdam verbi* , *quod est beneficium* , *tuus animus* (*sicut dicitur*) *est commotus* ; *quod utique nedum tanti viri* , *sed nec cujuslibet minoris animum merito commovisset* . *Licet enim hoc nomen* , *quod est* , *Beneficium* , *apud quosdam in alia significatione* , *quam ex impositione habeat* , *assumatur* : *tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat* , *quam nos ipsi posuimus* , *& quam ex institutione sua noscitur retinere* . *Hoc enim ex bono & facto est editum* , *& dicitur* , *beneficium* , *apud nos* , *non feudum* , *sed bonum factum* . *In qua significatione in universo sacræ Scripturæ corpore invenitur* , *ubi ex beneficio Dei* , *non*

non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione & bono facto ipsius gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene & honorifice Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quod quidam verbum hoc, & illud, scilicet (contulimus tibi insigne Imperialis coronae) a sensu suo visi sunt ad alium retorquere, non ex merito causae, sed de voluntate propria, & illorum suggestione, qui pacem regni & Ecclesiae nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum (contulimus) nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est imposuimus. JESU CHR. AN. 1158.

3. Deinde de gestis ab Friderico in contemptum Rom. ecclesiae haec subdit Hadrianus, *Sane quod postmodum personas ecclesiasticas a debita sacrosanctae Romanae Ecclesiae visitatione, ut dicitur, revocare jussisti: si ita est, quam inconvenienter actum sit, tua, fili in Christo charissime, discretio (ut credimus) recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas, per Nuntios & literas tuas nobis fuerat intimandum; & nos honori tuo curavissemus, sicut filii charissimi, providere. Nunc igitur quoniam ad commotionem dilecti filii nostri Henrici Bajoariae & Saxoniae Ducis, duos de fratribus nostris, Henricum tituli sanctorum Nerei & Achillei, & Hyacinthum S. Mariae in Cosmedin Cardinales, prudentes siquidem & honestos viros, ad tuam praesentiam destinavimus, celsitudinem tuam monentes & hortantes in Domino, quatenus eos honeste & benigne recipiat, & quod ab eis ex parte nostra tuae magnificentiae fuerit intimatum, a sinceritate cordis nostri noverit tua excellentia processisse. Ac per hoc cum eisdem filiis nostris, mediante jam filio nostro Duce, ita celsitudo tua studeat convenire, ut inter te, ac matrem tuam sacrosanctam Romanam Ecclesiam nullius discordiae seminarium debeat remanere:* Hucusque Hadriani litterae ad Fridericum.

Hadriani Papae querelae Friderico expositae.

4. His litteris lectis, subdit Radevicus, *& benigna interpretatione expositis, Imperator mitigatus, est clementiorque factus, quasdam causas alio loco memorandas, quae seminarium discordiae praestarent, si non congrua emendatio interveniret, Legatis per capitula distinxit, quibus ad nutum Principis, & per omnia bene respondentibus, Praesulemque Roma-*

Pax inter Hadrianum & Frider. firmata. cap. 23.

Jesu Chr. an. 1158.

manum in nullo Regiæ dignitati derogare, sed honorem ad justitiam Imperii semper illibatum conservare pollicentibus; pacem & amicitiam tam summo Pontifici, quam omni Clero Romano reddidit, eamque signo pacis & osculo absentibus per præsentes destinavit; sicque hilariores facti Legati donatique regalibus muneribus divertunt in civitatem, seu in urbem redeunt; Hæc Hadrianus, ut exasperatum conciliaret Imperatorem, dans ex admonitione Apostolica locum iræ, ita vocem Beneficii interpretatus est, ut nullum Friderico suspicandi locum relinqueret; ac benevolum sibi Romanæque ecclesiæ redderet; cum enim Italiæ limites cum exercitu jam attigisset, bellum adversus Mediolanenses, & adversus Gulielmum in Campania illaturus, in proximo discrimine non solum Pentapolis, vel Exarchatus Ravennæ erat, sed ipsa urbs Petrique patrimonium, fuisset, nisi benevolo in Hadrianum animo Fridericus perseverasset; maximo autem variarum gentium collecto exercitu, *Francorum* scilicet, *Saxonum*, *Ribuariorum*, *Burgundionum*, *Suevorum*, *Bojariorum*, *Lotharingiorum*, *Bohemorum*, *Hungarorum Carentanorum*, *& cum his aliæ Gallicæ*, *seu Germaniæ nationis*, ait Radevicus, per varias turmas, sub propriis Principibus distributas, in Italiæ planitiem devenit, ac Brixiam primo impetu subegit, quam datis sexaginta obsidibus & non modica pecunia in deditionem recepit, conventu deinde Principum habito, leges ab exercitu servandas vulgavit, ac oratione, ut muneri suo satisfacerent, milites hortatus est.

Friderici adventus in Italiam. *Radev. lib. 1. cap. 25. ad 45.*

Fridericus Mediolanum obsidet, eique traditur. *Radevic. ut supra. apud Murat. tom. 6. rer. Ital.*

5. Mediolanenses autem timore perculsi legatos suos, viros eruditos, & eloquentia disertos ad Fridericum miserunt, pacem postulantes, quos cum re infecta dimisisset, hostesque declarasset, ad obsidendam urbem properavit, qua obsidione durante, gesta hinc inde narrat Radevicus, Otto de Sancto Blasio, & Otto alter Morena his præsens, cumque Mediolanenses viribus attriti, fameque consumpti essent, ne extrema pericula sustinerent, tandem *cum ipso Imperatore pepigerunt*, ait Morena, *ac se in ejus manibus ponentes, ei de suis præceptis observandis*, ducentos, & ultra obsides tradiderunt. Pacis conditiones recitat Radevicus, quibus ex utraque parte firmatis, in Friderici conspectum admissi sunt;

cap. 41. 42. *In primis Clerus omnis, & quique fuerant ecclesiastici ordinis mi-*

ministri cum Archiepiscopo suo, Prælatis, Crucibus, nudis pedibus, humili habitu, deinde Consules, & majores civitatis item abjecta veste, nudis pedibus, exertos super cervices gladios ferentes; tamquam supplices, & supplicio dignos, qui cum pauca, *submisso vultu, supplici voce pro delicto suo* dixissent, in gratiam recepti sunt; Fridericus autem Mediolanum non est ingressus, sed sexto idus Septembris extra urbem eos excepit, & a Mediolano castra movens *apud Modoicum* (seu Monsam) sedem Regni Italici coronatur, ait Radevicus, ibique Principum plures cum militibus suis ad propria remisit; Veronam deinde, & Ferrariam vi adhibita, minisque intentatis subegit, ut ibidem videre est.

Jesu Chr. an. 1158.

cap. 43. 44. 45.

Fridericus conventum Roncaliæ celebrat.

6. His feliciter peractis, ut totam, si licuisset, Italiam Imperio suo subjugaret Fridericus, sub prætextu vindicandi jura Imperialia, *Generalem Curiam omnibus Italis civitatibus, & primoribus apud Roncaliam in festo Beati Martini celebrandam indicit, ubi & pacis leges promulgaret, & de justitia Regni, quæ multo jam tempore apud illos obumbrata in desuetudinem abierat, pernecessaria sapientum collatione differeret*, diuque obsoletam elucubraret, ait Radevicus cap. 46. Otto etiam Morena postquam fusiori stylo gesta ab Friderico in obsidione Mediolani narravit, quibus se adfuisse adnotat, de conventu Roncaliæ agens, quatuor eo legisperitos advocasse addit, videlicet *Bulgarum*, & Martinum Gosium, seu *Jacobum, atque Hugonem de porta Ravegnana Bononiæ magistros. Istorum autem quatuor doctorum, & quamplurimorum aliorum fuit Dominus Guarnerius doctor antiquior*, Irnerius etiam dictus, ex eo præcipue celebris, quod primus, ut creditur, in Bononiensi Academia digestorum libros, & Justiniani Codicem exposuerit; Ad hunc itaque Irnerium, in extremo vitæ positum *accesserunt sui Scholares*, ait Otto Morena, *dicentes domine quem vultis post mortem vestram doctorem nobis constituere, quibus ipse respondit per duo carmina infrascripta*.

Murat. to.6. p.1016.

Bulgarus os aureum, Martinus copia legum.
Hugo mens legum, Jacobus est, quod ego.

Doctores Bononiæ Rega.

7. Cum itaque Nono Kal. Decemb. ultra Padum prope ecclesiam S. Petri de Contrebia Imperator cum Principibus au-

aulæ

JESU CHR. AN. 1158.

lia Imperatori adjudicant.

læ in unum convenissent, Fridericus supradictis magistris ad se vocatis, jussit, *Ut sibi indicarent in veritate omnia Regalia, quæ ratione Imperii in Lombardia ad ipsum spectarent, & sua esse deberent. Qui respondentes Imperatori, dixerunt, se hæc nolle sine consilio facere aliorum judicum universarum Lombardiæ civitatum ibi tunc existentium. Imperator itaque duos uniuscujusque civitatis Lombardiæ judices elegit, jussitque eis quod ipsi omnes cum prædictis quatuor Bononiæ magistris ad consilium irent, omniaque jura regalia quæcumque essent, diligenter investigarent; ut eum a consilio recederent, sub nomine fidelitatis, quam sibi juraverunt, ea omnia recto tramite (prout melius possent) publice demonstrarent. Ipsi autem judices eum viginti octo, exceptis Bononiæ magistris, statim, ut Imperator jusserat, ad consilium euntes, de omnibus regalibus juribus inter se diligentius contulerunt. Qui postmodum ad Imperatorem redeuntes, coram omnibus Principibus, omnibusque civitatum Lombardiæ Consulibus narraverunt in scriptis omnia jura, quæ ei jure regali noverant pertinere.* Quæ, & quanta regalium nomine Imperatori a jureconsultis Bononiensibus concessa sint, etsi Otto non exprimat, multa tamen eidem tunc tributa fuisse scimus, muneribus quippe devicti legis periti, assentatorum more omnia secularia, ac ecclesiastica bona præsertim Imperatoris esse dixerunt; Hinc ut idem auctor adnotat. Cum Fridericus ab eis exquisisset, *Utrum de jure esset Dominus Mundi, Dominus Bulgarus respondit, quod non erat Dominus quoad proprietatem, Dominus vero Martinus respondit, quod erat Dominus*, cui pro hac sententia pulcherrimum, quo insidebat equum dedit; Bulgarus autem hæc audiens, suam sortem lamentans dixit. *Ammissi equum, quia dixi æquum, quod non fuit æquum*; nec in Bononiensi magistro Martino assentatorum turba defecit; quin omni ætate, & nostra præcipue, non defuerunt Aulici adulatores, qui Principum arbitrio secularia, & Ecclesiastica subesse scripserunt; Omnium fere primus Goldastus occurrit, qui Imperii jura exponens, totum fere orbem, ipsamque ecclesiam eidem subjecit, ejusque vestigia secuti non solum legum periti, & Leguleí forenses, sed quod maxime dolendum est, ex Theologis etiam plurimi, qui ut Principum sibi gratiam promereantur, quælibet, quæ ad disciplinam, externosque ecclesiæ ritus pertinent, Princi-

Melchior Goldastus collectio legum Imp.

ci-

cipum auctoritati, imperioque subesse scripserunt, quod sane absurdum, primisque ecclesiæ seculis inusitatum inauditumque fuisse, ex historiæ decursu manifestum est; Id tamen inter Martinum doctorem, qui omnia Imperatori subesse dixit, & Jacobum, qui in Imperii juribus exponendis moderatior fuit, discriminis intercessit, quod Martini fama vix ac ne vix apud posteros laudabilis pertransierit, ita ut eum nihil umquam sane, verique dixisse Jason jureconsultus dixerit, Martinum e contra jam defunctum Petrus Blesensis laudaverit, epist. 173.

JESU CHR. AN. 1158.

5. *Hoc autem sic peracto*, sequitur Morena, *Hubertus Mediolanensis Archiepiscopus una cum consulibus Mediolani, omnesque alii præsentes Lombardiæ Episcopi, Comites, Marchiones, Duces, cæterique Italiæ Principes, ac omnium Lombardiæ civitatum Consules ibi astantes, publice in colloquio ipso surgentes, in manu ipsius Imperatoris omnia, quæ prædicti judices jura regalia esse dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipsis omnibus fecerunt; statimque Imperatore eis omnibus sub nomine fidelitatis firmiter præcipiente, ne ipsi amplius de ipsis rebus intromitterent: omnes, & unusquisque tamen per se amplius de ipsis rebus non intromissuros unanimiter spoponderunt. Insuper etiam veram & perpetuam pacem ibi omnes inter se, & cum omnibus aliis personis deinceps se firmiter tenere juraverunt. Et in hoc Mediolanenses privavere se de multis rationibus & dignitatibus, obtentis a diversis Pontificibus & Imperatoribus, & promiserunt ponere signum Aquilæ super campanile ecclesiæ majoris in signum fidelitatis, ac etiam quod liberarent centum nonaginta Papienses, quos habebant incarceratos. Ac etiam præcepit eis Imperator, ut servarent pacem perpetuam suis vicinis &c.*, quam tamen cito a Mediolanensibus violatam fuisse addit. His gestis Fridericus, quamplurimas ibidem pro Italiæ pace servanda, vel pro administranda justitia leges vulgavit, tu Radevicus narrat, ac ex Roncalia *ad ulteriores terras, & in Insulas maris regium, regiæ procurationis animum protendit*, ac Sardiniam Corsicam, & Januam suo quodammodo subegit Imperio; ad hyberna deinde profectus Albæ Pompejæ in Liguria Natale Domini celebravit, ac novam ibidem expeditionem paravit, ut Radevicus capite decimo narrat, sed de his infra.

Longobardi se Imperatori subiiciunt.

Radev. lib. 2. cap. 1. ad 9.

6. Ex Italia in Galliam, & Angliam transimus, nam ut

Inter Fran-

Jesu Chr. an. 1158. Franciæ & Angliæ Reges pax viget.

ut ad hunc annum scribit Gervasius in chronico. *Rex Henricus transfretavit, & Parisios profectus, a Rege Franciæ Ludovico in magna gloria & honore susceptus est, filiam ejus* (Margaritam appellatam) *filio suo Henrico petiit & accepit. Eo tempore per industriam Thomæ Cancellarii* (postea Archiepiscopi Cantuariensis ac Martyris) *a Ludovico Rege Francorum Christianissimo, viro tamen nimis simplici obtinuit, ut intraret Britanniam, & quasdam ibidem inter se inquietos, & funebre bellum exercentes coram se convocaret, & pacificaret, & quem inveniret rebellem, violenter coerceret &c.* Robertus etiam de Monte in appendice ad Sigebertum ad hunc annum de Henrici Regis adventu Parisios ait, pax inter Franciæ, & Angliæ Reges firmata fuit, ac de nuptiis Margaritæ Lodovici filiæ, filio Henrici desponsatæ hæc adnotat; Henricus, *evocatus a Rege Francorum cum paucis venit Parisios, & inæstimabili honore* ibidem exceptus fuit, *de pace duorum Regum, & tanti hospitis adventu tripudiantibus Francis; Inde rediens filiam Regis Francorum secum adduxit, & eam ad custodiendum, & nutriendum Roberto de Navoburgo fideli suo tradidit*, cum adhuc nuptiis impar, & impuberis Margarita esset, de quibus etiam Matthæus Parisius pluribus agit.

De initiis, & gestis Thomæ Angliæ Cancellarii.

7. Pacis, & nuptiarum Thomas Henrici Angliæ Regis Cancellarius, postea Cantuariensis Archiepiscopus, conciliator fuit; Is autem honestis parentibus Gileberto Bechet unde Thomas Beccensis dictus, & Mathilde Londoniæ natus, vel ab ipsa pueritia in domo Canonicorum Meritone prima pietatis, & litterarum rudimenta didicit; Parisiis deinde humanis divinisque litteris vacavit, ac in patriam reversus, in familiam Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi admissus, ejusdem sibi benevolentiam, gratiamque promeruit, ac ab eo Romam missus pro negotiis ecclesiæ Anglicanæ, summorum Pontificum, & Rom. Curiæ gratiam sibi conciliavit, inde discedens, Bononiæ primum, postea Antissiodori legibus studuit, ac in Angliam reversus a Theobaldo Diaconus ordinatus fuit, deinde ab Henrico secundo Angliæ Rege, circa annum 1155. Cancellarius creatus est, ac tandem Theobaldo defuncto in Cantuariensi sede successit, de quo infra non semel redibit sermo. Inter Thomam Cancellarium, & Petrum Cellensem Abbatem maximam intercessisse amicitiam

lib. 1. epist. 27.

Petri epistola testatur, qua hæc inter cetera habet. *Rogasti de familiaritate & amicitia. Quod rogastis, si admitteretis, admirationi procul dubio habendum esset pro inæqualitate rogantis, & rogati fortuna. Quæ enim proportionalitatis habitudo inter Abbatem Cellensem, & Cancellarium Regis Angliæ &c.*

JESU CHR. AN. 1158.

8. Cum Romanam sedem Hadrianus quartus teneret, Fulcherius anno 1146. Hierosolymitanus Patriarcha ordinatus, ut ibidem diximus, anno duodecimo Patriarchatus sui, *duodecimo Kal. Decemb. viam universæ carnis ingressus est*, ait Gulielmus Tyrius; eoque defuncto cum pro ordinando successore Provinciæ Episcopi Hierosolymæ convenissent; *Contra juris regulas*, subdit auctor, *tam per interventum dominæ Milisendis sororis quam dominæ Flandrensium Comitissæ; domini Regis itidem sororis*, quibus se absente Balduinus Regni curam commiserat; *Electus est Dominus Amalricus*; inter latinos Hierosolymorum Patriarchas nonus *ecclesiæ Domini Sepulchri prior, natione Francus de Episcopatu Noviomensi, de oppido Novella vir commode litteratus, sed simplex nimium & pene inutilis, promotus est autem contradicentibus Domino Hernesio Cæsariensi Archiepiscopo, & Domino Radulpho Bethlemitico, & appellationum voces exhibentibus. Tandem ille sede potitus Domino Friderico Acconensi Episcopo negotium committit, qui ad Romanam accedens ecclesiam, apud Dominum Hadrianum, qui tunc præerat, absentibus adversariis, multa ut dicitur, interveniente munificentia, eidem gratiam Romanæ sedis obtinuit, & pallium, plenitudinem videlicet pontificalis officii, secum detulit rediens.* Hæc de ordinatione Amalrici is auctor, cujus nihilhominus fides aliquando suspecta est, utpote partium studio non semel abreptus. Amalrici duæ extant epistolæ Ludovico septimo Francorum Regi scriptæ, & in opere *de gestis Dei*, relat., & apud Duchesnium, tom. 4.

Fulcherii Hierosolymi Patriarchæ obitus, cui Amalaricus succedit. *Gul. Tyr. lib. 18. cap. 19. 20.*

JESU CHRISTI ANNUS 1159. ALEXANDRI III. PAPÆ AN. 1. FRIDERICI IMP. AN. 5. MANUELIS COMNENI IMP. AN. 17.

1. Annum Romanæ urbi, totique Italiæ infaustum ingredimur, quo sopita vix inter Hadrianum Pontificem, & Fridericum Imp. dissidia, acerbius renovata sunt, causam, & fomitem Hadrianum dedisse Radevicus, adnotat: immerito ta-

Dissidia inter Hadrianum, & Fridericum excitata.

Jesu Chr. an. 1159. *Radevicus lib. 2. cap. 15.*

tamen Hadrianum accusari, res gestæ demonstrant; Nam Hadrianus ferre vix poterat, quod Fredericus non solum totam Italiam una cum Longobardia, sed urbem etiam, totumque Romanæ ecclesiæ patrimonium, & Comitissæ Mathildis hæreditatem in suam potestatem redigere conaretur, de quibus hæc idem Radevicus coævus, & ocularis testis. *Friderico in hibernis agente, Hadrianus Rom. urbis Antistes, quorumdam instinctu, ea quæ jam inter ipsum & Imperatorem apud Augustam sopita fuerant, refricare cœpit, & denuo meminisse, modo nuntiorum suorum injuriam, modo eorum qui pro colligendo fedro directi fuerant, insolentiam, & Castellanorum suorum gravamen incusans, se pro bonis mala suscepisse, Imperatorem beneficiis suis ingratum existere. Proinde occasionem quærens, cum audisset, quod regalia Principi tam ab Episcopis, & Abbatibus, quam a civitatibus, & proceribus recognita fuere: literas in fronte quidem leniores, diligentius vero considerata, acriori commonitione plenas super hoc negotio dirigit; easque quidam indignus & vilis nuntius præsentans, antequam recitatæ fuissent, disparuit. Qua de re commotus, caloreque juvenili ad vicem rependendam accensus, meditationem concipit, non quidem per abjectam, sed per honoratam illi respondere personam.*

Guidonem in Episc. Ravenn. confirmare Hadrianus recusat. *Radev. cap. 16. Labb. to. 10. pag. 1147.*

2. Eodem tempore accidit, ut defuncto Anselmo Ravennatensi Archiepiscopo, ejus successorem Fridericus Guidonem quemdam, filium Guidonis Comitis Blanderatensis, eligendum curaverit, qui cum Rom. sedis Subdiaconus ab Hadriano ordinatus fuisset, *nonnisi ejus conniventia, & assensu in aliam ecclesiam transferendus putabatur*; Ob eam causam Vercellensem Episcopum ad Hadrianum Fridericus miserat, quod cum Hadrianus negasset; Hermannum Verdensem Episcopum iterum Imperator scripsit, atque epistolam his verbis conceptam ad Hadrianum misit. *Fridericus Dei gratia Rom. Imperator &*

Litteræ Imp. ad Hadrianum pro Guidone.

semper Augustus, Hadriano Rom. ecclesiæ venerabili Pontifici Dilecto & fideli nostro Anselmo bonæ memoriæ Ravennatensis Ecclesiæ venerabili Episcopo defuncto, ne Curia nostra diutius tanto careret Principe, operam dare curavimus, loco ejus talem subrogare personam, quæ pro tempore ad resarcienda ecclesiæ illius damna, & ad nostrum peragendum servitium apta videretur. Ante omnia autem præ oculis mentis habentes, & aure non surda audientes quod scriptum est: Honore in-

invicem prævenientes ; filium Comitis Blanderatensis , quem vos in clericum Romanæ Ecclesiæ & filium nostra petitione assumpsisse recordati sumus : vicissim ad bonorem vestrum , & sanctæ Romanæ Ecclesiæ altius sublimari intendimus , in ea præsertim ecclesia , quam post sanctam Romanam Ecclesiam , aut maximam , aut unam de maximis habemus , nostræque voluntatis proposito , divina favente clementia , in electione illius personæ concorditer & voluntarie universa Ravennas convenit ecclesia , præsentibus viris honestissimis , Legato nostro & vestro , hinc Hyacintho Cardinali , inde Hermanno Verdensi Episcopo . Scientia autem & moribus in personam præfati Electi una cum genere convenientibus , propter reverendum vestræ paternitatis testimonium commendabilior & acceptior eadem persona nobis jam facta est , quam utique etiam diligi a vobis , & honorari gaudemus , & volumus , ea tamen ratione , & ordine , quo patres suos filios solent diligere , quos suo tempore & manumittunt , & domui suæ providere permittunt . Et quidem decentissimum est , S. Romanam Ecclesiam , tanquam matrem omnium ecclesiarum , filios qui sunt fructus ventris , aggregare , & aggregatos ad decorem domus Dei per domos & familias distribuere , quibus etiam nostrum Imperium tanquam ab utero & gremio matris nostræ progredientibus debeat , & velit congruum honorem impendere . Proinde altiori consideratione vestra perpendat discretio . quid in hac causa tam vestræ quam nostræ majestati & honestati conveniat . Hactenus Imperatoris epistola ad Hadrianum.

3. His continuo respondens Hadrianus , se eum ab se dimittere nequaquam posse testatus est , cum eum in suam familiaritatem receptum , & subdiaconum ordinatum , in Diaconum mox ordinandum destinasset ; unde post aliqua subdit Pontifex . *Nunc autem honestatem ipsius considerantes , & profectum scientiæ , si ei vita comes fuerit , attendentes ; intelligentes etiam quanta per eum ac per nobiles & potentes parentes ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ adhuc potuerint commoda provenire , & ad quantum dignitatis apicem in eadem Romana Ecclesia ipse valeat , vita generi concordante , conscendere , cum a Sede Apostolica in subdiaconatus officium sit promotus , & ei tamquam si jam diaconus esset (sicut superius dictum est) a nobis sit ecclesia specialiter assignata : communicato fratrum nostrorum consilio , a nostro latere tam pre-*

Hadriani epist. ad Fridericum *Labb. ut supra Radev. cap. 17.*

pre-

JESU CHR. AN. 1159. *pretiosum pignus, juxta petitionem excellentiæ tuæ, non potuimus removere; sed ipsum opportunitate accepta, Deo auctore, in Romana Ecclesia ad honorem ejusdem ecclesiæ, & Imperii intendimus ordinare, ut vel in ea, prout divina gratia proposuerit, quandoque ab sublimiora conscendat, vel exinde ad alterius ecclesiasticæ fastigium dignitatis ipsum contingat auxiliante Domino pervenire. Convenientius siquidem est, ut qui filius & clericus est Romanæ Ecclesiæ, ab ejus gremio non recedat; & ipsa ei circa se locum dignitati conferens, eidem inde provideat altiora. Ipsa etenim viros & moribus & scientia adornatos, præditos honestate, & sanguinis nobilitate præclaros ad se libenter evocat, & eos aliunde consuevit admittere, non se talibus, cum ipsos in gremio suo habeat, facile spoliare. Quia igitur hoc decentius esse conspicimus, & honorabilius existere arbitramur, confidentes etiam Imperatoriæ majestati hoc potius debere placere, & gratum atque acceptum esse, postulationem tuam in hac parte non duximus admittendam; credentes atque sperantes, quod ex quo nostram super hoc cognoveris voluntatem, tu ipse nostram intentionem & propositum commendabis.*

Friderici vindicta in Hadrianum. *Radev. cap. 18.*

4. Hactenus Hadriani epistola, justam excusationem praeferens, at Fridericus Imp. in Hadrianum exasperatus; *Accepta occasione*, ut subdit Radevicus, *suam hoc modo solatur indignationem. Jubet Notario, ut in scribendis chartis nomen suum præferens, Romani Episcopi subsecundet, & dictionibus singularis numeri ipsum alloquatur. Qui mos scribendi cum antiquitus in usu esset communi, a modernis ob quandam personarum reverentiam & honorem putatur immutatus. Ajebat siquidem Imperator, aut Papam debere servare suorum antecessorum ad personam Imperialem scribendi consuetudinem; aut se ipsum antiquorum Principum morem in suis epistolis oportere observare. Hæc itaque causa sermonum, & nuntiorum majorem inter eos simultatis fomitem ministravit.* ait is auctor, ac addit, vulgatas tunc fuisse epistolas tamquam ab Apostolica sede scriptas, quibus Mediolanenses, aliæque Liguriæ urbes ad defectionem excitabantur, quas suppositititas fuisse vero proximum est, alioquin eas quoque cum pluribus aliis Radevicus recitasset, duas quidem recitat Baronius tamquam ab Hadriano Pontifice ad Fridericum, & Friderici ad Hadrianum, de mutuis diffidii causis, at eas utpo-

pote suppositionis suspectas, aut ab sciolo tunc vulgatas, ut adnotat Muratorius; prætermimus, ac veriora subiicimus.

Jesu Chr. an. 1159.

5. Cum itaque discordiæ ignis excresceret, ne cum ecclesiæ damno, fideliumque scandalo ultra progrederetur, Henricus tituli Ss. Nereii, & Achilleii Cardinalis ad Eberardum Bambergensem Episcopum Imperatori carissimum, & familiarem litteras dedit, quibus eum ad reintegrandam, fovendamque inter Pontificem, & Fridericum pacem excitavit, cujus hoc est exordium *Sicut virtus Imperatoria ex eorum qui sibi assistunt, discretione monstratur, ita & ipsi, quorum munitur consilio propriæ conscientiæ & honestati debent attendere: quia & ipsorum honor sic ad dominos spectare videtur, sicut & domini detrimentum in eos procul dubio refunditur & redundat. Ea propter, dilecte pater & venerande frater, & amice charissime, vestram non tam docemus, quam monemus prudentiam, ut Imperialis dignitatis excellentiam, quantum in vobis est, in ea quæ ad pacem sunt, & ad honestatem spectant, jugiter suadeatis &c.* his subdit se in amaritudine esse, eo quod ex Imperatoris litteris percepisset, eumdem in deterius mutatum, & in Rom. Pontificem exasperatum *Ideo*, subdit, *dilectissime frater, & amice charissime Episcopalis dignitas & sacerdotii ordo, in quo vos providentia divina constituit, moneant discretionem vestram, & instruant, ut ad honorem Dei stetis & vestrum & pro honestate & libertate Ecclesiæ, ut in antiquis limitibus Ecclesiæ integritas conservetur, ne temporibus vestris, novis consiliis honestas usque modo turbata turbetur. Satis turbatum est, quidquid secundum concilium vestrum putabamus efficere. Et dicimus vobis, quamdiu per homines rerum divinarum ignaros negotia portabuntur, stabiliri pax incoepta non poterit, sed si præsentia vestra, & domini præpositi Magdeburgensis summam de pacis labore susceperit, zelus Dei & scientia, qua præeminetis uterque, finem pacificum ad honorem Dei & Ecclesiæ, & Imperatoris nostri gloriam per industriam vestram, & studium vestrum facillime poterit obtinere. Alioquin si temporæ iracundiæ repertus non fuerit, qui reconciliationi intendat, & in cujus verbis possint ista scandala complanari, res ipsa forsan aliud exiget; & quod hodie integrum est, major vehemen-*

Henrici Cardin. epist. ad Heberardum Bamberg. Episc. pro pace. *Radev. cap. 19.*

JESU CHR. AN. 1159. *mentia necessitatis disrumpet*. Hucusque Henricus Cardinalis de revocanda pace sollicitus.

Eberardi Bamberg. Episc. epist. ad Henricum Card. Radev. cap. 19.

6. Ad hæc Eberardus respondens, non sua, vel Imperatoris culpa, sed potius Pontificis Hadriani, ejusque consiliariorum opera pacem turbatam fuisse probare conatur; *Litteris vestræ paternitatis lectis, & relectis, admirari satis non potui, quod esset illud verbum, immo quod esset illud, Væ, de quo scripseratis mihi, cum adhuc a me prorsus esset absconditum. Quæritans autem inveni quod volui, & unde multum dolui, teste Deo, & multum doleo. Audivi & conturbatus, & tristatus sum. Contremuerunt omnia ossa mea, adhæsit cutis ossibus meis. Et quidem intellexi, & cognovi, quod bono semini non meo, sed vestro, pacis & consilio inimicus homo superseminaverit zizania. Omnia mala a bonis principiis orta sunt. Sicut in sacro eloquio: Paravit Dominus vasa mortis, sagittas ardentes effecit: ita & in Imperialibus gestis, ac dictis simul ac scriptis prulire reperiuntur, quæ alios seducunt, alios ædificant. Annales quandoque revolvuntur, apices Imperiales recitantur, forte in ea forma, quæ illi ætati, & tam bonitati, quam simplicitati temporum illorum competebat, hominibus tunc in directum loquentibus, neque numerum numero commutantibus, neque personas præposterantibus. Nunc vero mutata sunt omnia. Sed non expallescat aurum, nec mutetur color optimus, nec dispergantur lapides Sanctuarii in capite omnium platearum. Si qua exorbitatio consuetudinis modernæ facta est, his exemplis facta est, & hac occasione, quia flamma sopita denuo quodam vento resuscitata est per literas, quas dominus Papa nuper direxit domino Imperatori super ea quæstione, quæ vertitur inter Brixienses & Bergomenses, de contentione duorum castrorum, quas quidam pannosus & velut hostis & insidiator domino Imperatori despective quodammodo obtrusit, & ultra non comparuit, quæ videbantur duriores, & quasi interdicti vim in se continentes, ne dominus Imperator causæ illius judicium sibi assumeret*, ac post aliqua de mutuis diffidii causis hæc addit. *Veniant pro Deo, nuncii boni, portantes pacem, tamquam scientes, & docentes nos: instate opportune, importune. More solito scribantur literæ, adjuvante Domino. Flebile principium, medium, finis scilicet vertetur in gaudium, Dominus Imperator, superveniente Nuntio vestro,* pro-

propter quædam secreta negotia subito a castris discessit. Ideo ego, meis insinuationibus certum responsum ab eo elicere, neque vos litteras ejus in continenti habere potuistis. Qualis sit, vos scitis. Diligentes se diligit, aliis alienum se facit, quia nondum perfecte didicit etiam inimicos diligere. Hæc Eberardus Bambergensis Episcopus, qui alias ad Hadrianum Papam reconciliandæ pacis causa litteras scripsit, his verbis. *Cum & tacendi & loquendi tempus sit quando commune instat periculum, desperationis potius quam religionis est, servare silentium: omnium est conclamare, in unum concurrere, ac ferre præsidium, Quando autem impetus hostilis, aut incendium ingruerit civitati, præsertim eorum interest, qui vigiles civitatis sunt, eos qui in arce sunt, ipsum quoque patrem familias expergefacere ad subveniendum in necessitatis articulo. Hoc officii mei consideratione, & specialis debiti, quo teneor multis rationibus S. R. E., ego licet minimus Episcoporum, qui nec sum dignus vocari Episcopus, tam impudenter, quam imprudenter exclamo ad vos reverendissime Pater & domine, hoc in tempore, quo nobis infirmioribus videtur imminere, quod multum pertimescimus periculum, & quidem ab illa olla, quam succensam ab Aquilone vidit olim Propheta. Ignis quidam per scintillas occultas cœpit erumpere, sed adhuc in fumo est, & Deo gratias, nondum in flammam eluxit. Inter vos, domine, & filium vestrum dominum nostrum Imperatorem verbo tenus adhuc aliquid perturbationis: timendum valde, & metuendum, ne verba verbis obviantia sua collisione flammam tandem excutiant, quæ se latius diffundat in sacerdotio & regno, quod Deus avertat. Ipse filius vester, sicut nostis, dominus noster est; vos autem quomodo Christus, magister & Dominus. Nemo nostrum audet dicere hinc vel inde: Cur hoc facitis, aut dicitis? Optamus tantum, & rogamus ea quæ ad pacem sunt &c.* post aliqua *Dignetur ex integro scribere vestra paternitas placide ac benigne filio vestro domino nostro Imperatori, & ad se paterno affectu eum revocare, promptum ad exhibendam vobis omnem reverentiam. Samuel David suum amplectatur, nec dimittat a se separari, ut nulla scissura chlamydis fiat, quatenus Deus honoretur, & Ecclesia Catholica tranquilla devotione lætetur.* Hæc ad Hadrianum Pontificem Eberardus Bambergensis Episcopus, vir sane scientia, ac prudentia prædi-

Eberardi epist. ad Hadrianum Papam. *cap. 20.*

tus, cujus consilio Fridericus utebatur ac benevolentia prosequebatur, *in cujus arbitratu & discretione operas suas locaret, & onus simul, & honorem communicaret*, ait Radevicus cap. 29.

Alia Hadriani Papæ legatio ad Fridericum. *Radev. lib. 2. cap. 30. 31.*

7. Cumque hoc anno, ut idem Radevicus narrat, Mutinæ Paschale festum Fridericus celebrasset; festo transacto Bononiam profectus est, ibique, citati Mediolanenses, cum non adfuissent, qua poena digni essent, eo quod adversus Imperatorem rebellassent, consultum est, quo tempore, ut subdit auctor, *præter alios Principes nobiles interfuere suæ collationi & negotio Sedis Apostolicæ Legati, videlicet Octavianus tituli sanctæ Ceciliæ presbyter Cardinalis, Henricus tituli sanctorum Nerei & Achillei, Vuillelmus Cardinalis diaconus, ante Papiensis Archidiaconus, & Guido Cremensis diaconus Cardinalis, missi a Papa Hadriano, quorum itineris causas, simulque Nuntiorum Senatus populique Romani, rescriptum literarum venerabilis viri Eberardi Bambergensis Episcopi subter annotatum continet*, his subdit epistolam Eberardi Archiepiscopi Salisburgensis ad Eberardum Bambergensem, qua transacta hinc inde coram Imperatore narrantur; post aliqua *super hæc*, ait *tempora periculosa instare videntur, & prope est, ut inter Regnum, & Sacerdotium moveatur discordia. Et quidem Cardinalibus a Domino Papa ad dominum Imperatorem transmissis, domino videlicet Octaviano, & Domino Villelmo quondam Papiensi Archidiacono, post lene principium & ingressum quasi pacificum, capitula durissima proposita sunt, verbi gratia: Nuntios ad Urbem, ignorante Apostolico, ab Imperatore non esse mittendos, cum omnis magistratus inibi B. Petri sit cum universis regalibus. De Dominicalibus Apostolici fodrum non esse colligendum*, idest fœnum, & palleam *nisi tempore suscipiendæ coronæ. Episcopos Italiæ solum Sacramentum fidelitatis sine dominio facere debere domino Imperatori: Neque Nuntios Imperatoris in palatiis Episcoporum recipiendos: De possessionibus Ecclesiæ Romanæ restituendis, & tributis Ferrariæ, Massæ Ficorola, totius terræ Comitissæ Mathildis, totius terræ quæ ab Aquapendente est usque Romam, Ducatus Spoletani, insularum Sardiniæ, & Corsicæ. Domino autem Imperatore super his justitiam, & consilium constanter offerente, si & ipsi justitiam vellent facere & recipere: illis vero recipere tantum vo-*

volentibus, & non facere, hac ratione, quod dominum Apostolicum causæ subjicere, ac judicio sistere non possent: Hæc a Legatis Apostolicæ Sedis. Quæ autem contra Pontificem sunt proposita, ita Radevicus: *Et e contrario, domino Imperatore multa proponente de rupta concordia, quæ in verbo veritatis sibi compromissa fuerat, de Græcis, de Siculo, de Romanis sine communi consensu non recipiendis. De Cardinalibus quoque sine permissione Imperiali libere per regnum transeuntibus, & regalia Episcoporum palatia ingredientibus, & ecclesias Dei gravantibus. De injustis appellationibus, & cæteris quamplurimis brevitatem superantibus. Cum Apostolicus per Nuntium, & literas Cardinalium prædictorum ex consensu Imperatoris submonitus, Cardinales alios ad hæc omnia complananda requisitus, his qui aderant Nuntiis suis, & Curiæ Principibus nollet adjungere: unitatis & concordiæ verbum diu desideratum, peccatis nostris exigentibus, evacuatum est. Et dum hæc agerentur, Nuntiis Romanorum*, Senatus scilicet populique Romani, *supervenientes, & ea quæ pacis sunt, rogantes, bene recepti ac dimissi sunt. Rogatu tamen Cardinalium dominus Imperator Nuntios ad dominum Papam, & ad urbem missurus est, ut cum Apostolico, si ipse voluerit, primo loco pax fiat; sin autem, cum Senatu, & populo Romano.*

8. Cum Pontifice, vel cum Senatu, populoque Romano de pace se acturum promiserat Fridericus, eo quod eodem fere tempore, quo legatos suos Hadrianus ad eum miserat, Senatus quoque, populusque Romanus, interruptam fere, vel interrumpendam cum Hadriano pacem prævidens, suos quoque legatos ad Imperatorem miserat, ut ejus auxilio, & protectione, libertatem, cui jamdiu aspiraverant, recuperare possent; De eorum legatione hæc idem Radevicus narrat. *Cum hæc apud Cremam agerentur, nuncii de nobilioribus Romanæ urbis ex parte Senatus, Populique Romani ad Curiam veniunt, omnique devotione, omnique reverentia suum promittentes obsequium. Rogare ne pro iniquitate paucorum malorum, & de plebe multos bonos, & Nobiles velit pessumdare. Se esse quorum occasione acceperit, ut Imperator Urbis, & Orbis nominetur, Fridericus, eo quod in priori expeditione severius cum illis egerat, indulgentius eorum accepta legatione, benignum illis dedit responsum, & per ali-*

Legatio Roman. Senatus ad Fridericum.

Radev. lib. 2. cap 41. Murat. tom. 6.

 quot

Jesu Chr. an. 1159.

quot dies secum commoratos, regaliter donavit, & absolvit: mittens cum eis Legatos, Ottonem sæpe jam dictum palatii Comitem, & Magistrum Haribertum Aquensem Præpositum, virum prudentem, & in negotiis Regni longa eruditione exercitatum: dans hoc in mandatis, ut & ea quæ cum populo Romano, seu de stabilendo Senatu, seu de recipiendo Præfecto agenda forent, terminarent, & cum Romano Pontifice, si hoc eligeret, de prænotatis capitulis finem facerent, & concordiam stabilirent. Qui venientes ad Urbem, cum honorifice tam a Populo, quam a Senatu recepti essent, interque ipsos, & Summum Pontificem crebri Nuntii mediatores dirigerentur, molientibus illis more suo antiquum Romanæ Urbis fastum, regales se in nullo passi sunt inferiores inveniri, imo & ad se sæpius veniri, quam ut illis occurrerent, obtinuerunt &c. sicque veteres jam, & sopitas inter Pontificem, & Rom. Senatum quæstiones iterum excitatæ sunt; cum Senatus, hortante Arnaldo Brixiano veterem auctoritatem recuperare, seque a Romani Pontificis subjectione subtrahere conaretur.

Friderici responsio ad Cardinales.

9. *Imperator ad hæc verba Cardinalium*, quibus hortatus est, ut nuncios alteros ad Hadrianum pro pace concilianda mitteret, *tale dedit responsum*, ait Radevicus; *Quamvis non ignorem ad tanta negotia non ex animi mei sententia, sed ex consilio Principum me respondere debere, sine præjudicio tamen sapientium hoc absque consultatione respondeo: Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium; si tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint a Romano Pontifice. Quid tibi & Regi? consequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire: Quid tibi & possessioni? Nuntios nostros non esse recipiendos in palatiis Episcoporum asserit: Concedo, si forte aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo, & non in nostro palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt palatia Episcoporum, cum profecto omne quod ædificatur solo cedat, nostra sunt & palatia. Injuria ergo esset, si quis Nuntios nostros a regiis palatiis prohiberet. Legatos ab Imperatore ad Urbem non esse mittendos affirmat, cum omnis magistratus inibi B. Petri sit cum universis regalibus. Hæc res, fateor, magna est & gravis, graviorique & maturiori egens consilio. Nam cum divina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & sim: speciem tantum dominantis effingo, & ina-*

Radev. lib. 2. cap. 30.

& inane utique porto nomen ac sine re, si Urbis Romæ de manu nostra potestas fuerit excussa.

Friderici epistol. ad Eberardum Salzburg. Archiepisc. cap. 31

10. Cum hac respondisset Fridericus, ne omnino reintegrandæ pacis spes excideret, *Consilium initur*, subdit Radevicus, *ut ex parte Summi Pontificis Cardinales sex, et ex parte Principis sex Episcopi religiosi, prudentes, & qui Deum timeant, eligantur, tantorum negotiorum hinc inde cognitionem accepturi, tantamque litem congruo fine decisuri. Verum ut supra taxatum est, ex parte Romanorum etiam hoc consilium dicitur fuisse evacuatum. Super hoc quoque capitulo audi epistolam Imperatoris, directam Eberardo Salizburgensi Archiepiscopo in hunc modum. Quandoquidem fidelitatis tuæ constantiam, quam pro consuetudine exhibere soles Imperio, frequenter experti sumus: quæ apud nos sunt discretioni tuæ significamus, & prudentiæ tuæ consilium advocamus. Venerunt siquidem ad nos duo Cardinales a Papa missi ad hoc, ut inter nos, & illum fieret concordia. Dixerunt igitur quod Papa illam requireret pacem atque concordiam, quæ inter Papam Eugenium, & nos facta fuerat & scripta. Nos respondimus, quod pacem quidem inviolabiliter hucusque tenuissemus: de cætero autem neque eam tenere, neque ea teneri vellemus, quomodo ipse prior eam violasset in Siculo, cui ipse sine nobis conciliari non debuisset. Adjecimus tamen, quod omnem justitiam dare & accipere parati essemus, sive secundum humana, sive secundum scripta divina. Si vero justitia gravis videretur, consilio Principum & religiosorum pro amore Dei & Ecclesiæ libenter nos supponeremus: Placuit verbum nostrum Cardinalibus. Dixerunt tamen, nisi prius cognita Papæ voluntate super hoc, se nihil posse, vel audere. Missis Nuntiis, verbum nostrum cognovit Papa, mandavitque sicut prius, aliam se nolle concordiam, quam illam, quæ inter Papam Eugenium & nos facta fuisset. Nos supradicto modo hoc recusavimus, & in præsentia & testimonio omnium Teutonicorum, & Longobardorum Episcoporum, & laicorum Principum, & Baronum, & Vavassorum omnem justitiam atque consilium obtulimus, ut & nos acciperemus justitiam. Præsentes ibidem fuerunt Romanorum civium Legati, qui cum indignatione mirabantur super his quæ audierunt. Mandavit enim Papa nova & gravia, & nunquam prius audita, quæ sine consilio tuo, & aliorum fidelium Imperii tractari non possunt.*

JESU CHR. AN. 1159. *sunt. Hæc discretioni tuæ communicavimus; ut si qua tibi super his occurrerint, nosse veritatem non sit inutile. Rogamus etiam, ut si necesse fuerit, & nos tibi mandaverimus: ad nos pro tanto negotio venire non differas:* Hæc Imperator iis conditionibus pacem offerens, quas utpote injustas, Romanæque ecclesiæ graves, & injuriosas Hadrianus admittere recusavit.

Hadriani Papæ obitus, & reliqua gesta. *Radev. lib. 2. 43.*

11. Dum in his angustiis esset Hadrianus, eum ad se vocatum eripuit Deus, nam eodem Radevico testante, *Kal. Septembris apud Ananiam diem clausit extremum, & secundo nonas Septemb. in ecclesia B. Petri, præsentibus Clero, Senatu, populoque Romano honorifice sepultus est*, Rodevico consentiunt ceteri chronologi, auctor vitæ ejus Cardinalis de Aragonia, *Defunctus est Kal. Septemb. apud Ananiam*, eodemque de die obitus Hadriani narrant tum Alexander tertius ejus successor in epistola ad Bononienses, cum Fridericus Imp. in epistola ad Herimannum Brixiensem Episcopum, quarum infra occurret mentio; Post ejus obitum, id triste accidit; quod funesto schismate ecclesia turbata est, ut paulo post dicturi sumus; Nunc reliqua Hadriani gesta narranda sunt, cujus extat epistola incerto anno scripta Henrico Anglorum Regi, quæ prima inter ejus epistolas apud Labbeum est, in qua consilium ejusdem laudat, de Hibernia invadenda, ut ibidem catholicam fidem pene collapsam restitueret, corruptosque mores corrigeret, eumdemque de solutione denarii per singulas domos, Romanæ ecclesiæ facienda admonet. *Laudabiliter, & fructuose*, ait, *de glorioso nomine propagando in terris, & æternæ felicitatis præmio cumulando in coelis tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos Ecclesiæ terminos, ac declarandam indoctis & rudibus populis christianæ Fidei veritatem, & vitiorum plantaria de agro Dominico extirpanda, sicut Catholicus Princeps, intendis, & ad id convenientius exequendum, consilium Apostolicæ Sedis exigis & favorem &c.* & paulo post subdit. *Sane Hiberniam, & omnes insulas quibus sol justitiæ Christus illuxit, & quæ documenta Fidei Christianæ ceperunt, ad jus B. Petri, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ (quod & tua nobilitas recognoscit) non est dubium pertinere. Unde tanto in eis libentius plantationem fidelem, & germen gratum Deo inserimus, quanto id a nobis interno examine di-*

Hadriani epist. ad Henricum Angl. Regem. *Labb. to. 10. pag. 1143.*

Hadrianus Henricum in proposito Hiberniæ occupandæ confirmat.

distrietius prospicimus exigendum. Significasti siquidem nobis, fili in Christo charissime, te Hiberniæ insulam, ad subdendum illum populum legibus, & vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare, & de singulis domibus annuam unius denarii B. Petro velle solvere pensionem, & jura ecclesiarum illius terræ illibata & integra conservare. Nos itaque pium & laudabile desiderium tuum cum favore congruo prosequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum & acceptum habemus, ut pro dilatandis Ecclesiæ terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus, & virtutibus inserendis, pro Christianæ religionis augmento, Insulam illam ingrediaris, & quod ad honorem Dei, & salutem illius terræ spectaverit, exequaris: & illius terræ populus honorifice te recipiat, & sicut dominum veneretur: jure nimirum ecclesiastico illibato & integro permanente, & salva B. Petro & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ de singulis domibus annua unius denarii pensione &c. Eamdem epistolam recitat Radulphus de Diceto, ac cum anno 1154. refert, at ad annum sequentem 1155. Matteus Parisius; Hadriani autem gesta recolens auctor vitæ ejus Cardinalis de Aragonia, ipsum urbem, & ecclesias plurimas urbis mirifice exornasse, ac patrimonia Rom. ecclesiæ restaurasse, ac auxisse adnotat, ut ibidem videre est; Id etiam omni laude inter Hadriani gesta dignum occurrit, quod cognatos suos ex Romanæ ecclesiæ bonis nullatenus ditaverit, ut ex epistola Alexandri tertii ad S. Thomam Cantuariensem Archiep. adnotavit Joannes Salisburiensis, qua epistola Alexander hæc habet. *Quid fecit pro vobis Cantuariensis ecclesiæ amator Hadrianus, cujus mater apud vos algore torquetur, & inedia &c.*

Epist. S. Thomæ Cantuar. lib. 1. 24.

12. De Hadriani obitu agens schismaticus nescio quis apud Uspergensem hæc finxit. *Factum est*, ait, *ut cum præfatus Hadrianus apud Ananiam denuntiaret excommunicationem contra Imperatorem, paucis diebus evolutis, cœpit procedere refrigerandi gratia cum suis. Cumque venisset ad quemdam fontem, hausit de potu illius, & continuo (ut dicitur (musca os ejus intravit, & gutturi ejus adhæsit; nulloque artificio medicorum avelli potuit, quoad usque spiritum exhalaret.* Hæc ibi de obitu Hadriani Papæ. At hæc nugas & figmenta esse, vel inde sentias, quod falsum omnino est, quod

Fabula de morte Hadriani Papæ.

Jesu Chr. An. 1159.

quod ibi in primis asseritur quod is Imperatorem excommunicaverit, cum id nunquam poterit quis asserere, ceteris Scriptoribus omnibus ejus temporis repugnantibus. Nam audi Dodechinum hujus temporis auctorem de rebus gestis hoc anno: *Hadrianus Papa Imperatorem pro jugi dissidio excommunicare disposuerat, sed mense Octobris morte praeventus est*. Haec ipse. Porro hujus de musca fingendae fabulae occasio inde manavit, quod (ut testatur Willelmus Tyrius temporis hujus scriptor) ipse Hadrianus Papa mortuus est morbo anginae: Sic enim hostes ejus de obitu exultantes, derisus causa scomma illud de musca jactarunt.

Alexander tertius Pontifex creatur an monachus fuerit.

13. Hadriano igitur successit Alexander ejus nominis tertius, cujus laudes, & gesta usque ad Pontificatum celebrat Card. Aragonius in ejus vita *Alexander tertius*, ait, *natione Thuscus, patria Senensis, ex patre Rolando presbyter Cardinalis tituli S. Marci, & Apostolicae Sedis Cancellarius, sedit annos decem et octo. Qui cum esset in ecclesia Pisana Canonicus, clericus magni nominis, et charus haberetur ab omnibus, ad hanc sanctam Romanam Ecclesiam a B. Eugenio est vocatus. Quem ubi, Deo auctore, cognovit virum idoneum, primo eum diaconum Ss. Cosmae et Damiani, deinde in titulum S. Marci presbyterum Cardinalem ordinavit: et tandem quia semper de bono crescebat in melius, Cancellarium Sedis Apostolicae constituit. Erat enim vir eloquentissimus, et divinis et sacris Scripturis, et humanis sufficienter instructus, et in eorum sensibus subtilissima exercitatione probatus: vir quoque scholasticus, et eloquentia polita facundus, vir siquidem prudens, benignus, patiens, misericors, mitis, sobrius, castus, et eleemosynarum largitionibus assiduus, atque aliis operibus Deo placitis semper intentus, adeo fecit eum Dominus crescere in plebem suam, et dedit ei sacerdotium magnum*, nam ut prosequitur auctor, eademque fere Bernardus Guido, Pandulphus Pisanus in ejus vita *Pridie nonas Septembris* Episcopi, & Cardinales de eligendo Pontifice in ecclesia B. Petri convenientes, per tres dies de ipsa electione pertractarunt, quibus elapsis, unanimi consensu Cardinalium, Clero, populoque Romano plaudente, Rolandus S. R. E. Cancellarius electus est, tribus tantum Cardinalibus exadverso stantibus, Octaviano scilicet, qui Pontificatum ambiebat, & Joanne tituli S. Martini, & Guidone

Murat. rer. Ital. tom. 3.

ne tituli S. Callisti Presbyteris Cardinalibus, qui Octaviani partes sequebantur; Rolandum itaque in Pontificem electum, *Episcopus Ostiensis, una cum Albanensi, Portuensi, et Sabinensi Episcopis, ceterisque Diaconibus et Presbyteris Card.* Alexandrum *fugientem, excusantem insuper et omnino reluctantem papali manto Deo favente induerunt*; Hunc quidem Cistercensis ordinis monachum fuisse ait Henriques, quem ideo menologio sui ordinis inseruit: at ut adnotat Pagius nota 9. Canonicus regularis magis fuit, & ecclesiæ Pisanæ canonicus, cum ab Eugenio Papa inter Cardinales relatus est, frustra etiam scriptores aliqui Benedictini Hadrianum quartum, & Alexandrum tertium suo ordini adjudicant, ait idem Pagius not. 8. ad hunc annum.

Octavianus Pontificatum invadit; Victor tertius dictus.

14. Octavianus autem a duobus Cardinalibus Joanne scilicet, & Guidone adjutus, *ubi se ipsum vidit spe concepta fraudari, in tantam vesaniam, audaciamque prorupit, quod mantum ipsum tamquam arrepticius a collo ejus propriis manibus violenter abstulerit, et secum inter tumultuosos fremitus asportare tentaverit. Porro unus ex Senatoribus qui aderant, cum tantum facinus inspexisset, contremuerunt renes ejus, et audacter in sevientem insiliens, mantum ipsum de manibus ejus eripuit. Ipse vero dolore cordis tactus intrinsecus illico ad Capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat et paratus, intorsit oculos, clamans ut phreneticus, et innuens ut mantum quod secum portaverat, celeriter sibi afferret. Quo sine mora delato, cum adesset, pallium abstrahens caput inclinavit, et per manum ejusdem Capellani, atque alterius clerici sui (heu proh dolor!) mantum impudenter sumpsit. Sed divino judicio contigit, quod ea pars manti, quæ operire anteriora debuerat, videntibus cunctis atque ridentibus, posteriora contexit. Et cum ipsemet vellet hujusmodi ludibrium studiosius emendare, quia manti caputium extra se raptus, non poterat invenire, inferiores fimbrias collo, sicut potuit, applicavit*: sicque Pontificalia induens, ludibrio sese exposuit.

Cardinales inclusi liberantur,

15. Ludicra tamen scena in luctuosam illico conversa est, nam, ut sequitur auctor, Senatores nonnulli pecunia corrupti, cum militibus strictis gladiis advenientes, clausis ecclesiæ portis irruerunt; Unde Cardinales ne armata manu ad Idolum adorandum cogerentur, seu in Octaviani electione

JESU CHR. AN. 1159. consentire, *in munitionem dictæ ecclesiæ cum suo electo* (Alexandro scilicet) *sese pariter receperunt*, ubi per novem dies Octavianus eos die noctuque custodire fecit: cumque ægerrime tam immane facinus Clerus, populusque Romanus ferret, ac commota plebs maledictis schismaticos insequeretur, ut addit auctor, *Cum Hectore Frangipane, et aliis nobilibus Romanis venit ad locum, ubi fratres tenebantur inclusi, compellens jam dictos Senatores, ut ipsius munitionis portas celeriter aperirent, et eosdem fratres cum domino Alexandro absolutos et liberos adire permitterent. Sic igitur suffragantibus Beatorum Apostolorum Petri et Pauli meritis a violentia persequentis erepti, et suæ sunt redditi libertati. Transeuntes autem per ipsam urbem cum laudibus, campanis etiam undique pulsantibus, et jucunde cum exercitu comitantibus etiam multis romanis militibus cum frequentia peditum, in Vigilia B. Matthæi Apostoli prospere ad Nimphas per Dei gratiam pervenerunt. Ubi ipsa Dominica die, convocatis fratribus in unum cunctis, videlicet, Gregorio Sabinensi, N. Ostiensi, B. Portuensi, F. Albanensi, T. Signiensi, T. Terracinensi Episcopis, Cardinalibus quoque presbyteris, et diaconibus, simulque Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, et Primicierio cum schola Cantorum, nobilibus quoque et plurima parte populi Romani, dominus Alexander per manus Ostiensis Episcopi, ad quem solum consecratio Romani Pontificis pertinet, præeunte Spiritus Sancti gratia, consecratus est in summum Pontificem, et secundum solitum Ecclesiæ morem, regno de more insignitus, mitra turbinata scilicet cum corona etc.* ac ipsemet Alexander tertius in epistola Gerardo Bononiensi Archiepiscopo, Clero ejusdem civitatis, & legis doctoribus cæterisque magistris Bononiæ commorantibus, se apud Ninphas *die Dominica* solemniter, more solito consecratum fuisse narrat, eaque epistola, post ordinationem suam scripta, cum nondum Octavianus invenisset; *qui ei manus execrationis imponeret*; totius rei gestæ seriem enucleatus exponit, integram Baronius recitat, nos stylo parcentes, ne supradicta de Hadriani obitu, & Alexandri electione, & ordinatione, deque Octaviani schismate excitato, repetamus, hæc tantum exscribemus ab Alexandro dicta, ut eos in Romanæ ecclesiæ obedientia retineret, qua de re hæc subdit.

epist. 1. Lab. tom. 10. pag. 1188.

16. *Cha-*

16. *Charitatem vestram per Apostolica scripta rogantes, & commonentes, ut sicut viri Catholici vos pro domo Domini muros inexpugnabiles opponatis, & in devotione ac fidelitate matris vestræ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ immobiliter persistentes, ab ejus unitate nullatenus recedatis. Quod si præfatus vir impietatis ad partes vestras aliqua damnationis suæ scripta transmiserit, ea sicut respuenda sunt, respuatis, & tamquam vana & sacrilega contemnere, & abiicere studeatis. Noverit insuper discretio vestra, quod nos supra nominatum Octavianum apostaticum & schismaticum in octavo die a consecratione nostra (hunc enim terminum ei resipiscendi, & ad unitatem matris Ecclesiæ redeundi præfiximus) tamquam inobedientem & contumacem, & illo, qui ei manus præsumerent non dicimus consecrationis sed execrationis imponere, & de communi fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium voluntate atque consilio, accensis candelis, & coetu clericorum in ecclesia congregato, vinculo anathematis & excommunicationis astrinximus, & eos cum suo auctore diabolo condemnavimus.* Hucusque Alexandri litteræ ad Bononienses, easdemque mutata inscriptione ad alias orbis christiani ecclesias missas fuisse, ut eos de rebus gestis certiores redderet, dubitari vix potest.

Alexandri epist. ad Bonon. de sua electione.

17. Octavianus interea, qui tamquam in scæna Pontificale pallium induerat, ut diximus, ut tragediam compleret, de Basilica B. Petri in Leoninam urbem transiens, quotquot poterat, vel militari violentia, Imperialibus minis, blanditiis, & pecunia sibi allicere satagebat, ait supracitatus auctor vitæ Alexandri, vix tamen *Domino impediente profuit*; ac duos tantum, Joannem scilicet de Morsane, & Guidonem Cremensem, qui eum uti Pontificem agnoscerent, invenit; Cumque *per spatium quatuor hebdomadarum tam per se quam per milites, & consanguineos suos incessanter fatigaretur pro convocandis ad se Episcopis: tandem quidam Melphitanus Episcopus fugitivus in finibus Anconæ latitans cum Episcopo Ferentini, qui domino Alexandro Papæ adversabatur, & Joanne Episcopo Tusculano, qui prius consenserat in Alexandrum, & postmodum retrorsum abiit, eumdem Octavianum ausu temerario execravit magis quam consecravit.*

Octavianus, seu Victor Antipapa ordinatur.

18. Alexander vero urbe egressus Terracinam transierat, ait auctor, *Volens cognoscere, quid acturi essent in facto*

Alexander legatos ad Fri-

Jesu Chr. An. 1159. der. Imp. mittit.

facto ecclesiæ Otto Palatinus, & Guido Blandratensis Comites, quos eodem tempore Imperator ad beatæ memoriæ Hadrianum Papam transmiserat, licet veritatem ipsius facti cognoscerent, & de canonica electione domini Alexandri nullatenus dubitarent: timentes tamen offendere dominum suum, quem cognoverant ipsi Octaviano valde amicum; & præsenserant animum ejus commotum adversus Romanæ Ecclesiæ Papæ fautores, & quod vires præstabat Octaviano simulatorie & fraudulenter incedebant cum Alexandro. Dum autem hæc agerentur, deliberat cum fratribus suis communicato consilio Pontifex Nuntios cum Apostolicis litteris ad eumdem Imperatorem, in partibus Longobardiæ obsidentem Cremam, humiliter destinare, cupiens eum ad amorem Ecclesiæ in omni potentia & lenitate revocare, secundum B. Pauli dictum: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Ille vero nimio fastu superbiæ inflatus, non solum legere literas sprevit, sed tamquam insanus Nuntios ipsos, nisi Dux Vuelpho cum Duce Saxoniæ ipsi restitissent, suspendere nequiter voluit. Quorum consilio & suasione Principum, quamvis tandem eosdem Nuntios coram se venire, & litteras Pontificis demum legi permiserit; nihil tamen ad eos dignatus est respondere, animum suum Alexandro infensum, schismatique propensum aperte indicans.

Card., & Episc. litteræ ad Frider. Imper. pro Alexandro. *Murat. to.6. Radev. lib.2. cap.52.*

18. Eodem tempore, quo Alexander Papa legatos cum litteris suis ad Fridericum misit, Cardinales etiam, & Episcopi, qui Alexandrum elegerant, & consecraverant, de legitima Alexandri electione Fridericum Imp. litteris suis certiorem reddiderunt, in quarum inscriptione nomina leguntur Episcoporum Card. quinque, ac unus tantum ex familia Comitum Tusculanorum in partibus Octaviani erat; Presbyteri etiam, & Diaconi, uno aut altero excepto, Alexandri causam tuebantur, ut vel ex hoc tantum titulo manifestum fieret Alexandrum at majori, & maxima etiam parte electum, legitimum fuisse Pontificem, litteris etiam suis Imperatorem in præfatione admonent sui officii, & muneris esse, *Romanam ecclesiam honorare, & ei semper, & præsertim necessitatis tempore salubriter, atque utiliter providere &c.* deinde, *Quid autem diebus istis in eadem ecclesia Romana contigerit, & quam inauditum facinus ab his, quos filios reputabat, aliquantis diebus transactis*

fue-

fuerit perpetratum, dignum, immo dignissimum est, nos Imperiali celsitudini nostris literis aperire. Nuper siquidem cum dominus noster bonae memoriae Hadrianus Papa Kalendis Septembris apud Anagniam debitum naturae solvisset, & de terris ad coelum, de imis migrasset, vocante Domino ad superna, tres falsi fratres Octavianus scilicet, & Joannes de S. Martino, & Guido Cremensis, qui a nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in Angelum lucis cum sint satanae &c. prout superius in litteris Alexandri Papae narratur; deinde *Noverit sublimis gratia vestra, quod Otto Palatinus Comes occasione de intrusione Octaviani suscepta, praefatum dominum nostrum* Alexandrum Papam, *& nos omnes plurimum infestavit, & Ecclesiam Dei nisus est scindere, & multipliciter absque rationabili causa turbare. Campaniam siquidem atque Patrimonium B. Petri cum intruso atque apostatico Octaviano violenter intravit, & terram ipsam studuit ei quibuscumque modis subjugare. Nos itaque, & tota Ecclesia Dei nobiscum, majestatem vestram suppliciter exoramus, ut tam violenta intrusione, ita sicut est, intellecta & diligenter inspecta, qualiter vobis ad salutem animae vestrae & honorem Imperii super tanto negotio sit procedendum, diligenter attendatis &c.* enixeque rogant, ut S. R. E. ad pacem, & tranquillitatem revocare dignaretur; *& tantam praefati invasoris atque schismatici*, (Octaviani) *iniquitatem nullatenus faveatis &c.*

19. Nec officio suo Octaviauus Victor jam dictus defuit, nam post ordinationem suam, litteras, tum ad Fridericum protectorem suum, cum ad alios, ut eos in suam factionem traheret, vel retineret, & quidem per totum mendaciis refertas; quarum haec est inscriptio. *Victor Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & charissimis filiis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & coeteris Principibus, & egregiae familiae Imperiali, in sacratissima Curia domini Friderici serenissimi ac invictissimi Romanorum Imperatoris commorantibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Quam, et in quantum ecclesiastici status decorem, et honorem Romani Imperii, et nobilitatem omnium bonorum hactenus sincere dileximus, et quae mutuae charitates sint invicem frequenter exhibitae: nequaquam credimus a vestrae magnitudinis excidisse*

Victoris 4. Antipapae literae ad Frider. Imp. *Radev. lib. 2. 50.*

Jesu Chr. an. 1159.

se memoria . Nunc autem tanto propensioris dilectionis efficaciam vobis et Imperio cupimus exhibere , quanto , Deo auctore , ad majorem conscendimus dignitatem . Quapropter universitatem vestram , de qua plene confidimus , plurimum deprecamur , ut pro B. Petri Apostolorum principis reverentia , et antiquae dilectionis constantia , quae inter nos inviolabiliter perseverare dignoscitur , dominum Imperatorem invictissimum commonendo rogetis , quatenus Imperio sibi a divina clementia commisso , et Ecclesiae Dei Sponsae Jesu Christi , cujus Advocatus et defensor divinitus est constitutus , providere et subvenire non tardet , ne in tanta discordia adversariorum malitia nequiter praevalere , navicula B. Petri procellis et tempestatibus suo tempore quassari , et decus Imperiale valeat aliquatenus obnubilari etc. de ordinatione deinde sua prima Dominica mensis Octobris peracta certiores facit ; ac tandem , ut Alexandri communionem , societatemque vitarent his verbis admonet . *Quocirca universalitatem vestram humiliter deprecamur , quatenus nos apud ipsum precibus adjuvetis , a quo omnis est potestas et honor dignitatum . Si autem ex parte illius Rolandi quondam Cancellarii , per conspirationem et conjurationem contra Ecclesiam Dei , et Imperium Vuillelmo Siculo astricti , qui die duodecima post electionem nostram se fecit intrudi (quod a saeculis non est auditum) ad vos scripta pervenerint ; tanquam mendacio plena , et a schismatico et haeretico destinata respuatis , et aures vestras nequaquam illis ullatenus praebeatis . Data Signiae quinto Kal. Novembris .*

Litterae schismaticorum pro electione Victoris Antipapae . *Radev. cap.* 52.

20. Eodem stylo mendaciis referto Cardinales schismatici pro Octaviani , seu Victoris ordinatione litteras vulgarunt ; inscriptas *Venerabilibus in Christo fratribus Patriarchis , Archiepiscopis , Episcopis , Abbatibus , Ducibus , Principibus , Praepositis , prioribus , & ceteris ecclesiarum praelatis* ; at quinque tantum Cardinales , cum Sublacensi Abbate inscripti leguntur ; Unde vel ipse adhoerentium numerus Octavianum intrusum , & Antipapam fuisse demonstrat ; Rem vero altius repetentes , dissidia in Romana ecclesia inde exorta fuisse testantur , cum Hadrianus Papa cum Villelmo Siciliae Rege , pacem , concordiamque firmaverat , uti suo loco supra adnotavimus ; Hadriano autem Ananiae , e vivis erepto , & in urbem ad sepulturam translato , cum ob successoris electionem in unum convenissent , se primo concor-

cordasse addunt, ut nonnisi ex communi consensu Pontifex eligeretur: *Tali pacto in verbo veritatis firmato, post humatum corpus* (Hadriani) *in Ecclesia B. Petri ad eligendum Pontificem convenimus, & juxta prædictam consuetudinem personas, quæ singulorum voluntates diligenter inquirerent, & audirent ac describerent, segregavimus. Sed cum propter conspirationem adversæ partis electio lente procederet, tertia die fere transacta, ad hoc tandem deventum est, quod quatuordecim Cardinales exadverso, qui sacramento constricti tenebantur, Rolandum Cancellarium nominaverunt. Nos autem novem numero, qui nefandi juramenti exortes eramus, venerabilem fratrem nostrum Octavianum, presbyterum Cardinalem virum utique honestum & religiosum ad regimen Apostolicæ Sedis, & ad concordiæ & pacis unitatem inter Ecclesiam & Imperium reformandam ac conservandam, dignum & utilem esse cognoscentes elegimus &c.* his gesta ex utraque parte in eorum intronizatione, & ordinatione, narrant, litterasque ea de causa scriptas, & nuncios a Cardinalibus ex parte Alexandri commemorant; quibus ne fidem præberent, sed sibi veritatem coram Deo attestantibus admonent, & eos schisma excitasse, verba eorum satis aperte indicant, dum narrant quatuordecim in Alexandri electione concurrisse, in Octaviani vero, quæ etiam posterior fuit, novem tantum fuisse, iisque dici poterat, *ex ore tuo te judico serve nequam &c.* Luc. cap. 22.

21. His, aliisque ex utraque parte acceptis, *Fridericus cogitans libertatis privilegium ab ipso Domino ecclesiæ concessum posse irritare*, ait Aragonius, *& juxta suæ voluntatis arbitrium Papam in sede Apostolica ponere duos ex fautoribus suis Verdensem & Pragensem Episcopos ad fratres, qui cum domino Alexandro venerant, in civitatem Anagniam destinavit, scribens non sicut Advocatus & defensor Ecclesiæ, sed sicut superior judex & dominus, super eos potestatem habens. Venerunt ipsi festinanter sub typo superbiæ, & intrantes palatium sederunt coram Pontifice cum patribus, & fratribus, aliisque multis tam laicis quam clericis, sed nullam exhibuerunt eidem Pontifici reverentiam. Et recitaverunt ea, quæ a domino suo imposita eis fuerant, & bullatas ex auro ejus litteras addiderunt, in quibus hoc inter cætera continebatur expressum: quod ipse Imperator audita dissensione, quæ* *in*

Friderici epist. ad Alexandrum pro conventu cogendo. Radev. lib. 2. 55.

JESU CHR. AN. 1159. *in Romana Ecclesia emerserat, personas Catholicas de quinque regnis convocaverat: Ideoque præcipiebat eis ex parte generalis Ecclesiæ, ut in octava Epiphaniæ apud Papiam convenirent ad ejus præsentiam audituri, & recepturi, quod dictaretur.*

Aliæ in eam rem datæ epistolæ. *Radev. 56.*

22. Eademque de conventu Papiæ celebrando ad discutiendam de Rom. Pontificatu quæstionem inter Alexandrum, & Octavianum litteris suis ad Alexandrum, & ad Cardinales, qui ipsum elegerant, Fridericus inseruit; easque non Alexandro Pontifici, sed Rolando Rom. ecclesiæ Cancellario inscripsit; inter cetera autem hæc habet. *Ea propter de discordia, quæ in substituendo Romano Pontifice inter vos suborta est, plurimum dolemus, timentes, ne occasione hujus schismatis Ecclesia Christi sanguine redempta debeat dilacerari, præsertim cum robur Ecclesiæ foris titubare videatur, quoniam unitas ipsius scissura domestica interius dilaniatur. Ut autem huic pesti competens & Deo gratum exhibeamus remedium, religiosorum virorum consilio generalem Curiam & conventum in octava Epiphaniæ Papiæ indiximus celebrandum, ad quam evocavimus totius Imperii nostri, & aliorum regnorum, scilicet Angliæ, Franciæ, Hungariæ, Daciæ Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & viros religiosos, ac Deum timentes, quatenus remoto omni seculari judicio, hoc tam magnum Ecclesiæ negotium, ecclesiasticarum tantum personarum sententia ita sopiatur, ut & Deo debitus exinde honor deferatur, & Ecclesia Romana sua integritate & justitia non possit a quoquam privari, vel status Urbis, quæ caput Imperii nostri est, inquietari. Proinde eruditioni vestræ mandamus, & ex parte Dei omnipotentis, & totius Ecclesiæ Catholicæ præcipimus, ut ad eamdem Curiam sive conventum veniatis, & ecclesiasticarum personarum sententiam audituri, & recepturi. Testis enim nobis est Deus, quia in hac Curia nec amore nec odio alicujus personæ quidquam aliud quærimus, quam honorem Dei, & Ecclesiæ unitatem. Quod si ad tam celebrem Ecclesiæ conventum examinationis causa venire volueritis: charissimi Principes nostri & Ecclesiæ Catholicæ Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis, Patres & Episcopi venerabiles, quos de palatio nostro ad vos transmisimus una cum Comite Palatino consanguineo nostro, aliisque Legatis nostris, securum vobis conductum præstabunt. Si vero justitiam*

tiam Dei & Ecclesiæ in tam solemni conventu recipere nolueritis : videat Deus & judicet . Nos autem ipsius favente gratia , qui dat salutem Regibus , justitiam Dei , quæ nullum magis quam Imperatorem Romanum decet , prosequemur . Hactenus ad Alexandrum Papam Fridericus Imp. . Huic alteram Herimanno Brixiensi Episcopo datam subnectit Radevicus , *pro exemplo* earum , quas ad transmontanos Episcopos scripsit ; non solum Imperii sui , sed etiam Regnorum Franciæ , Angliæ , Hispaniæ , atque Hungariæ , ut ad condictam diem Papiæ adessent , ut ibidem videre est , ac data dicitur *Cremæ decimo Kal. Novemb. His auditis* , sequitur auctor , quotquot cum Alexandro erant , turbati sunt , cum totam causam ad Papiense concilium , ab Imperatore convocatum , retractandam esse audierunt , cum præcipue in Octavianum propensiorem eum esse scirent ; nam *Imperator Octavianum in suis terris Romanum Pontificem , & Alexandrum Papæ cancellarium nominabat* [1].

Alexandri responsio ad legatos Friderici.

23. Quare consilio inito , quotquot cum Alexandro erant , *in fidei catholicæ unitate , & obedientia summi Pontificis ita omnes confirmati , & unanimiter sunt roborati , ut pro manutenenda ecclesiæ libertate , si necessitas immineret altissimis se periculis unusquisque sponte offerret* , ac *instantibus* pro responso , qui a Rege missi fuerant Episcopis , Alexander Papa aperte testatus est , se honore debito Imperatorem tamquam ecclesiæ protectorem prosequi , mirari tamen addidit , eo quod Imperator honorem Romanæ ecclesiæ , sibique debitum denegaret , dum se Romanæ ecclesiæ , Romanique Pontificis judicem constitueret ; *In litteris enim* , ait Pontifex , *quas ex parte ipsius nobis , nostrisque fratribus detulistis , hoc inter coetera tenebatur expressum : Quod ipse audita dissensione , quæ in ipsa Ecclesia emerserat , de quinque regnis personas ecclesiasticas convocaverat &c. ut supra usque ibi : His auditis . Nimirum longe a consuetudine prædecessorum suorum recessisse videtur , & dignitatis suæ terminum excessisse , dum sine conscientia Romani Pontificis Concilium convocavit , & nos ad præsentiam suam , sicut homo super nos potestatem habens, præcepit convenire &c.* ac subdit Romanæ ecclesiæ privilegium , usque ad ea tempora fuisse , *ut universarum ecclesiarum causas ipsius auctoritate discuteret , ac finiret , ipsa vero nullius umquam judicio subiiceretur &c.* Quare se nequaquam Pa-

Jesu Chr. an. 1159.

pienſi concilio adfuturum addidit. *Ad curiam vero ejus;* poſt pauca ſubdit, *vel ad ſententiam accedere canonica traditione, & reverenda Patrum auctoritate non permittit. Unde cum nec in minoribus eccleſiis advocati earum & ſingulares Principes, vocationes, diſceptationes, ac deciſiones hujuſmodi cauſarum ſibi, aut Curiis ſuis uſurpent, ſed ſuorum Metropolitanorum, aut Apoſtolicæ Sedis ſemper notitiam & definitionem habere expectent: divina videtur animadverſione digniſſimum, & ab omni eccleſia tanto durius arguendum, quanto amplius ad univerſalis Eccleſiæ periculum redundaret, ſi per ignorantiam noſtram, aut puſillanimitatem ſpiritus, a capite (quod avertat Deus) diebus noſtris iſte morbus inciperet, & nos Eccleſiam, pretioſo ſanguine Chriſti redemptam, in ſervitutem redigi ſineremus. Ergo pro cujus libertate tuenda Patres noſtri proprium ſanguinem effuderunt, & nos ipſi ad eorum exemplum, exigente neceſſitatis articulo, extrema audemus pericula ſuſtinere.* Hactenus auctor vitæ Alexandri.

Friderici legati Octavianum pro Papa venerantur.

24. Hoc reſponſo accepto, ſubdit auctor, *Indignati ſunt prædicti Epiſcopi, qui miſſi ſunt, & contumaciter redeuntes, ad Octaviani præſentiam apud Signiam acceſſerunt & ad pedes ipſius procidentes, adoraverunt eum. Idipſum quoque fecit Otto Palatinus Comes, quem cum Teutonicis Imperator cunctis delegaverat ad partes Urbis. Tunc vero non mediocriter eſt elevatum cor ipſius hæreſiarchæ, vehementer extollens ſe ſuper ſe tanquam inſanus & cæcus, non ſciens, quod ſecundum B. Petri & Cyriaci martyris dictum, ſchiſmatici ſemper inter initia ferventer incrementa habuerunt: cum autem non poſſunt quod illicite coeperunt detinere: ſtatim paulo poſt cum prima ſua æmulatione deficiunt &c.* hæc, & alia ibidem. Quid poſt hac geſtum, quidve in Papienſi conventiculo ſtatutum vel præſumptum anno proximo fuerit, ibidem dicturi ſumus: De Octaviani autem ſchiſmatici ordinatione, eadem cum ſupracitatis auctoribus, et Anonymo Caſſinenſi, tradit auctor chronici Turonenſis coævus, ac addit, *Octavianus ſchiſmaticus oppidis circinatis*; ideſt circumeundo obitis; *duos Cardinales, ſcilicet Epiſcopum Tuſculanum, & Ferentinum, & alium Apuliæ Epiſcopum de Melfet*, (Molfeta dictum) *qui propter proditionem expulſus de Regno Siciliæ exulabat, per nuncios evocavit, & ab eis de-*

Martene vet. Monum. to. 5.

decimaquinta die post consecrationem Alexandri Papæ , maledictionem pro benedictione suscepit; Hunc tamen eo usque Fridericus Imp. tamquam idolum suum dilexit , ut Alexandro testante in litteris ad Eberhardum Salisburgensem Archiepiscopum , dum adhuc Hadrianus viveret , *Intendisset illum ordinare Apostolicum , id vero tunc* , ait Pontifex *a pluribus dicebatur , & fama quasi commune habebatur ; si opportunitatem acciperet &c.*

Apud Ludig. in spicil. ecclesiast. Labb. t. 10. p. 1363.

25. Dum post Hadriani Papæ obitum , eo usque Romanæ ecclesiæ res turbatæ essent , ut in successoris electione schisma timeretur , accidit , ut duo Rom. ecclesiæ Cardinales legatione in provincia Cisalpina fungentes , captivi detinerentur , quod ut scivit Fridericus , de iis bene mereri studens , in suasque partes trahere , sollicitus ut liberi dimitterentur , jussit ; idque utpote majestate sua dignum summopere prædicavit , atque in litteris ob eam rem datis ad Emanuelem Comnenum Imperatorem , quas integras a Metio Thermulorum Episcopo acceptas recitat Baronius hæc habet ; *Orbis mutilatio propter dissensiones , & schismata , et totius humani generis turbulentiæ , quæ propter Ecclesiæ viduitatem , antiqui serpentis effuso veneno , emerserunt et irruerunt , pro electione magni sacerdotis , non solum communibus suffragiis , sed etiam magna cum solertia facienda et habenda , spiritum et animum nostrum quasi despondere nos compulerunt , ut per frequentes , et præstantes , et insignes Apocrisarios et Legatos nostræ serenitatis ad Cardinales egerimus propterea , ut de hujusmodi magni sacerdotis electione diligentissime cogitarent . Et ne justa præberetur occasio aliqua iis , qui tantum bonum impedire vellent , eo quod detineretur a nobis magister Oddo S. Nicolai in carcere Tulliano reverentissimus Cardinalis , non solum ipsum , verum etiam alios Ecclesiæ Prælatos præstantissimos dimittendos etiam decrevimus etc.* Prænestinum autem Episcopum Cardinalem ab se quoque dimissum sibi adversari , conqueritur , qui Alexandri partes sequebatur , etsi ejusdem electioni non interfuisset .

Friderici Imper. epist. ad Manuelem Imp.

Fridericus Cardinales liberos dimmitti jubet.

26. Fridericus interea pro Octaviano schismatico sollicitus , cum præjudicatam jam pro eo sententiam dixisset , dum ipsum litteris suis Rom. Pontificem appellaverat , atque Si-

Fridericus Reges sollicitat, ut le-

Jesu Chr. an. 1159. gnia degentem, uti Pontificem legati ejus venerati fuissent; uti paulo ante diximus, ut totum orbem in suam perduceret sententiam, ac in schisma traheret, ad Reges undique, Franciæ, Angliæ, Hispaniæ, Hungariæ, Daniæ, Bohemiæ, ut legatos suos ad conventum Papiensem mitterent, litteras dedit; quarum quis exitus fuerit, anno proximo videbimus: interea adnotare juvabit, Henricum Angliæ Regem ab Arnulpho Lexoviensi Episcopo præventum Friderici consiliis restitisse, uti in sua ad Alexandrum epistola Arnulphus testatur, eaque quot olim ecclesia persecutiones, vexationesque passa sit, fusiori stilo exponit, ex iis nihilominus Deo protegente gloriosiorem evasisse addit ac exemplis confirmat. *Schismata hæc*, ait, *in ecclesia Rom. frequentius accidisse, etiam Lateranensis Palatii picturæ demonstrant, ubi Catholicorum Patrum pedibus pro scabello schismatici præsumptores adscripti sunt, ubi superborum et sublimium colla, sapientia propria virtute conterit et conculcat. Quod sane ea ratione factum, ut sanctis Patribus cedat ad gloriam victoriæ testis adscriptio, in qua præsumptores illi, vel compressionis poenam sustinent, vel præsumptionis veniam deprecantur. Unde et sancti Apostolatus vestri Cathedra sine scabello esse non debuit, sed nobiliore scabello debuit illustrari. Neque enim incerta vobis est, aut longinqua victoria, sed humilitas verecundiæ vestræ punitur ad tempus, quæ congregatis in Spiritu S. Patribus distulit obedire. Pari etenim culpa tenetur obnoxius, qui vocationem Domini prævenit, vel recusat oblatam: Redibit tamen in proximo, Deo volente, serenitas, et modica hæc ad radios veri Solis nebula dissolvetur, redintegrata unitate Catholica, ab omni parte pedibus vestris universitas fidelis occurret. Interim autem quæcumque cæteros studia remorentur, quibuscumque desideriis profana trahatur ambitio, quantacumque temeritate detestabilis erumpat invidia, ego minor licet omnibus, non minore tamen gaudio quam cæteri gloriam vestræ promotionis amplector, et vos Apostolum Christi, Petri Vicarium, Pastorem et Episcopum omnium, qui Christiano nomine censentur, agnosco, et vobiscum Catholicam profiteor veritatem etc.*, Idem autem Anglorum Regi Henrico suggessisse addit. *Ex quo etenim promotionis vestræ auribus nostris veritas, et oppositæ præsumptionis error innotuit, festinavi ad nostri notitiam Principis id perferre, ut vacantem animum ejus favore vestro*

[Margin notes: …gatos Papiam mittant. — Arnulphi Lexoviensis Episc. epist. ad Alex. — Schismata in Lateran. Palatio depicta.]

vestro, quibus debebam persuasionibus occuparem, ne nos qualibet occasione malignitatis astutia præveniret. Facilius etenim est animos occupare vacantes, quam ipsos a conceptis affectibus revocare. Hæsit ille aliquamdiu, sed statim operante Spiritus sancti gratia confirmatus, nullum se alium quam vos suscepturum hilari constantia constantique simul hilaritate promisit, etsi id generali edicto jubere se abstinuerit, ob litteras a Friderico Imp. acceptas, quibus eum in alteram partem trahere conabatur, *ne preces ejus sprevisse, & in præjudicium ejus festinasse videretur; Mei autem studii erit*, subdit, *omnes circa eum quasi vigilias observare, ne ora loquentium iniqua convaleant, sed ipse in vestra, sicut semel incepit, obedientia perseveret. Felicem enim me inquam, si unquam in hoc vel in alio beneficentiæ vestræ gratus inveniar, ut devotionis meæ saltem inter cæteros aliquando velit vestra dignatio reminisci. Vestrum quoque est, quoties refulget occasio, provincias omnes frequentibus visitare mandatis, ut ab omni parte nomini vestro & obedientiæ pariter assuescant: quia non erit qui vel litteras non recipere, vel mandatis audeat obviare*. Hactenus Arnulphi ad Alexandrum epistola, cui anno sequenti post Papiense conciliabulum respondit, uti dicturi sumus.

Arnulphi sollicitudo pro Alexandro. Biblioth. PP. tom. 22.

27. Alexander interea ex Arnulphi sententia legatos suos ad cunctas fere orbis gentes, & Reges misit, de quibus hæc auctor vitæ ejus adnotat. *Et quoniam ipsi schismatici de justitia & veritate diffidentes, Prælatos ecclesiarum, & Principes orbis, exquisitis mendaciorum figmentis, circumvenerant, & in partem sui erroris inducere tentaverant, utile consilium Domno Papæ visum est, ut aliquos de Fratribus suis ad diversas mundi Provincias ex latere suo destinare deberet, per quorum siquidem studium, & laborem super facto electionis Apostolicæ declaratio fieret, & universitas fidelium in fide unitatis Catholicæ, cognita veritate solidaretur. Missi sunt ergo ad partes Galliarum H. titulo Sancti Nerei, & V. Sancti Petri ad Vincula, Presbyteri Card., atque Magister O. Diaconus S. Nicolai in carcere Cardinal. ad partes autem Orientales S. titulo Ss. Joannis & Pauli, ad Hungaros vero S. Prænestinus Episcopus, & P. Sancti Eustachii, Diaconi Cardinales; Ad Imperatorem quoque Constantinopolitanum Episcopus Tiburtinus, cum a Sancti Theodori Diacono Cardinali. Divulgata*

Alexander legatos in provincias mittit.

JESU CHR. AN. 1159. *gata itaque veritate jam dictæ electionis, & indubitanter cognita, Ludovicus Christianissimus Rex Francorum, cujus Regnum numquam Schismate pollutum recolitur, una cum Henrico Anglorum Rege Domnum Alexandrum in patrem, & animarum suarum Pastorem inspirante Domino receperunt. Reges quoque Hispaniarum, Siciliæ, Hierosolymorum, Hungariæ, atque Græcorum Imperatori cum Patriarchis, Episcopis, Principibus, & universo Clero, & populo eis subjecto, idipsum eodem modo fecerunt. Rocognoscente itaque toto mundo ipsum Pontificem Christi Vicarium, & Beati Petri Catholicum successorem, solus Fridericus Imperator dictus cum suis complicibus in erroris sui pertinacia, & obstinantia remansit, vehementer impugnans, & acriter persequens eumdem Pontificem, & illos ecclesiarum Prælatos, qui cum eo viriliter stabant &c.* Hæc is auctor, quæ sane hoc, & sequenti anno peracta sunt: exiantque in eam rem quamplurimæ ab Alexandro datæ epistolæ, & receptæ, quas recensere longum esset.

Arnulphi epist. ad Card. S. R. E. *Biblioth. S. P. tom. 22.*

28. Legationis in Angliam missæ meminit Arnulphus Lexoviensis Episcopus in epistola ad Cardinales, qui in Alexandri communione, & obedientia perseverabant; in qua de Alexandri, & Octaviani electione, deque electorum utriusque partis numero, & merito plurima adnotat, ac se operam suam Apostolicæ sedis legatis præstitisse his verbis narrat. *Interim si domino nostro, & vobis nostram non possimus præsentiam exhibere, aliqua tamen ex parte supplet devotio charitatis absentiam, quoniam venerabilibus patribus nostris Sedis Apostolicæ Legatis assistimus, cum eis toto studio sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatibus insistentes. In quibus tanta refulget Apostolicæ sanctitatis & doctrinæ perfectio, ut eis plus gratiæ merita contrahant, quam terroris reverentia disciplinæ. Viri sunt, quorum sanctitatem miratur populus, sapientiam Clerus usquequaque collaudat, ad virtutem severitatis Principes expavescunt. Ad summam, tanta omne opus suum mansuetudine temperant, ut neque severitas disciplinæ pereat, & in omni parte sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia convalescat.*

Angliæ & Franciæ Reges judicium ad tempus suspendunt.

29. Cur autem causæ definitio aliquatenus dilata, & suspensa ab Angliæ, & Franciæ Regibus fuerit; adversariorum conatus, seu Friderici legatos in causa fuisse scribit. *Porro super facto illo, in quo Regem Francorum adversus eos scan-*

scandalizatum audistis, prorsus excusabiles sine omni dubitatione credatis, quia nunquam ad consensum dispensationis illius pertrahi potuissent, nisi eos inexpugnabilis necessitas, & inæstimabile bonum recompensationis illico venturæ traxisset. Convenerant siquidem ex mandato Regum venerabiles de regno utriusque personæ, ut de Romani Pontificis *susceptione tractarent, de quo nihil adhuc publice fuerat constitutum. Stabant itaque fratres illi, causam Ecclesiæ non sine magno discrimine prosequentes, quoniam apud plerosque favor iniquitatis convaluerat, adeo ut qui manifestæ repudium veritatis suggerere non audebant, differendum potius, seculari quadam astutia prædicarent: eventum scilicet rei dubiæ potius expectandum, quam subiiciendam fortuitis casibus tantorum Principum majestatem. Non oportere eos temeritate nimiæ festinationis involvi, quos securius illæsos sola poterat expectatio conservare, Romanam Ecclesiam semper onerosam extitisse Principibus, jugum aliquando data occasione ponendum, donec cupiditatis pœnas ambitio detestanda luisset. Solvendum morte alterutrius quæstionis incertum, atque interim posse religionem Episcoporum per singula regna sufficere, donec divina voluntas signis evidentioribus appareret. Accedebat Legatorum Imperatoris, & Cardinalium, maledicti scilicet Joannis, & Guidonis instantia, quibus dari videbatur de modica dilatione triumphus, si fratres vestros vel ad modicum tempus qualibet occasio suspendisset &c. Rex*, quippe, *Francorum*, ut subdit, *rei definitionem Regi Anglorum voluntati commiserat, nihil se facturum publice contestatus, nisi quod ipsius ei sententia prædictasset. Prævaluerat itaque consilium dilationis, ut quanto spatiosius, tanto utilius utrique Regi posset esse consultum, atque interim aliqua possent de ipsis eventibus auspicari. Quia igitur de arbitrio Regis Anglorum tota causa pendebat: exaudiendus erat potius, quam severitatis alicujus austeritate terrendus, de cujus simplici favore in momento Francorum, Anglorum, & Hispaniæ, Hiberniæ, & novissime etiam Norvegiæ regna coepistis*. Quare nullum damnum, quin immo emolumenta maxima ex dilatione causæ provenisse probat, ut ibidem videre est, longiorem quippe epistolam exscribere, post Baronium non expedit.

30. His alteram breviorem addidit Arnulphus ad Joannem Neapolitanum, & Villelmum Papiensem Cardinales sibi ami-

Altera Arnulphi epist.

Jesu Chr. an. 1159. de Alexandri electione.

amicitia conjunctos, ob legationem ab iis in Anglia paulo ante perfunctam, qua, ait, *Audita sanctæ Romanæ Ecclesiæ perturbatione, condolui, quia dolorem matris audire sine compassione non poteram specialis filius*; cum tamen didicisset paucos fuisse, qui Alexandri electioni restiterant, gavisum fuisse addit; *Mihi enim dolor ille specialius incumbebat, quam ipsa semper hactenus tanta charitate dilexit, tanta familiaritate dignata est, tot beneficiis, & honoribus illustravit. Postmodum autem audito, in cujus personam omnium fere vota convenerant, mœrorem gaudio, plorationem cithara, vocem planctus organo commutavi. Gavisus siquidem sum paucos a generali concordia descivisse, quorum numerus nihil aut parum unitati Catholicæ poterit derogare. Gavisus inquam, quia ei rerum summa commissa est, per quem facile restauranda libertas Ecclesiæ creditur, & honestas. Porro mea non fuit interim otiosa devotio, sed apud eos, in quorum oculis Deus mihi dedit aliquid auctoritatis, & gratiæ, causam Ecclesiæ peroravi, & Principem nostrum Regem Anglorum, in favorem Patris hujus primus, & solus, adhibito quod oportuit instantiæ, confirmavi &c.* ac ne juxta votum se in urbem transferret; *Belligerante in partibus nostris Principe, multis me importunitatibus necessitas improba detinet &c.*

Alexandri legatio in Orientem. Gul. Tyr. lib. 18. 29.

31. De legatione in Orientem ab Alexandro Papa missa agens Gulielmus Tyrius hæc narrat. *Per eosdem dies quidam Joannes vir admodum litteratus, Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, tituli sanctorum Joannis, & Pauli missus a Domino Alexandro Papa ad partes Orientales Legatus, apud Biblium cum quibusdam Januensibus applicuit. Volens igitur impetrata licentia, tanquam Legatus, in regnum introire: prætentavit Domini Regis, & aliorum Principum tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium mentes, quidnam de ejus ingressu sentirent. Divisus enim erat (ut prædiximus) occasione schismatis oborti pene orbis universus, aliis Domino Alexandro Papæ, aliis parti oppositæ faventibus. Unde post multam deliberationem mandatum est ei ex parte Regis, ut subsisteret, nec in regnum præsumeret ingredi, quousque cum Prælatis Ecclesiarum, & regni Principibus pleniore deliberatione ei de communi consilio mandaretur, quid eum facere oporteat. Interim ergo convocatis apud Nazareth tam Domino Patriarcha, quam reliquis Ecclesiarum Prælatis, de Princi-*

pi-

pibus quoque nonnullis cum domino Rege assistentibus: cœperunt deliberare, quid in tanta ambiguitate facto esset expedientius. Omnes enim Orientis Pontifices de utroque Patriarchatu in neutram partem manifeste declinaverant: in occulto tamen aliis huic, aliis illi suum favorem præstantibus. JESU CHR. AN. 1159.

32. Dum de recipiendo Alexandri legato ab Episcopis ageretur, ac in diversas sententias abirent, ac *alii dicerent, quod dominus Alexander, & ejus legatus susciperetur, utpote causam fovens potiorem; quorum Princeps erat dominus Petrus prædecessor noster Tyrensis Archiepiscopus. Alii e converso domini Victoris causam præferentes, & cum semper regno amicum & tutorem fuisse asserentes: Legatum nullo modo recipiendum esse censebant. Rex autem mediam viam quamdam sequens cum suis Principibus, & Ecclesiarum quibusdam Prælatis, timens ne Episcopi inter se dividerentur, & scinderetur Ecclesia, persuadebat neutram partium recipiendam esse: Legato vero, si tamquam peregrinus orationis gratia absque insignibus legationis ad loca sancta vellet accedere, dandam esse licentiam, & concedendam libertatem moram in regno faciendi usque ad primum transitum; ex tunc ei redeundum esse. Allegabat etiam, & dictorum suorum causam subjungebat & rationem, dicens: Schisma recens est, necdum orbi innotuit, uter eorum causam faveat potiorem: periculosum autem esse, in re incerta definitivam præcipitare sententiam. Præterea nec Legato opus esse in regno, qui Ecclesias & monasteria gravet impensis, extorsionibus attenuet. Hæc erat domini Regis sententia: quæ licet utilior videretur; tamen prævaluit eorum sententia, qui Legatum esse recipiendum asserebant. Vocatus igitur in regnum venit; multisque quibus adventus ejus placuerat, postmodum fuit onerosus.* Quod scilicet solerent Legati per provincias missi decimas Sedi debitas Apostolicæ exigere ab Episcopis, & Abbatibus monasteriorum. Sic igitur receptus Alexandri Legatus, cum eo & in eo pariter totus Oriens orthodoxus Alexandrum in universale totius Ecclesiæ visibile caput accepit, cum præsertim hortante Ludovico Francorum Rege, Manue quoque Grecorum Imperator in partes Alexandri transiisset; Extatque adhuc Nazareni concilii epistola, qua se acceptis Alexandri litteris, in ejusdem obedientiam transiisse scribunt, de qua anno proximo.

Alexander Papa in Oriente recipitur.

apud Labb. tom 10. pag. 1404.

JESU CHR. AN. 1159.

Qua de causa Alexandri Papæ epistolæ plurimæ prætereantur

33. In quam rem hoc eodem loco, sub Alexandri Pontificis initio lectores admonitos volumus, tanti Pontificis epistolas plurimas consulto a nobis præteriri, ne in immensum excrescat opus, si singulas, vel partes earum exscribere voluerimus; eas tantum, vel earum partes referre contenti, quæ historiæ illustrandæ aptiores sunt, tantus quippe earum numerus est, ut etsi recentior Veneta editio Labbej tribus prioribus appendicibus quartam addiderit, tam longe tamen abest, ut omnium Pontificis illius epistolarum Codex integer eruditis exhibeat, quin litterarum illius portio major adhuc dispersa sit. Etenim PP. Martene, & Durand in altero veterum monumentorum volumine, quingentas circiter passim ineditas vulgarunt, his addendæ aliæ primo anecdotorum volumine insertæ: Christianus etiam Lupus in collectione epistolarum Thomæ Cantuariensis Archiep. nonnullas & ipse edidit, ab Labbeo præteritas. Quasdam tum Vilkinsius in conciliis Brittanniæ, tum Ughellus, Ludevig in reliquiis, Lunigius in spicilegio, Pezius in Codice diplomatico, aliique vulgarunt, quæ si in unum corpus colliguntur, maximum conficient tomum, ac in immensum, illis relatis, annales nostri augerentur.

Ottonis Frising. Episc. obitus. *Radev. lib. 2. cap. 11.*

34. Hoc ineunte anno, seu *ab Incarn.* 1159. *Indict. septima, regnante &c. Friderico Imp. anno Imperii ejus* 3. *Regni quinto, memoratus Antistes* (seu Otto) *ab hac luce Deo vocante migravit*, ait Radevicus Frisingensis canonicus, & historiæ Ottonis continuator, ab Deo e vivis opportune ereptus, ne hæreticorum communione, utpote Friderico familiaris, & amicus, quin & patruus, inficeretur; Ejus egregia gesta, & pro ecclesia labores, & liberalitatem ibidem Radevicus commemorat; nam præter generis nobilitatem, utpote Henrici quarti nepos, Henrici quinti & Conradi frater uterinus, hujus Henrici Imp. patruus, aliisque Principibus conjunctus, ut ibidem narrat auctor; Litterarum quoque scientia, & in negotiis gerendis prudentia eo usque eminebat, ut inter Germaniæ Episcopos primus, vel inter primos haberetur, inter cetera cum Cistercensium vivendi modum in Morimondense monasterium introduxisset, ibique primus Abbas, antequam Episcopus consecraretur, fuisset, ut mortem sibi instare prævidit, eo se transtulit, ubi adstantibus Episcopis plurimis, & abbatibus spiritum Deo reddidit, ait auctor; Anno quidem

dem proximo obiisse ait Pagius, ac numeros annorum Incarnationis, Indictionis, & Regni Friderici corruptos esse contendit, cum quo litigiosam funem nequaquam trahere in animo est, ac longa disputatione certare. Eumdem Hugo Menardus martyrologio monastico ad diem 22. mensis Septemb. inscripsit, Manriquez vero ad diem septimum ejusdem mensis in menologio Cisterciensi, cujus historiam cum appendice Radevici continuatoris in compendium redactam, versibus exposuit Guntherus poeta Ligurinus dictus, etsi Gallus esset, eo quod Friderici in Liguria gesta descripserit. JESU CHR. AN. 1159. *Pag. not. 12. 14. 15. an. 1159.*

35. Dum funesto schismate turbata esset Rom. Ecclesia, civili quoque cruentoque bello tota Italia exardebat; Etenim inter Fridericum & Mediolanenses concordia anno proximo inita, hujus initio violata fuit: Fridericus enim *mense Januario binos e suis Proceribus Mediolanum misit legatos, qui novos consules creent, sed iidem furenter a Mediolanensibus repelluntur*, ait Otto Morena, ac Castrum Trecii destruxerunt; iterumque adversus Laudenses arma intulerunt; de quibus plura is auctor, cui concinunt Romualdus Salernitanus, & fusiori stylo Radevicus, qui addit non solum armis Friderico restitisse, sed etiam tentasse eum veneno, vel ferro per sicarium interficere: de gestis autem in Longobardia a Friderici exercitu adversus Mediolanenses, Placentinos, Cremenses, vel Cremonenses, qui Mediolanensibus sociati, Friderici jugum, quo premebantur, excutere tentaverant, plura non addimus, hæc enim distincte satis ab Muratorio in Annalibus Italiæ exposita sunt. Caffarus vero in Annalibus Januensibus addit, quod cum Friderici potentiam Januenses timerent, variis in locis, oppida, urbes, & castella in montanis præcipue, munierunt. Insuper urbis moenia, *quod incredibile nonnullis videtur*, ait, *Opibus totius civitatis, & plebium dierum quadraginta trium spatio* refecerunt, & instaurarunt, quorum longitudinem, firmitatemque describit; Nec in Campania, Apulia, vel Calabria bellum, ab Friderico cum Manuele Græcorum Imp. sociato, cui Proceres nonnulli favebant, penitus extinctum erat; Cum tamen Gulielmi Regis adversarii nil proficerent, *Imperator Constantinopolitanus fecit pacem cum Rege Siciliæ usque ad triginta annos*, Theutonicus vero Imperator in Longobardiam veniens, Mediolanum,

Friderici gesta contra Mediol. & Cremenses.

Murat. tom. 6. rer. Ital. to. 6. tom. 7.

Radev. lib. 2. cap. 37.

Murat. tom. 6. pag. 272.

Murat. to. 5.

Jesu Chr. an. 1160. & Cremam obsedit, quam tandem igne combussit, ait Anonymus Cassinensis ad annum 1158., quo hæc coepta, labente autem, & sequenti finem sortita sunt, hinc auctor chronici Fossæ novæ Ceccanus etiam dictus ad sequentem annum adnotat. *Imperator destruxit Cremam, & totam fecit cremare*. De bello autem, quod per hos annos varia fortuna a Rogerio primum, vel a Gulielmo in Regno Siciliæ gestum est, vel in Hispania cum Arabibus, & Saracenis, nil addimus, ac ad annum sequentem progredimur.

Murat. to.7. p.871.

JESU CHRISTI AN. 1160. ALEXANDRI III. PAPÆ AN. 2.
FRIDERICI ÆNEOBARBI IMP. AN. 6.
MANUELIS COMNENI IMP. AN. 18.

De conciliabulo Papiensi.

1. Schismatis sopiendi prætextu, quod in electione Alexandri tertii excitatum fuerat, ob serotinam turbulentamque Octaviani electionem, cui Victoris quarti nomen datum fuerat, concilium Papiæ, seu conventum Episcoporum Italiæ, & Germaniæ totiusque fere christiani orbis, in octava Epiphaniæ celebrandum indixerat Fridericus Imperator, qua de causa quot ex utraque parte scriptæ fuerint epistolæ, anno proximo, eique præsentiam suam abnegasse Alexandrum, adnotavimus; At ut ait Radevicus, *Quem in octava Epiphaniæ habendam statuerat, in eadem Ticinensium civitate in Purificatione B. Mariæ decrevit peragere*. Conciliabuli deinde acta pro modulo suo enarrat. *Poterat sane scissura illa cito resarciri*, ait Villelmus Neubricensis, *poterat multitudini paucitas cedere atque uniri, nisi Fridericus Imp. veteri odio Rolandi Alexandrum non ferens, partem Octaviani tuendam fovendamque modis omnibus suscepisset &c.* hinc etsi sub prætextu extinguendi schismatis Episcopos Italiæ, & Germaniæ congregasset; *Re autem vera*, subdit Neubrigensis, *ut Alexandri parte depressa, partem alteram approbantes, dicti Victoris prematuram victoriam celebrarent*; Quare conventui *Victor quidem tamquam subiturus judicium affuit, Alexander vero præjudicium, quod ei sub nomine judicii parabatur, non solum caute, sed etiam libere recusavit &c.* ibique cum nemo Alexandri causam tueretur, Victor Antipapa tamquam Pontifex declaratus est.

Radev. lib. 2. cap. 62. 64.

Alexander Papa concil. Papiensi adesse recusat.

Ip-

1. Ipsa jam acta a Radevico exposita videamus; Cum itaque concilii tempus adesset, *Tunc Augustus commonens omnes jejuniorum, & orationum subsidiis ecclesiæ Catholicæ causam Deo commendare; cum sacerdotibus & omni populo auxilium divinum fida Sanctorum intercessione poscebat. Deinde convocato in unum Concilio, cum resedisset, ait ad Episcopos: Quamvis noverim ex officio ac dignitate Imperii penes nos esse potestatem congregandorum Conciliorum, præsertim in tantis Ecclesiæ periculis (hoc enim Constantinus, & Theodosius, nec non Justinianus, seu recentioris memoria Carolus Magnus. & Otto Imperatores fecisse memorantur) auctoritatem definiendi hujus maximi, & summi negotii vestræ prudentiæ, vestræque potestati committo. Deus enim constituit vos sacerdotes, & potestatem dedit vobis de nobis quoque judicandi. Et quia in his quæ ad Deum sunt, non est nostrum de vobis judicare: tales vos, & taliter in hac causa hortamur habere, tamquam solius Dei de vobis expectantes judicium. Cum hæc dixisset ipse se Concilio subtraxit, examen totum Ecclesiæ, & Ecclesiasticis, qui ibi innumerabiles erant, committens personis. Erant autem circiter quinquaginta Archiepiscopi, & Episcopi, Abbatum & Præpositorum non erat præ multitudine æstimatio. Legati quoque diversarum terrarum aderant spondentes, quidquid a Synodo decretum foret; indubitanter a suis recipiendum.* Hæc Imperator, atque optime quidem in his præbens de se specimen Christianissimi Principis, sed astute admodum, cum jam ante judicium Episcoporum ipse judicasset, declarando videlicet, Alexandrum intrusum, dum eum per Legatos ac literas sprevit, & per eosdem Octavianum Pontificem, Pontificalibus honoribus decoraverat. Quod autem ad numerum spectat Episcoporum, quis non putasset, ex quinque regnis vocatis Episcopis conventum hunc excessurum fuisse sexcentorum numerum Episcoporum? Attamen quinquaginta tantum eidem interfuisse Radevicus testatur: licet adhuc longe minorem Episcoporum numerum subscriptum legatur eidem conventiculo. Ex quibus possis intelligere, reliquos omnes retrocessisse, ut audierunt favere Imperatorem schismatico, dum adoratione præmissa judicium antevertisse.

JESU CHR. AN. 1160. Papiensis concilii acta. *Labb. to. 10. p. 1387. seq. Radev. lib. 2. cap. 64. ad 74.*

2. *Residentibus itaque Episcopis, & Clero universo, septem diebus causa ventilata est: tandemque domino Octaviano, qui cum*

Alexander damnatur, & Victor Pon-

Jesu Chr. An. 1160.

tifex declaratur.

cum præsens advenisset, & haberet qui partem suam defenderent; cessit litis victoria, & pro ipso Concilium sive Curia dedit sententiam, condemnato Rolando & reprobato. Qui citatus legitime Concilio se præsentare, contumaciter abnuisse dicebatur. Sæpius autem Lectorem admonitum esse cupimus, ut in hoc facto, ad disquirendam rerum veritatem non nostra dicta consulat, sed litteris, & scriptis, quæ ad manus nostras venerunt, & huic operi inserenda visa sunt, innitatur, suo servans arbitrio, quando de hac controversia, & litis decisione, Conciliique judicio sufficienter sibi fides facta videatur. Ita auctor, rerum ambiguus, conscientia repercussus, quod sciret Acta conciliabuli haud firma soliditate subsistere, dum de judicando judicio Episcoporum, liberum vult esse Lectorem.

Friderici Imperat. obsequia Victori Antipapæ exhibita.

3. Qua die cœpta hæc fuerint, vel finita, quove obsequio Fridericus idolum suum seu Victorem Antipapam prosequutus fuerit, his verbis narrat auctor chronici Reicherspergensis ad hunc annum. *Crema capta, destructa, & cremata est; Quo facto Imperator statim Papiam venit cum Episcopis & Principibus, qui congregati erant, & in Nonis Februarii curiæ & colloquii initium habetur, & per sex dies in hoc demorantur; fuitque dissensio aliqua inter ipsos, quibusdam hunc, quibusdam illum Papam confirmare volentibus. Tertio itaque Idus Februarii, quia nec Alexander venerat, nec Legati ejus, nec aliquis pro parte ejus firmiter stabat, Imperator omnes Episcopos convocans in hunc eos consensum deduxit, ut omnes Victorem Papam susciperent, & statim sequenti die II. Idus Feb., ab ipso Imperatore, & Episcopis suscipitur & intronizatur in monasterio Sancti Syri, Imperatore frænum equi, & stivam sellæ illius tenente, & eum de equo suscipiente, & ad altare una cum Patriarcha Aquilejensi Pilegrino inter manus eum deducente*; ac ad diem quartam Februarii indictam fuisse synodum adnotat chronicon Sampetrinum Erfurtense a Menchenio tom. 3. rer. German. editum, ut adnotat Mansius.

Epistola canonicorum S. Petri pro Octaviano.

4. Inter scripta synodo oblata ad causam suam tuendam ab Octaviano exhibita, epistolam canonicorum S. Petri Friderico Imp., & Patribus Papiæ congregatis inscriptam recitat Radevicus, qua hæc præfantur. P*atres sanctissimi, quos Deus elegit ad consolationem moerentium, & delinquentium corre-*

re-

rectionem , sicut ait Apostolus : Corripite inquietos , consolamini pusillanimes : intendite precibus nostris , & ad dolorem nostrum leniendum consolationis manum extendite . Tanta est enim , tam diffusa moeroris nostri materia , ut unde debeamus exordium sumere , difficulter possimus invenire . Verum quia materia doloris est , & moeroris : a luctu & moerore ordiri decrevimus . Attendite ergo & videte si est dolor , sicut dolor noster , cum videamus matrem nostram Romanam Ecclesiam quondam fulgentem , a filiis suis , immo alienis (quia mentiti sunt ei , quos enutrivit , & exaltavi , ipsi autem spreverunt eam) contumeliose eviscceratam & membris ex parte mutilatam , in coeno jacentem , contumeliam , jacturamque suam nec sentientem . Hæc & alia lugubri stylo Hieremiam imitati , mendaciis tamen apertissimis de utriusque electione & consecratione agentes , relationem exhibitam fœdarunt : his verbis conceptam , *Domino igitur Papa Hadriano felicis memoriæ prima vigilia Kal. Septembris viam universæ carnis ingresso , convenit illico maxima multitudo , cum quibus & Senatores affuerunt , quorum consilio corpus Romam delatum est . Inter Cardinales vero contentione crescente , convenit tandem inter eos , ut Romam redirent , & concordem electionem facerent de aliquo Cardinalium . Quod si non possent , quærerent extraneam personam . Quod si nec sic possent convenire , ab electione quiescerent , donec invenirent idoneum virum , quem concorditer eligere deberent , & hoc unanimiter ab omnibus confirmatum est . Post hoc autem statim Romam redierunt . Dominus Octavianus , & quidam alii accesserunt ad obsequium defuncti : quidam vero alii præmiserunt auctorem scelerum Bosonem primogenitum satanæ , ut munitionem B. Petri occuparet , cujus custodes fidelitatem ei juraverunt , Domino Papa Hadriano vivente , eumque postea subsequente eandem munitionem conscenderunt . Dominus autem Tusculanus palatium ascendit , Dominus Octavianus , & Dominus Rolandus Cancellarius ad domos nostras venerunt , & quidam alii . Vocati autem isti ab illis qui munitionem observabant , responderunt , se numquam ascensuros ad munitionem , Bosonem verentes , ne sicut eis relatum fuerat , a juratis Bosonis caperentur , & Dominus Cancellarius . Vadam (inquit) & eos ad vos descendere faciam . Ivit cum eo diaconus de Carcere Tulliano videlicet , nec redierunt : & sic per biduum de la-*

JESU CHR. AN. 1160.

co, ubi electionem facerent, convenire nequiverunt. Tandem die Sabbati descendentibus illis de munitione, ascenderunt omnes post altare beati Petri, & coeperunt de electione tractare. Cumque convenire non possent, dixerunt isti, qui concordiam & pacem Ecclesiae desiderabant: Date nobis electionem, & eligemus unum de vobis; aut habeatis vos electionem, & eligite quem vultis de nobis unum: & noluerunt. Surrexit tandem velut iratus Otto diaconus sancti Georgii, & Adebaldus Crassus Cardinalis sanctorum Apostolorum, & Joannes Neapolitanus, & accepto manto voluerunt immantare Dominum Rolandum Cancellarium: sed saniori, & meliori parte Cardinalium, ex parte Dei omnipotentis & beatorum principum Apostolorum Petri, & Pauli, atque totius Ecclesiae auctoritate prohibente, non potuerunt. Facta autem hac prohibitione, iterum eum immantare attentaverunt, & non potuerunt, & Cancellarium cum manto nullo modo tetigerunt: per eos tamen non stetit, quin immantaretur. Caeterum Clerus Romanus, qui in Ecclesia beati Petri pro electione Summi Pontificis convenerant, audito clamore cucurrerunt, circumdantes dominum Ottonem, qui erat cum Cardinalibus juxta altare beati Petri, & clamaverunt omnes, dicentes: Dominum Octavianum eligite, per quem solum Ecclesia pacem potest habere. Tunc petitione populi Romani, & electione totius Cleri consentiente, & desiderante universo Capitulo basilicae beati Petri, dominus Octavianus Cardinalis a saniori parte Cardinalium electus est, & manto indutus, ac in Sede beati Petri positus absque omni contradictione, cantantibus omnibus, Te Deum laudamus, in jubilo. Deinde sicut mos est, domini Cardinales, & Clerus Romanus totus qui praesens erat, & qui postea confluxerat, populique Romani pars maxima pedes ejus osculati sunt. Quod videns dominus Cancellarius, & qui ei, sicut dicebatur, juramento erant astricti, nec clamaverunt, nec aliquo modo contradixerunt; sed inclinato capite redeuntes, munitionem, quasi spe sua frustrati conscenderunt. Tunc domini Cardinales, Clerus, Judices, Scrinarii, Senatores, populusque Romanus dominum electum signis, & bandis praecedentibus, ad palatium usque cum jucunditate perduxerunt, Romano more clamantes, Papa Vittore S. Pietro l' elegge. In crastinum autem quidam de Clero Romano ascenderunt munitionem, & osculata manu domi-

mini Cancellarii, cœperunt eum & qui cum eo erant rogare, ut paci Ecclesiæ provideret. Quidam autem de diaconis Curiæ respondit eis velut indignans: Heri pedes domini Octaviani, qui fratrem suum dominum Cancellarium exuit manto, & se induit, estis osculati, & modo venitis ad nos? Et dominus Cancellarius: Noli, ait, domine Cardinalis, dicere quod verum non est Dominus Octavianus numquam exuit me manto, quia numquam indutus fui, sicque per totam hebdomadam illam domino Cancellario, & suis in Ecclesia B. Petri morantibus: nono die descendentes trans Tiberim, eo die & altero morantes, undecimo exierunt, & pervenerunt ad Cisternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos insequentes. Juste Cisternam adierunt, quia dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Et ibi die altero, qui duodecimus erat ab electione domini Victoris, induerunt Cancellarium stolam, & pallium erroris, in destructionem, & confusionem Ecclesiæ; ibique primum cantabant. Te Deum laudamus.

De electione Alexandri, & Victoris relatio Canonicorum.

5. His apostrophem ad congregatos Patres addiderunt, enixe deprecantes, ut tanto scandalo finem imponerent, ac duos ex suo collegio ad eos misisse addunt, *Petrum scilicet Christianum nostræ Ecclesiæ Decanum, & Petrum Guidonis Camerarium S. R. E.*, qui eadem viva voce confirmabunt, eademque ab Ottone Palatino Comite, & Guidone Comite de Blandrata, & Heriberto præposito viro prudentissimo, legatis imperatoriæ Majestatis, se accepturos fore testantur, cum in unum convenissent adversus dominum, & adversus Alexandrum Christum ejus, cum Sacerdotibus pluribus, Reges, & Principis terræ.

Apostrophe Canonicorum S. Petri ad Episcopos.

6. Post hæc concilii acta paucis verbis complectens Radevicus subdit. *Hæc sunt capitula, quæ in concilio Papiæ super electione Domini Papæ Victoris canonice probata sunt. Dominus Octavianus, & nemo alius Romæ in Ecclesia B. Petri, petitione populi, & consensu ac desiderio Cleri, a Cardinalibus manto indutus est solemniter, & præsente Cancellario, & non contradicente in cathedra beati Petri collocatus est, & a Cardinalibus, & Clero Romano, Te Deum laudamus, solemniter ei cantatum est, & nomen ei, Victor, impositum est. Ibi multitudo Cleri, & Populi Romani, venit ad pedes ejus. Tunc Scriniarius secundum antiquam Romanorum*

JESU CHR. AN. 1160. *norum consuetudinem ascendens in altum, voce magna clamavit ad populum, dicens: Audite cives Romani, & cœtus Reipublicæ: Secunda feria Pater noster Hadrianus mortuus est, & proxime sequenti Sabbato dominus Octavianus Cardinalis S. Cæciliæ in Romanum Pontificem electus, & immantatus est, & in Cathedra B. Petri collocatus est, & Papa Victor est nominatus. Placet vobis? Respondit magna voce Clerus, & populus: Placet: secunda, & tertia vice interrogatus populus, si placeret: clara voce respondit, Placet. Deinde cum bandis, & aliis Papalibus insignibus dominus Papa cum laudibus in palatium deductus est. His itaque rite peractis, Capitulum beati Petri statim venit ad pedes ejusdem Papæ Victoris, & obedivit, ac debitam ei reverentiam exhibuit Clerus, & populus, multitudo magna similiter obedivit. Sequenti vero die proxima, rectores Cleri Romani accedentes ad dominum Cancellarium, & ad Cardinales qui cum eo erant, voluerunt cognoscere, si immantatus esset, sicut quidam dicebant. Et non invenerunt eum immantatum, neque aliqua specie dignitatis variatum. Et habito cum eo, & Cardinalibus suis colloquio, cognoverunt ab ore ejus, & suorum, quod numquam fuerit immantatus, & quod hoc ei falso imponebatur. Quo audito, & cognito, rectores ad pedes domini Papæ Victoris venerunt, & obedientiam, & reverentiam exhibuerunt. De omnibus supradictis capitulis testes fuerunt Petrus Christianus Decanus basilicæ B. Petri, & omnes fratres ejus, & duo rectores Cleri Romani, Blasius scilicet presbyter, & Mancrius presbyter, & septem Archipresbyteri Romanæ Urbis, & quatuor alii tam diaconi, quam subdiaconi. Deinde Prior Lateranensis, & sui Canonici obedierunt,* seu Victori tamquam Pontifici obedientiam promiserunt, sicque ut ibidem legitur, ceteri Patriarchalium, aliarumque ecclesiarum Clerici, & monachi, quorum tituli ibidem recensentur, numero quadraginta circiter, eorumque exemplum secutæ sunt *multæ aliæ ecclesiæ, & monasteria, quas vix numerare valemus*, ait Radevicus, addens post promotionem Victoris a canonicis S. Petri aliquos ex suis missos fuisse, ut viderent, si Rolandus Cancellarius immantatus esset, *sicut quidam credebant*, & retulerunt, *cum non esse immantatum, nec aliqua promotionis specie variatum*, alios deinde miserunt *per singulos dies octo*, ut viderent, *si saltem in*

in mensa locum digniorem, inter Cardinales, *solito obtineret* Cancellarius Rolandus, *aut etiam benedicendo mensam primus esset; vel aliquo modo inter Cardinales loco, vel dignitate, seu veste dignior haberetur; in quibus omnibus nullo modo senserunt eum promotum, vel mutatum &c.*

JESU CHR. AN. 1160.

7. Alii deinde hæc synodo testati sunt. *Basso & Joannes de Romano dicunt; postquam Cancellarius sedente Domino Victore in cathedra, in munitionem se recepit, Joannes Phizu tus clericus, & Joannes de Bucculata laicus voluerunt immantare Cancellarium. Qui cum injuria repulit eos, dicens: De me non facietis ridiculum, Ibi est* Papa, *ite ad eum, & obedite ei. Præsbyter Blasius, & presbyter Manerius rectores Romani dicunt, se cum tribus aliis rectoribus Cleri, sequenti die post promotionem domini Victoris accessisse ad Cancellarium, & ad omnes Cardinales, qui cum eo erant, & non viderunt eum immantatum, nec aliquo modo promotum. Et antequam discessissent, audierunt duabus vicibus ab ore Cancellarii, quod nec erat nec fuit immantatus. In præsentia etiam ipsorum rectorum, qui ibi erant, testificatus est Otto Cardinalis de carcere Tulliano, quod dominus Octavianus nullam violentiam, vel injuriam intulit Cancellario. Item dixit Otto, pro nihilo adscribitur hoc domino Cancellario, quia nullus ei mantum abstulit, quia nunquam habuit. His omnibus ita peractis, & cognitis, rectores isti iverunt ad dominum Victorem, & obedientiam ei fecerunt, & præceperunt clero, ut ei obediret, quod & factum est. Presbyter Barro, & presbyter Joannes Capellani de Cardinali a Cancellarii dixerunt, se sequenti die post promotionem domini Victoris ad Cancellarium accessisse, & dixisse ad eum sic: Audientes vos immantatum esse, gaudebamus; & nunc quia aliter videmus, dolemus. Qui dixit eis:* Pro *me nolite gaudere, vel dolere, quia ego nec fui, nec sum immantatus. Ite, & obedite ei, quem videtis immantatum. Hæc verba taliter ab ore Cancellarii processisse, commisit presbyter Barro, & præsbyter Joannes quibusdam ex nostris clericis præsentibus, ut jurent in animam eorum, ita verum esse. Clerici de Cardinalia S Chrysogoni dixerunt, se sequenti die post promotionem domini Victoris accessisse ad Cardinalem suum, qui erat cum Cancellario, & interrogasse eum, dicentes: Omnes clerici vadunt ad pedes domini Papæ; quid faciemus, & nos?*

Alii Victorem in Papam ante Alexandrum electum fuisse testantur.

JESU CHR. AN. 1160.

Qui respondit: Ite ad eum sicut alii. Multi ex nostris dicunt vidisse Cancellarium undecima die ab Urbe exisse sine manto, sine stola, sine albo equo, & sine omni habitus mutatione cum pellibus nigro pallio coopertis, & cum nigro almutio usque ad Cisternam. Joannes de Romano dicit, audisse Joannem Neapolitanum, & Bonamdiem, & quosdam alios Cardinales dicentes apud Cisternam: Quoniam modo sumus sine pastore, & sine capite, faciamus nobis Dominum, & postea immantaverunt eum, & cantaverunt ei. Te Deum laudamus, apud Cisternam.

Alia crimina Alex. objecta.

8. His alia ibidem dicta, vel gesta, ut potiorem fuisse Victoris electionem probaretur addit; inter cetera Hadrianum ante obitum suum dixisse, quod Octavianus *non erit Papa post mortem meam*, eumque ab adipiscendo Pontificatu exclusisse, eo quod sciret eum Friderico Imp. fovisse, cum e contra Hadrianus infensum se Friderico exhibuisset, qui etiam Mediolanenses & Brixienses adversus Imperatorem excitaverat, ut ab his detentus Romam venire non posset. Post hæc, aliaque de præoccupatis in suum favorem ab Alexandro Cardinalium suffragiis conventiculi Papiensis gesta his verbis Radevicus confirmat. *De omnibus supradictis capitulis testimonium perhibuerunt predicti rectores cleri Romani, & septem, vel novem, Archipresbyteri superius memorati, & alii multi honesti, & religiosi Clerici Romani, Petrus urbis Præfectus, & Stephanus de Tebaldo, & Stephanus Nortmannus, & Joannes de Sancto Stephano, & Joannes Cajetanus, & Volferamnus de Gidocica, & Gimondus de domo Petri Leonis, et multi alii illustres Romani, et nobilissimi, qui omnibus his interfuerunt, et omnia viderunt, et tractaverunt*; Hactenus de Victoris electione testimonia, ut plurimum vel falsa, vel exagerata, cum certum sit in ejusdem electione duos, vel tres tantummodo Cardinales concurisse, quorum electionem irritam, schismaticamque fuisse, vel ipsa recens Nicolai secundi constitutio demonstrabat, qua cautum fuerat, ad Episcopos Cardinales præcipue Romani Pontificis electionem pertinere, a quibus ceterorum Cardinalium Presbyterorum, & Diaconorum consensus exquirendus erat, cum totius Romani cleri, populique plausu, seu approbatione, quæ omnia in Alexandri tertii electione rite recteque peracta fuisse constat.

9. His

9. His gestis Sinodalem epistolam per cristianum orbem vulgarunt, quam primum Goldastus tomo primo ex Radevico, sed mutilam & corruptam vulgavit; eamdemque Baronius annalibus suis inseruit. Integram, ab Radevici etiam textu dissimilem, vulgarunt Martene, & Durand, cujus hic est titulus. *In Dei gratia Aquilejensis Patriarcha, A. Moguntinus, R. Coloniensis, V. Magdeburgensis, & H. Bremensis Archiepiscopi, & universi episcopi, & abbates et viri religiosi in concilio Papiæ congregati, regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ducibus, comitibus, marchionibus et omnibus Christi fidelibus, ad quos litteræ istæ perveniunt, salutem et orationem in Christo etc.* deinde. *Quia Sedis Apostolicæ turbatio christianorum animos admodum sanciavit, nos qui ad resecanda schismata papiæ fuimus congregati, qualitatem causæ modumque negotii, et sacri concilii statum universitati vestræ plenarie duximus intimandum; quatenus per scripta præsentia mera veritate monstrata, auditorum animi falsitatem, quam forte conceperunt, vehementer expellant, & amodo per scripta schismatica non seducantur. Cum igitur orthodoxorum Papiæ congregatorum universitas consedisset; causam per septem continuos dies, remoto omni sæculari judicio, legitime et canonice agitata, ac diligenter inspecta, sufficienter, & canonice in conspectu concilii per testes idoneos est comprobatum, dominum Papam Victorem; & nullum alium in basilica B. Petri a saniori parte Cardinalium, petitione populi, consensu, & desiderio cleri Romani fuisse electum, et solemniter immantatum, & quia præsente, et non contradicente Rolando quondam cancellario, in cathedra B. Petri fuerit collocatus, et quod ei a cardinalibus, & clero Romano* Te Deum laudamus *gloriose decantatum, & inde ad palatium cum bandis, et aliis Papalibus insignibus est eductus probatum est etc.* electionis vero tempore in urbe Cardinales vinginti duos tantum adfuisse addunt, ex quibus novem sanioris consilii, ut ajunt, Victorem elegisse, ejusque electioni clerum populumque Romanum consensisse, deinde Rolandum post Victorem electum tertio die ab Urbe egressum apud Cisternam in finibus terræ Siciliæ in loco non celebri immantatum fuisse seu Pontificalibus indumentis exornatum, probatum est etiam quod in secunda die post promotionem Domini Victoris, Rolandus inter-

JESU CHR. AN. 1160.

Epist. synodali concilii Papien.

Radev. lib. 2. cap. 70. Martene Anecd. tom. 1. pag. 447.

JESU CHR. AN. 1160. terrogatus a rectoribus Cleri Romani, & a clericis, *Si Domino Victori esset obediendum, expresse confessus est se numquam fuisse immantatum, & expresse dixit: ite obedite ei, quem immantatum esse videtis; atque hæc tactis sacro sanctis evangeliis juraverunt dominus Petrus Christianus Decanus basilicæ sancti Petri, cum duobus fratribus suis in persona sua, & totius capituli beati Petri, ubi corpus ipsius Apostolorum principis requiescit &c.* eademque alii religiosi, & honestissimi viri & qui hæc viderunt & tractaverunt, jurarunt, *quorum nomina hæc sunt Dominus Basilius Archipresbyter &c.* deinde nomina ceterorum ecclesiarum urbis Archipresbyterorum, & urbis Præfecti, aliorumque nobilium Romanorum.

Alexander vocatus adesse recusavit.

10. His addunt. Papienses, Alexandrum legitime ad Papiensem synodum per legatos ad urbem ab Imperatore misso vocatum, præsentiam suam iis denegasse, *ac viva voce & ore proprio judicium vel examen aliquod ecclesiæ se nolle recipere manifeste dixerunt tum Rolandus, cum ejusdem Cardinales, quibus Imperatoris legati securissimum conductum sub fidem sacramenti in eundo ad concilium, & redeundo præstare voluerunt. Ad majoris quoque securitatis plenitudinem dominus Papa Victor arces & castella, & fratres ac nepotes suos obsides eis obtulit, si in facie ecclesiæ secum in judicio sistere voluissent. At qui antea per litteras & per legatos suos judicium multoties postulaverat, has omnes vocationes & securitatis promissiones contumaciter & superbe contempsit. Preterea conjurationem inter hæc, & suos sequaces cardinales cum Mediolanensibus, & siculo nefandissime perpetratam, & per ipsos conjuratores, & per litteras Rolandi Mediolanensibus directas, & aliis manifestissimis argumentis deprehendimus, & cognovimus*; hæc quoque Alexandro objicientes, quod per scripta sua bullata, per orbem vulgaverit, Cardinales duos tantum Victorem in Pontificem elegisse, ceteros vero in suam personam convenisse; quæ sane, ut adnotant Papienses, *venerabile concilium, non solum mendacia manifestissime deprehendit, sed etiam detestabile perjurium recognovit*, ac iterum undecima tantum die post Victoris electionem, Alexandrum immantatum fuisse referunt. Hinc juxta consuetudinem ecclesiæ Romanæ, & præcedentia exempla Victorem Rolando præferendum esse dixerunt.

Alexander

11. Quare his, aliisque contra Alexandrum adnotatis, hanc

hanc demum sententiam pro Victore tulerunt; & Rolandum, seu Alexandrum cum suis fautoribus anathematizaverant. *Ex his igitur omnibus sufficienter instructi, & veritate hinc inde plenarie declarata, placuit reverendo Concilio, ut electio domini Victoris, qui tanquam agnus mansuetus, & innocens venerat Ecclesiæ judicium humiliter suscepturus, approbaretur, & confirmaretur; & electio Rolandi penitus cassaretur: & factum est ita. Electione itaque domini Victoris, remoto omni sæculari judicio, S. Spiritus gratia invocata, confirmata, atque recepta, Christianissimus Imperator post omnes Episcopos, & post omnem Clerum ultimus, consilio, & petitione Concilii electionem domini Victoris recepit, & approbavit, & post eum omnes Principes, & innumerabilis hominum multitudo quæ præsens erat, tribus vicibus interrogata, si eis placeret, respondit cum gaudio magna voce. Placet. Sequenti die proxima, id est, prima sexta feria Quadragesimæ, Dominus Victor cum processione ab Ecclesia S. Salvatoris extra civitatem, in qua fuerat ejus hospitium, ad Catholicam Ecclesiam gloriose deductus est. Ibi religiosissimus Imperator ante januas Ecclesiæ eum suscepit, & descendenti de equo strepam humiliter tenuit, & apprehensum per manum usque ad altare conduxit, & pedes ejus est osculatus. Et nos omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, & omnes Principes cum universa multitudine, quæ præsens erat pedes Apostolicos sumus osculati. Proxima autem die sequenti, id est, Sabbato, habito generali Concilio dominus Papa, & nos cum illo Rolandum Cancellarium schismaticum, & ejus principales fautores accensis candelis anathematizavimus, & tradidimus eum satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini &c.* Quare ex parte Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & ex auctoritate concilii Papiæ habiti omnes hortantur, ut Victorem pro universali Papa reciperent, eique adhoererent, hisque singuli subscripserunt, quorum primus Peregrinus Aquilejensis Patriarcha cum suis suffraganeis, deinde ceteri Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & Principes, Reges etiam Anglorum, Hungarorum, Bohemorum, & Danorum per litteras suas vel per legatos gestis ibidem consensisse scripserunt, ex Italicis tamen Episcopis vix sex subscripti leguntur, cum ceteri Alexandri partes sequerentur. His Papiæ gestis, ad confir-

JESU CHR. AN. 1160. mendacii, & perjurii accusatus. Synodi Papiens. sententia contra Alexandrum.

Conciliabulum Cremonense.

JESU CHR. AN. 1160.

firmandum Victori Pontificatum, post mensem circiter, iterum congregato Episcoporum, & Principum conventu eumdem recipiendum curavit, ut auctor chronici Coloniensis his verbis narrat. *Similia*, iis scilicet, quæ Papiæ gesta fuerant, *similia apud Curiam, & synodum, quam Imperator Cremonæ habuit, in Dominica quæ est ante Ascensionem egit &c.*

Cardinalis Papiensis ob silentium servatum ignominia notatus.

12. Ceterum, ne quid de gestis in Papiensi conciliabulo prætermittatur, non sine nominis sui ignominia, silentium ibidem ab Gulielmo S. Petri ad vincula Presbytero Cardinali Papiensi dicto, eo quod Papiæ natus esset, servatum fuisse addimus, quod fuit, non semel eidem objectum, cum idem ab Alexandro tertio legatus in Angliam ad Henricum Regem missus fuisset, ut causam S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi ageret; quem utpote ea infamia notatum, Henricus Rex judicem habere noluit, de quo in epistola ad Corradum Moguntinum Archiepiscopum, post multa in hominis detestationem summa libertate, animique acerbitate notata, hæc habet. *Res nefanda, et nimis sui crudelitate horribilis, sui malignitate odibilis, sui facilitate contemptibilis, sui iniquitate damnabilis in æternum, sufficere debuerat Papiensi Italiam subvertisset, nisi et orbem cum ecclesiæ libertate sua cura perimeret &c.* De eodem Joannem Pictaviensem, hæc addit Joannes Saresburiensis. *De Villelmo Papiensi, quod ab initio creditum est, nunc clarius elucescit: quia quam magnanimus, quam fidelis in causa Ecclesiæ Romanæ coram Friderico-Papiæ inventus est, talis & tantus in causa ecclesiæ Anglicanæ (si licitum fuerit) inveniretur, præsidente, vel assentiente Henrico*: & rursus idem ad eundem: *Et quidem de altero, Legatorum scilicet, nemo miratur, cujus fides ad Deum, & Ecclesiam ab ea die innotuisse debuit, qua in hæreticorum consilio Papiensi, ubi Octavianus hæresiarcha receptus est, Friderico mutus assedit, etsi plures opinentur, eum expressum dedisse consensum. Nonne proverbialiter tritum est, quod taciturnitas imitatur concessionem &c.* quod iterum Papiensi exprobrat Saresburiensis in epistola ad Alexandrum tertium, ut plura jam addere pigeat.

Presb. lib. 2. epist. 26. 48. 98.

Friderici Imperat. epist. ad Episco-

13. Ut Papiensi concilii gesta firmitatem acciperent; *Concilii sententia ad principem defertur*, ait Radevicus, *qua venerabiliter recepta, & approbata*, a Friderico, *Victor cum pom-*

pompa, & solemnitate ad Ecclesiam deducitur, cui Imperator eam reverentiam ad fores ecclesiæ exhibuit, qualem Constantinus B. Silvestro exhibuerat, ait auctor, ac continuo ad Germaniæ Episcopos, qui Papiæ non adfuerant litteras dedit, quibus eos de gestis in Papiensi synodo certiores reddidit, & ut ibidem gestis consensum præberent, ac Victorem pro legitimo Pontifice agnoscerent, rogavit, iisque narrat, vivente adhuc Hadriano Papa, conspirationem ab Rolando cum Villelmo Siculo Rege initam fuisse, ut eo mortuo, non alius eligeretur Pontifex nisi qui Mediolanensium, Brixiensium, & Placentinorum partes adversus Fridericum teneret. *Hac de causa*, subdit, *duodecimo die post electionem domini Victoris Papæ, eo sedente in Sede B. Petri, jam dicti conspiratores egressi ab Urbe, ad Cisternam Neronis, derelinquentes venam aquarum viventium, se contulerunt, & idolum sibi Rolandum Cancellarium erexerunt, dicentes hunc esse Simonem Petrum qui Apostolicæ dignitatis apicem tam nefaria invasione attingere præsumebat &c.* His aliqua de eadem adversum se conspiratione ab Hadriano, & Rolando, cum Mediolanensibus inita, ac ex legatis Mediolanum missis litterisque in via deprehensis addit; eaque de causa ex consilio orthodoxorum generalem conventum se Papiæ indixisse. *Ad quem ambos, qui se dixerunt Romanos Pontifices, non ad judicium sæculare, sicut ora mendacium astruunt, sed ad examen Ecclesiæ per duos venerabiles Episcopos, Verdensem videlicet, & Pragensem convocavimus. Alter vero, eo quod puriorem haberet conscientiam, dominus Victor videlicet, judicio ecclesiæ ultro se obtulit, altero videlicet Rolando contumaciter renitente, & dicente, quia cum ipse omnes deberet judicare, ipse a nullo vellet judicari. Habito itaque venerabili Concilio, in quo Patriarcha Aquilejensis, & multi Archiepiscopi, & Episcopi religiosi convenerant, per octo continuos dies maxima gravitate, diligentissima examinatione, semota omni laica persona, tractatum est, quis ex duobus summi Pontificatus apicem de jure deberet obtinere. Post longam itaque deliberationem, quia illa nefandissima conspiratio, Deo, & Ecclesiæ admodum odibilis, manifestis indiciis non solum probata, verum in facie totius Ecclesiæ coram posita revelata est, & in domino Victore nihil reprehensibile inventum est, nisi quod pauciores numero Cardinales omnino a conspiratione illa exortes, cum pro bono pa-*

JESU CHR. AN. 1160.

pos absentes.

Raden. lib. 1. cap. 68. 69. apud Eccard. hist. tom. 1. p. 941.

Ut Papiensi concilii gesta.

Jesu Chr. an. 1160. *pacis inter regnum & sacerdotium conciliando elegerunt, & invocata sancti Spiritus gratia, ecclesia Dei Rolandum Cancellarium conspiratorem & schismaticum, discordias, & lites, & perjuria bona esse evangelizantem, condemnavit, & dominum Victorem Papam in patrem spiritualem & universalem Pontificem confirmavit &c.* quem se quoque approbasse addit, *& a vestra beatitudine pro pace totius ecclesiæ, & salute Imperii approbari, & ab omni ecclesia vestræ sanctitati commissa teneri, & conservari rogamus, & præoptamus. Data Papiæ duodecimo Kal. Martii.* Hactenus Friderici epistola ad Germaniæ episcopos, qua ingenue testatur, pauciores fuisse numero Cardinales, qui Victorem, quam qui Alexandrum elegerant; qua sola exceptione cognita, schismaticam Victoris eletionem fuisse satis aperte constat.

Fridericus sectatores Alexandri persequitur.

14. His a Friderico gestis, & scriptis, sui voti jam compos factus, in Alexandri sectatores acrius sævire cœpit; palam edicens, ut quotquot Victori subesse recusarent, suis sedibus Episcopi vel monachi ejicerentur. *Cum Cæsar Mediolanum expugnaret*, ait Helmoldus hujus temporis scriptor in chronico Sclavorum, *venit ad eum Victor in castra, quæ erant apud Papiam adunatoque concilio receperunt cum Rainaldus Coloniensis, & Conradus Moguntinus electi, & omnes quos Imperialis aut timor, aut favor agebat. Porro Alexandrum recepit Hierosolymitana Ecclesia, & Antiochena, præterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania, & omnia regna quæ sunt ubique terrarum. Insuper Cisterciensis ordo eidem universus accesserat, in quo sunt Archiepiscopi, & Episcopi complures, & Abbates amplius quam septingenti, & monachorum inæstimabilis numerus*, & post pauca. *Quamobrem iratus Cæsar proposuit edictum, ut omnes monachi, qui consistebant in Regno suo, aut Victori subscriberent, aut Regno pellerentur. Itaque difficile relatu est, quot Patres, quot Monachorum greges relictis sedibus suis transfugere in Franciam, Pontifices etiam quamplurimi sanctitate insignes in Longobardia, & universo Regno Principis violentia suis sedibus pulsi, alii superpositi sunt in locum illorum &c.*

Helmold. apud Murat. tom.

Eberardi Bamberg. Episc. epist. ad Eberar-

15. In eamdem rem, idest de Victoris confirmatione in Rom. Pontificem a Papiensi synodo facta, extat altera epistola a Radevico historiæ suæ inserta Eberardi Bambergensis Episcopi ad Eberardum Salisburgensem Episcopum data, quæ

quæ de Papiensi synodo, gestisque ibidem fusiori stylo ab Frederico suis Litteris inserta repetit, ejusdemque argumenti, & stili est epistola ab Henrico Præposito Berthersgaden dicto, ad eumdem Eberardum Salisburgensem, quas indicasse sat erit, ne eadem sine causa repetamus; eas apud Radevicum vel Baronium legere quisque potest. *Cur autem tam crebræ litteræ Eberardo Salisburgensi Archiepiscopo super gestis concilii directæ sunt, hæc fuit causa*, ait Radevicus; *Cum ad concilium iter cœpisset, & per Forum Julii, & per Marchiam Venronensem usque ad civitatem Vincentinorum pervenisset, gravi correptus infirmitate, gradum sistere, domumque redire coactus est. Sane cum tanti viri fecimus mentionem de vita & moribus ejus quædam memorabimus, quæ quamvis ut lucerna super candelabrum posita in domo nostræ provinciæ clarissime luceret, ab his tamen, qui longe positi sunt, invida bonis fama difficilius subtrahet, si scribendo celebretur. Erat autem idem vir venerabilis, ætate maturus, sacræ paginæ literis decentissime instructus, fide præcipuus, religione singularis, humanitate & pietate adeo communis, ut vere dicere posset: Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem &c.* Atque illustria charitatis officia ab eo præstita singulatim exponit; quem ideo Deus, utpote fidelem ministrum ne schismaticorum societate fœdaretur, et ad Papiense conciliabulum se conferret, infirmitate prohibuit. Inter cetera pietatis ejus monumenta extat epistola ejusdem ad Alexandrum tertium Pontificem data qua se in ejusdem societate, & cummunione perserveraturum fore promittit. *Gloriosus Deus*, ait, *qui sicut semper mirabilis, ita & potentissimus in operibus semper apparet, deponit enim potentes de sede, & exaltat humiles &c.* Atque post aliqua de schismate in Romana Ecclesia excitato, & de suo in eum obsequio subdit. *Hæc pater sanctissime scripsimus pro tempore, paternitatem vestram scire cupientes, quia nos, & alii plures, quibus sanior mens est, ab unitate ecclesiæ, cui vos Deus caput constituit, præveniente eos, & subsequente gratia Dei non discedemus.* Dominus sanctitatem vestram diu conservet incolumem.

[Margin: dum Salisburg. *Radev. lib. 2. cap. 71. 72.* — *l. 2. cap. 73.* — Epistola Eberardi Salisburg. Archiep. ad Alexandrum *apud Martene t. 1. thes. Anecdot. p. 452.*]

16. Cum in fovendo, propagandoque schismate Fridericus persisteret, ac Episcopos, & monachos, qui Victori obedientiam negabant, edicto suo suis sedibus ejiciendos jussisset

[Margin: Sententia excommunicationis ab A-]

JESU CHR. AN. 1160. [A]lexandro adversus schismaticos lata.

sisset, Alexander Papa postquam Imperatorem benigne, ac frequenter admonitum in sua perfidia obstinatum vidit, *Cum Episcopis, & Cardinalibus in cœna Domini apud Anagniam ipsum tamquam principalem ecclesiæ persecutorem excommunicationis vinculo solemniter innodavit, & omnes, qui cum eo juramento fidelitatis tenebantur adstricti, secundum antiquam prædecessorum Patrum consuetudinem ab ipso juramento absolvit: atque in Octavianum, & ejus complices, jamdiu prolatam excommunicationis sententiam innovavit*, ait auctor vitæ Alexandri, seu Cardinalis Aragonius; & ne a schismaticis mendaciorum figmentis Prælati ecclesiarum, vel Principes deciperentur, datis litteris et legationibus, de gestis hactenus certiores reddidit, ut ibidem subdit auctor,

Murat. rer. Ital. tom. 3. p. 451.

Alexandri epist. ad Arnulphum.

17. In eam rem extat epistola Alexandri ad Arnulphum Luxoviensem Episcopum, qua gesta in Papiensi conciliabulo narrat, ac de excommunicationis sententia in Fridericum, & Octavianum, fautoresque ejus certiorem reddit, eaque post aliqua hæc subdit. *Persolvimus autem gratias omnium conditori, laudum præconia referentes, quod magnificum illum & serenissimum orbis Principem Henricum Regem Anglorum audivimus firmum & stabilem in Catholicæ unitate Ecclesiæ permanere, & quod per tuam præsertim inductionem idem in sancto proposito animum solidavit. Rogamus sane, ut ita vigil semper circa eum & sollicitus perseveres, ne per frequentes vexationes Imperatoris, & Nuntiorum suorum, a devotione Ecclesiæ, & nostra, quod absit, velit modo quolibet declinare. Volumus quidem te apud eumdem Regem, & Episcopos, atque adiacentes personas quasi quemdam Apostolum & Nuntium veritatis in illis partibus experiri. Circumpositos quoque & vicinos Episcopos, & tam ecclesiasticas, quam sæculares personas, nobiles præcipue ac potentes, ad hoc ipsum efficaci studio & omni diligentia exhortetis. Nos enim personam tuam quam sincera charitate in Domino diligamus, atque ad honorem & exaltationem tuam, quam prompto animo desideremus intendere: per illum dilectionis fervorem, quem circa te, & ante promotionem nostram habuimus, discretionis tuæ prudentiam non credimus ignorare*: deinde Friderici adversus Romanam ecclesiam gesta, vivente adhuc Hadriano, & post mortem ejus, & schisma ab Octaviani præpostera ordinatione excitatum pluribus persequitur, ut ibidem, vel apud

Labb. t. 10. p. 1398.

Ba-

Baronium qui integram recitat, videre est, ac tandem. *De cetero*, subdit, *memoratum Fridericum Imp. pro eo quod Octavianum schismaticum recepit, & ei pertinaciter adhoerere præsumit, cum eodem Octaviano, & cum aliis principalibus fautoribus suis nos de communi fratrum nostrorum consilio in cœna Domini publice, ac solemniter excommunicasse cognoscas. Datum Anagniæ Kal. Aprilis.*

18. His autem ab Alexandro acceptis litteris Arnulphus, ut muneri suo, ac legationis officio fungeretur, litteras ad Archipiscopos & Episcopos Angliæ, vel Galliæ, ut adnotat Baronius, dedit; quibus eosdem de schismate excitato admonet; & ut in Alexandri Pontificis obedientia persisterent, hortatur, totamque in utriusque ordinatione rei gestæ seriem enarrat, & ne Papiensis conciliabuli litteris moverentur, admonet. *Quod scriptum si forte*, subdit, *contingerit ad sapientiæ vestræ venire conspectum, multa plenum falsitate credatis, licet etiam si absolutam contineret in omnibus veritatem, nihil quod ibi dispositum sit, aliquem de jure sortiretur effectum. Neque enim arbitrium dici potest, ad quod voluntaria partium cum promissio non adstringit, nec judiciaria sententia, quæ nec ab ordinaria jurisdictione, nec a delegata procedit &c.*, & post plurima ecclesiæ Gallicanæ exemplo eosdem excitat; in cujus laudem hæc adnotat. *Benedictus autem pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui ecclesiæ Gallicanæ solitam misericordiam benignius impendit, ut eam semper & cognitione veritatis illustret, & pedes ejus a justitiæ tramite nullatenus aberrare permittat. Sicut enim omnes, quos ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabida Teutonici furoris provexit invidia, virtus Altissimi manifesta dejecit; sic omnibus, quos devotio Gallicana suscepit, victoriam semper contulit & triumphum. Cumque multis constet, cæteras regiones abundasse portentis: sola Gallia monstra non habuit, sed sinceritate Fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, et plurima operum exhibitione præfulsit. Unde nunc quoque personarum penitus qualitate discussa, factisque electionum plenius exploratis, in personam sanctissimi Patris Alexandri, de vere Catholici, et serenissimi Regis sui beneplacito convenerunt, litterasque ejus, et Nuntios passim et suscipiunt, et honorant.*

Arnulphi epist. ad Episc. Angliæ *Bibliotb. Peteum to. 22.*

His

Jesu Chr. an. 1160. Henricus Angliæ Rex Alexandri partes favet.

19. Cumque eo tempore inter Galliæ, & Angliæ Reges de ineunda pace ageretur, quam paulo post firmatam fuisse scimus; ut in divinis quoque, & ecclesiasticis rebus eadem concordia vigeret Lodovicum Arnulphus excitat; Henricus autem etsi Alexandro faveret, ecclesias tamen Regni sui consulere voluit; *Neque enim*, ait, *prudentiam regalis excellentiæ decuit aliquid super tanto negotio inconsulta vestra sapientia definire, ne gloriam suam alteri dedisse videretur, et reverentiam vestram minoris, quam debuit, æstimasse. Quæ tamen super hoc ipsius ab initio voluntas extiterit, multis declaravit indiciis & expressit; quoniam Patris Alexandri Nuntios, & litteras cum reverentia semper excepit, & gratia, nullamque se alium suscepturum, adhibita sæpe coram omnibus asseveratione, prædixit. Porro litteras Octaviani oblata renuit manu regia, velut immundum aliquid sordidumque contingere, sed in contemptum ejus ligneæ tabellæ, quam ipse de pulvere sustulit, manibus offerentis impositas, ipse statim coram Nuntio post dorsum suum, quam sublimius potuit, risu multitudinis quæ aderat prosequente, projecit. Ex his igitur manifestum est, voluntatem ejus in favorem domini Alexandri sine omni ambiguitate firmatam; ipsumque vestrum magis ob reverentiam quæsisse consilium, quam pro absolvenda qualibet super hoc negotio quæstione &c.* Hæc & alia ibidem Arnulphus.

Petrus Tarantasiæ Archiep. Alexandri partes sequitur. *Radev. lib. 2. cap. 69.*

20. Inter ceteros, qui Alexandri partes invicto animo tutati sunt, Petrus Tarantasiæ Archiepiscopus recensetur, qui ad Imperatorem hoc tempore cum aliis advenit, ut pacem pro Mediolanensibus impetraret, ut narrat Fridericus Imp. in epistola ad Germaniæ Episcopos. *Dum nos*, inquit, *quid super tanto schismate agendum esset, viros religiosos, Archiepiscopos videlicet, Episcopos consultaremus, supervenerunt, quasi missi a Deo Tarantasinus Archiepiscopus, Abbas Claraevallensis, Abbas Maremundensis, & alii Abbates numero decem, postulantes pacem Mediolanensibus &c.* Ibi cum esset, etsi legationis Comites, Octaviano, seu Victori Antipapæ faverent, Petrus tamen Alexandri partes tueri non destitit, ut Goffredus in ejus vita narrat. Inter cetera hæc adnotans. *In diebus ejusdem Præsulis vicinas provincias, & Romani Imperii ex maxima parte ecclesias schismatica rabies occupavit. Solus ipse ex Metropolitanis, vel prope solus regionem*

nem

nem illarum & schismaticis palam restitit, & immunis perstitit in ecclesia sua. Sed & plurimos ex circumpositis revocavit ad Catholicam unitatem, vicinas undique Provincias penetrans, libere prædicans clericis, & populis, plenis auctoritate sermonibus improbos & obstinatos hæreticæ arguens pravitatis. Nibilominus tamen devotis eum colebat Imperator officiis, non minori ei reverentia obsequens, quam sævitia Catholicos persequens cæteros circumquaque &c. ac addit, quod etsi quamplurimi, & præcipue Herbertus Chrysopolitanæ ecclesiæ pervasor Fridericum excitasset, ut Petrum sua sede ejiceret, numqam tamen eum verbis, vel gestis vexari Fridericus permisit, & sicuti in auxilium Innocentii Papæ contra Anacletum Bernardum Clarævallensem Abbatem Deus excitaverat, ita adversus Octavianum, seu Victorem Antipapam, ex eadem Clarævallensi familia, Petrum Bonævallis Abbatem, postea Tarantasiæ Arehiepiscopum, excitavit. Jesu Chr. an. 1160.

21. Etsi Papiæ ab plurimis Liguriæ Episcopis Octavianus pro Pontifice declaratus fuisset, alii tamen non pauci, inter quos Obertus Mediolanensis Archiepiscopus pro Alexandro invicti steterunt; quin, ut narrat Sire Raul, cum *undecima die Febr. ab Imperatore in Apostolicum* Octavianus receptus esset, *Postea tertio Kal. Martii Joannes de Anagni Cardinalis, Apostolicæ sedis & Legatus ab Alexandro Papa in civitate Mediolani in majori Ecclesia excommunicavit una cum Oberto Archiepiscopo, Octavianum, & Federicum Imperatorem. Et postea duodecimo die Martii excommunicavit Episcopum Mantuæ, & Laudæ, & Marchionem de Monteferrato, & Comitem de Blandrate, Rectores & Consules Cremonæ, & Papiæ, Novariæ, Versellæ, Laudæ, Seprii, Martesanæ. Item postea quinto Kalendas Aprilis excommunicavit Lodoycum, qui erat in Baradello. Et statuit, ut omnia data, quæ facta erant, vel exinde fierent a Federico Imperatore, donec non haberet pacem cum Ecclesia, vacuæ essent, & irrita &c.* obstinatum deinde bellum, quod Mediolanenses Brixianis sociati cum Friderico, sociisque ejus Novariensibus, Vercellensibus, aliisque, varia fortuna hoc tempore agebatur; idem auctor narrat, additque etsi Carasolum Mediolanensium occisis bobus, qui illud deferrebant, Friderici milites, Crucemque auratam, quæ supra perticam Carasoli fuerat, atque vexillum ibi positum cepissent, ex alia

Obertus Archiep. & Joannes Alex. legatus schismaticos excommunicant. *Murat. rer. Ital. tom. 6. pag. 5184.*

JESU CHR. AN. 1163.

alia tamen parte a Mediolanensium equitatu, Friderici exercitus concisus, & profugatus est, ut Otto Morena, & Raul narrant, at paulo post, in die festo S.Bartholomæi Mediolanensium urbs pro tertia parte combusta est, eaque calamitate ad extremas miserias cives deducti sunt, eo quod suppellectilis pars maxima, & vectigalium igne consumpta fuerit, ut pluribus iidem adnotant.

Otto Morena Murat. to.6. pag.1079.

Arnoldus Moguntinus Archiep. occiditur.

22. Graviorem præceteris poenam sacrilegii, & promptiorem subiit, qui primus inter Germaniæ Episcopos actis Papiensis conciliabuli subscripserat Arnoldus Moguntinus Archiepiscopus, a suis ovibus, in lupos, vel ursos conversis, occisus, de quo hæc Robertus in appendice ad Sigebertum. *His gestis in conciliabulo; videlicet Papiensi, Arnoldus Præsul Moguntinus revertitur, & in nativitate divi Joannis Baptistæ a Moguntinis occiditur in monasterio S. Jacobi*, hæc quidem breviter is auctor, fusiori stylo funestam tragœdiam Corradus in chronico Moguntino persequitur, ac adnotat a pluribus admonitum fuisse Arnoldum ut sibi caveret, seque cautius observaret, *Erat Abbas*, addit, *in claustro Eberbach ordinis Cisterciensis, qui ipsum Arnoldum pro suis excessibus sæpe litteris arguit, & imminentia pericula intimavit. Erat quædam sancta virgo nomine Hildegardis, quæ per spiritum vidit ipsum Arnoldum citius moriturum, scripsisse quoque dicitur ei in hæc verba: Pater prospice tibi, canibus enim sunt funes abstracti, qui insequuntur te. Non tamen acquievit monitis aliquorum. Accidit ut in Vigilia Joannis Baptistæ post prandium de quodam oppido Bingen civitati Moguntinensi appropinquaret, ac in claustro monachorum juxta muros civitatis ad S. Jacobum in monte Speciosso (sic enim dicitur) se locaret. Et ecce Moguntinenses usque in crastinum sese armant, & constituunt, ut cum in ipso die S. Joannis audita fuerit campana, quilibet sit paratus, & factum est ita. Venit dies, & maturius solito prandent omnes; pulsatur campana, & a maximo usque in minimum universa civitas congregatur. Præsul Arnoldus se jam dederat quieti, & audito campanæ sonitu, ultra quam credi possit, vehementer expavit, & timor irruit super eum, amissoque rationis gubernaculo, quid posset facere, ignorabat. Obstruxit autem repagulum, & lapidibus & lignis, quibus poterat, januas omnes monasterii memorati &c.*, turba autem

tem ibidem adſtans ignem undique circa monaſterium accendit, quem fruſtra monachali indutus veſte effugere conatus eſt Arnoldus; dum etenim cum monachis, apertis eccleſiæ portis, fugam tentaverat, recognitus & detentus, non tantum occiſus, ſed etiam laniatus, & in fruſta conciſus eſt, ut is auctor narrat, ac vix poſt tertium diem Moguntinæ eccleſiæ Canonici furtive eumdem in eccleſia ſepelierunt; His porro, aliiſque in tanti facinoris deteſtationem adnotatis, *Acta ſunt hæc*, ſubdit, *anno milleſimo centeſimo ſexageſimo*. JESU CHR. AN. 1160.

23. Hac fortaſſe de cauſa, Radevicus, qui appendicem ad Ottonem Friſingenſem duobus libris de Friderici geſtis ſcripſerat, quique Fridericum multa laude hactenus exornaverat, ſcribendi finem fecit; Cum enim Imperatorem ab Alexandro ſententia anathematis percuſſum accepit, ulterius progredi, & Friderici res geſtas narrare deſtitit, ne vera dicendo Friderico diſpliceret, vel adulando mentiretur; Eademque de cauſa Guntherus etiam Ligurinus dictus, qui libris decem, verſibus Friderici hactenus geſta expoſuerat, ubi ad Papienſe concilium pervenit muſas ſilere juſſit, ac Alexandro ſe faviſſe his verſibus manifeſte indicat.

Radevicus; & Guntherus a scribendo cessant.

Gunth. Ligur. in Freder. lib. 10.

Temporis ejuſdem tractu, nondumque reverſis
Quos ad Romuleam Fridericus miſerat Urbem.
Confinis magnæ, multumque domeſtica Romæ
Funera Romani Paſtoris Anagnia vidit.
Quem tamen inde ſuam tranſlatum Clerus in Urbem:
Sede ſacra Petri ſepelivit honore fideli.
Ante tamen tumulo quam membra exanguia Præſul
Subderet, exorto geminas jam ſchiſmate, partes,
Manſuramque diu litem de Sede reliquit.
Nam cum de tanti rationem Clerus haberet
Succeſſore viri, ſtudiis melioribus ultro
Rolandus petitur, qui Cancellarius ante,
Sanguine conſpicuus, veteri mox nomine verſo
Factus Alexander, per tempora multa ſuperſtes
Eccleſiæ pacem ſedato ſchiſmate tandem
Vidit, & optato tunc demum fine quievit.
Altera Pars ſacra Octavi te Sede locatum

 Au-

Jesu Chr. An. 1160.

Auspiciis decepta suis, ignara superni
Judicii, falso Victorem nomine dixit.

Hæc Ligurinus; Post Ligurinum, & Radevicum, Friderici gesta Otto de S. Blasio, aliique quorum infra memoria occurret, scripserunt.

Nazareni concilii epistola ad Alexandrum Papam.

24. Legatos in Orientem, & in Palæstinam ab Alexandro tertio missos fuisse anno proximo diximus; & qua ratione Hierosolymis recepti fuerint, ex Gulielmo Tyrio ibidem adnotavimus; ex quo scimus Balduini jussu in Nazareth Episcopos fuisse congregatos, ut de electione Alexandri, & Victoris agerent, cur vero synodi sententiam, & synodalem Nazareni concilii epistolam Tyrius prætererit, qua se in Alexandri obedientiam transiisse narrant, prorsus ignoramus; In ea autem *Amalricus S. Resurrectionis ecclesiæ Minister humilis*, seu Episcopus, *cum omnibus suffraganeis suis*, hæc habet. *Sanctæ, & catholicæ & electæ electionis vestræ epistolam, quanta debuimus veneratione suscepimus, & die præfixa convocatis etiam in unum omnibus venerabilibus fratribus, & filiis nostris, qui omnes ex voluntario quidem & libenti animo vel affuerunt, vel litteras excusatorias, assensum tamen suum præferentes & denunciantes miserunt. Eam ut diximus epistolam in præsentia omnium, Tyrensis, & Nazareni, & reliquorum fratrum & filiorum nostrorum legimus diligenter & relegimus. Audita vero contumaci et temeraria perversitate, & perversa temeritate, Octaviani scilicet, et pseudo fratrum suorum Joannis, et Guidonis pertimuimus, et quia ab unitate sanctæ matris ecclesiæ recesserant, doluimus. Attamen intellecta postmodum venerabilium fratrum, et Dominorum nostrorum Episcoporum, et ceterorum Cardinalium concordi et sana unanimi voluntate, cognito etiam assentientis cleri, et acclamatis populi assensu et desiderio super electione et consecratione vestra tam sancta et canonica, respiravimus, et gaudio magno gavisi sumus. Ceterum ipsam eamdem sacrosanctam et ordinariam electionem et consecrationem vestram, quotquot sumus, laudavimus, approbavimus, communiter et concorditer approbamus: et excommunicatis schismaticis, Octaviano, Joanne, et Guidone cum suis fautoribus, quantum in nobis est,* vos

Labb. to. 10. pag. 1404.

vos in dominum temporalem, et patrem spiritualem elegimus unanimiter, et voluntarie recepimus.

25. Hoc etiam anno cum in Anglia Valdenses hæretici, seu Publiciani detecti fuissent, Rex Henricus Oxoniæ Episcopos congregavit, ubi eorum dogmata examinata, & confutata fuerunt; sectatoresque eorum in hæresi contumaces, virgis cœsi inde ejecti sunt. Rem narrat Neubrigensis lib. 2. cap. 14. *Iisdem diebus*, ait, *erronei quidam venerunt in Angliam ex eorum, ut creditur genere, quas vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum olim ex Gasconia incerto auctore habentes originem, regionibus plurimis virus suæ perfidiæ infuderunt*; Quos in Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæque provincias diffusos fuisse adnotat Valterus etiam Hemingford Gisburnensis Cœnobii in agro Eboracensi Canonicus Regularis Ord. August. qui floruit anno 1330. hæc retractans in suo Chronico Tom. II. Collectionis Oxoniensis: *Eodem quasi tempore*, ait, *quidam Hæretici Angliam ingressi sunt in universo quasi xxx. homines, et foeminæ linguæ Theutonicæ, quendam Gerardum nomine aliqualiter litteratum, tanquam præceptorem et principem impoliti et idiotæ sequentes. Rex vero* (nempe Henricus II.) *deprehensos in custodia posuit, et indiscussos punire, vel dimittere nolens, Episcoporum Concilium apud Oxoniam celebrari præcepit: ubi de fidei articulis interrogati, ille litteratus pro omnibus una voce respondit, Christianos se esse, & doctrinam Apostolicam se velle venerari: sacramentum vero Baptisma, Eucharistiam & conjugium detestantes, ausu nefario unanimiter respuerunt. Cumque divinis urgerentur testimoniis prædicta credere, se quidem ut instructi erant credere, de fide vero sua, disputare nolle responderunt. Moniti ut poenitentiam agerent, & in corpore Ecclesiæ unirentur, omnem consilii salubritatem spreverunt: minas quoque comminatas deriserunt, verbo illo Dominico abutentes*, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam &c. *Tunc Episcopi, ne virus hæreticum latius serperet præcaventes, eosdem publice pronunciatos hæreticos, corporali disciplinæ subdendos Catholico Principi tradiderunt. Qui præcepit hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri, & (spectante populo virgis coercitos ab urbe expelli; districte prohibens, ne quis eos vel hospitio recipere, vel aliquo solatio confovere præsumeret. Ad pœnam ergo ducti, gauden-*

Hæretici in Anglia detecti puniuntur.

Labb. to. 10. pag. 1405.

Jesu Chr. an. 1160.

dentes properabant, praeunte eorum magistro, & canente; Beati eritis cum vos oderint homines &c. Unam tamen muliérculam Anglicam deceperant: & illa metu poenae discedens ab eis errorem confessa est, & reconciliationem meruit. Sed de his hactenus.

S. Ubaldi Eugubini Episc. obitus, & canonizatio.

26. S.Ubaldus ex priore canonicorum regularium Eugubinus in Umbria Episcopus ordinatus, hoc anno in Cœlis abiit, *Anno domini millesimo centesimo sexagesimo, Episcopatus sui trigesimo*, ut marginales notae ad vitam ejus a Tebaldo ejusdem successore conscriptam indicant, ac *sequenti nocte, quam Sancti Pentecostes dies dominicus praecesserat migravit ad dominum*, die 16. Maii, qua festum ejus celebratur. Is porro Clericali militiae ab ipsa pueritia adscriptus, temporis tractu Prior in cathedrali Eugubina ecclesia renunciatus, depravatos Canonicorum mores ferre non sustinens, tribus clericis sibi sociatis ad ecclesiam S. Mariae in portu, in agro Ravennate sitam perrexit, ubi Petrus de Honestis Canonicos regulares instituerat, ibique tribus mensibus sub disciplina fratrum regulariter vixit, eorumque vivendi regulam Eugubium inde rediens transtulit. Episcopatus dignitatem postea invitus subire coactus, per annos triginta tenuit, ac sanctissime administravit; virtutibus vero vivens, miraculisque post obitum clarus inter Sanctos a Caelestino tertio anno 1191. vel 92. adscriptus est; Canonizationis bullam Baronius, & Fontaninius exhibent.

Bolland. 16. Maii.

Fontan. Codex Canon. pag. 27.

Ludovicus VII. Franc. Rex Adelam uxorem ducit.

27. Ad hunc Christi annum 1160. continuator chronici S. Petri vivi haec narrat. *Ipso anno mortua est Regina Franciae, filia Imperatoris Hispaniae* (Alphonsi scilicet VII. Castellae Regis:) *Rex vero Ludovicus* (Francorum Rex) *accepit in conjugem filiam bonae memoriae venerabilis Comitis Theobaudi* (Comitis nempe Blesensis & Campaniae, cujus filia Adela Regina Francorum fuit), *quam postmodum praedictus Hugo Senonensis Archiepiscopus Parisiis in Reginam inunxit, ipsamque cum domino suo Rege ipso die, praesentibus duobus Cardinalibus* (Nangius in Chron. dicit. *tribus*, sed longe major fides huic Continuatori hoc tempore viventi) *Ottone videlicet atque Henrico Pisano in Ecclesia B. Mariae coronavit: & in eadem Ecclesia, ipsis Cardinalibus & multis aliis praesentibus, Missae officium solemniter celebravit. Quod factum valde displicuit Remensi Archiepisco-*

po

po, & ejus Episcopis. Continuator Ajmonii cap. 54. Adelam, seu Alam inter Theobaldi filias quintam fuisse, ait; Constantiam autem hoc anno post filiæ partum, filia superstite, occubuisse, ac Ludovicum Regem Adelam, *infra quintum decimum diem* uxorem duxisse adnotat.

Petri Lombardi & Paris. Episc. obitus.

28. Petri Lombardi Parisiensis Episcopi obitum ex Epitaphio in ecclesia S. Marcelli, ejus nomini dicato, ad annum 1164. passim auctores referunt; At recentioris ævi Lombardi epitaphium, vel saltem temporis nota ibidem posita, apertis documentis, post Gerardum Dubois in historia ecclesiæ Parisiensis anno 1710. vulgata, demonstrant Pagius, & Mansius; eumque hoc labente anno 1160. e vivis obiisse tradunt Robertus a Monte, & Joannes Parisiensis in opusculo Memoriale historiarum inscripto, quod ad annum 1312. perduxit; atque ex instrumentis ecclesiæ Parisiensis patet anno 1161. Mauricium Parisiensem Episcopum, & Lombardi successorem fuisse; ac inter Alexandri tertii epistolas quædam extat ad Ludovicum Francorum Regem data, anno 1162. antequam Turonense concilium celebraretur, qua Mauritii Parisiensis Episcopi mentio occurrit; ac plurima in eamdem rem, apud auctorem historiæ ecclesiæ Parisiensis videri possunt; Unde Petri Lombardi Parisiensis Episcopi obitus ab anno 1160. retrahendus non est, post Pagium ait Mansius. Tota etiam errarunt via nonnulli, qui scripserunt Petrum Lombardum, Gratianum, & Petrum Comestorem fratres fuisse, quos etiam confutat S. Antoninus part. 3. tit. 15. cap. 6., primus quippe Novariensis fuit, Gratianus Thuscus, Comestor autem Gallus provinciæ Trecensis.

Bar. 1164. Caveus hist. litter. tom. 2. p. 220. dupin seculi 12. to. 2. pag. 691. not. ad an. 1164.

JESU CHRISTI ANNUS 1161. ALEXANDRI III. AN. 3.
FRIDERICI IMP. AN. 7.
MANUELIS COMNENI IMP. AN. 17.

Alexander tertius in urbem redit, ejusdem gesta.

1. Anni superioris partem maximam in Campania Alexander Papa tertius transegerat, ut narrat auctor chronici Fossæ novæ Ceccanus dictus; Alexander tertius *venit Anagniam, et acquisivit totam Campaniam, et misit in suo jure, eodemque anno ordinavit Flaimundum monachum in monasterio Casajmarii; In Verulana ecclesia sexto nonas Octob. ordinavit Raidulphum Presbyterum, et consecravit eum Episco-*

Jesu Chr. an. 1161. *Murat. to. 3.*

scopum in Ferentinensi ecclesia etc., atque inde excedens; *In secundo anno Pontificatus reversus est Romam*, ait auctor vitæ ejus; ubi *Ecclesiam Sanctæ Mariæ novæ solemniter dedicavit*; *Quia vero* diutius ibidem remanere propter *schismaticorum seditionem quiete non potuit*, *iterum in Campaniam hoc anno remeavit*, inde vero excedens, in Gallias transiit, quo anni sequentis initio pervenit; ut ibidem dicturi sumus. Cur vero Italia excesserit, hanc rationem auctores vitæ ejus afferunt. *Quoniam Imperialis persecutio adversus ecclesiam circa Urbem in tantum excreverat, quod omne patrimonium B. Petri, præter civitatem Urbevetanam, Tarracinam, Anagniam, atque munitionem Castri, ab Aqua pendente usque Ceperanum per Teutonicos, et schismaticos violenter occupatum fuerat, et detentum: consilium habuit cum Ecclesiæ fidelibus, ut ad partes Galliæ cum fratribus suis permare transitum faceret. Ordinato itaque in Urbe Vicario domino Julio Prænestino Episcopo, et dispositis aliis, quæ videbantur Ecclesiæ necessaria, intraturus mare cum fratribus suis, Terracinam perrexit. Ubi invenit quatuor galeas Regis Siciliæ optime præparatas, quas illuc ad ejus servitutem destinaverat. In quibus domestica familia Pontificis, & fratrum suorum cum sarcinis necessariis vix intraverat, cum validus ventus subito irruit, & mare quietum in validam tempestatem convertit, ipsasque naves inter undarum procellas & turbines conquassatas ad saxa littoris impulit: ibique absque morte hominum, & aliarum rerum damno sunt dissolutæ, & omnino confractæ. Reparatis* tamen *paulo post navibus*, subdit auctor; *& præparatis aliis, quæ ad iter necessaria videbantur, intra octavas nativitatis Dominicæ, juxta montem Circejum in faucibus Legulæ cum fratribus suis mare intravit, & in festo S. Agnetis apud Januam applicavit, ubi contra probibitionem Friderici persecutoris ecclesiæ ab universo clero, & populo cum gloria & bonore susceptus est, atque tractatus de transitu in Gallias anno sequenti.*

Alexander tertius Hugonem Cluniac. Abbatem condemnat.

2. Dum adhuc Anagniæ esset Alexander tertius, consilio cum suis ibidem habito, Hugonem Cluniacensium Abbatem, eo quod nec Alexandrum, nec Victorem Pontificem receperat; sed futurum rei eventum expectandum censuerat, condemnavit, & Abbatiali dignitate privavit, cujus de-

decreti exequutio Henrico Beluacensi tunc Episcopo, postea Remensi, & Lodovici septimi Francorum Regis fratri, commissa fuit, in quam rem duæ extant Alexandri Papæ epistolæ, prima ad Henricum Episcopum, ad Cluniacenses monachos altera, quibus alia Anagniæ statuta recolit; & juramenti formulam a Cluniacensibus sibi præstanda inseruit; Henricum itaque Belluacensem Episcopum impense laudat, eo quod constanti animo schismaticos confutaret; ac Ludovicum Regem fratrem suum, aliosque Principes seculares, & ecclesiasticos, *suis persuasionibus in catholicæ ecclesiæ firmaverit unitate*, legatosque suos perhonorifice exceptos, laute etiam tractaverit; Quare subdit. *Nostram vero receptionem, quæ in concilio in Francia celebrato solemniter facta est, nulli magis, quam tibi imputamus &c.* De Hugonis autem Abbatis causa, paulo post hæc addit. *Porro quia Hugo Cluniacensis dictus Abbas in animæ suæ periculum ab ecclesiæ unitate recessit, & in hæreticam et schismaticam pestilentis Octaviani corruit pravitatem, habito fratrum nostrorum concilio, eum excommunicatum denunciamus, et negotium ipsum discretioni tuæ duximus injungendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus memorati filii nostri regis consilio habito et favore, cujus quidem regnum occasione ista per eumdem abbatem infestari posset, et plurimum molestari, continuo acceptis his litteris Cluniacum accedas, et omni appellatione cessante, eum Apostolicæ sedis auctoritate deponas, et cum consilio catholicorum fratrum ipsius monasterii alium in loco ejus substituere non moreris etc.* ac ut eos qui relicto schismate ad ecclesiæ unitatem redierint, benigne excipiens, ab excommunicationis sententia absolveret, facultatem tribuit.

JESU CHR. AN. 1161.

Martene to. 2. monum. Mansi supplem. ad concilia tom. 1. p. 532.

3. In Imarum vero Cluniacensem primo monachum, & Abbatem, postea Cardinalem ab Innocentio secundo creatum, inter Octaviani fautores præcipuum, qui ipsum etiam ordinaverat; qui etiam tunc apud Cluniacenses degebat, & Hugonem Abbatem in schismatis sui communionem traxerat; hæc addit Alexander. *Ad hoc nihilominus experientiæ tuæ mandamus, et quibuscumque modis poteris studeas et efficias, quod Ymarum schismaticum, et hæreticum Tusculanum quondam Episcopum capias, vel a monasterio prorsus eiicias. Dilectos vero filios nostros R. latorem præsentium, et socios ejus,* qui

Alexandri sententia in Imarum Cardinal., & Tuscul. Episc.

JESU CHR. AN. 1161. *qui in fidelitate Romanæ ecclesiæ permanserunt ; ad ipsum monasterium tecum adducas , et eum in statum suum quiete facias ac pacifice permanere . Dilectum prædictum filium nostrum R. Cluniacensis ecclesiæ monachum , caritati tuæ petimus esse interventu nostro attentius commendatum . Datum Anagniæ , septimo Idus Aprilis .*

Alexandri epist. ad Cluniacenses monachos .

4. Eodem loco , & die data est epistola altera Alexandri Papæ ad Cluniacenses monachos , qua eorum ordinem , eo quod Rom. ecclesiæ devotus hactenus perseverasset , impense laudat, nunc vero ob schisma ab Hugone Abbate susceptum spectaculum , & fabulam factum fuisse deplorat ; *Sicut enim* , addit , *ex relatione plurimorum accepimus , quidam ipsorum fratrum eidem Hugoni dicto Abbati , et Imaro Apostatico , et schismatico , Tusculano quondam Episcopo , in ordinis , et animæ suæ perniciem adhoerentes traditi sunt in reprobum sensum etc.* deinde post pauca . *Nos igitur cognoscentes tantam iniquitatem egressam a Babylone , et senioribus judicibus , qui videbantur regere populum , nec eam valentes permittere impunitam* , se Henrico Beluacensi Episcopo jussisse ait , ut Cluniacum transiens , Abbatem deponeret , alterumque eidem monasterio præficeret , eosdemque ob obedientiam sibi præstitam impense laudat .

Alexander Papa S. Eduardum Angliæ Regem Sanctorum fastis inscribit. *Fontan. Cod. Canoniz. p. 15.*

5. Hoc eodem anno dum adhuc Anagniæ Alexander esset , ab Henrico Angliæ Rege , cleroque Anglicano rogatus , Eduardum Anglorum Regem , qui ab annis centum fere obierat , Sanctorum fastis adscripsit , ut in Apostolicis litteris quas Fontaninus in Codice Canonizationis recitat, ad Clerum Anglicanum datas idem Pontifex narrat , ac , ut Henrico Episcopo in omnibus parerent , hortatur .

Reges Franciæ , & Angliæ invicem reconciliati Alexandrum tertium recipiunt.

6. Cum jamdiu inter se Ludovicus septimus Franciæ , & Henricus Angliæ Reges armis certarent , illis depositis , repente inter se reconciliati sunt , ut Matthæus Paris , Gulielmus Neubricensis, Radulphus de Diaceto narrant ; *Ludovicus Rex Francorum , et Henricus Rex Angliæ* , ait Parisius , *copiis armatorum undique congregatis , cum jam campestre proelium inter eos imminere putaretur , prope Fretevallem amici facti sunt . Majo mense pax facta est inter* Reges Henricum , & Ludovicum Franciæ, *renovatis prioribus pactis* , ait Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum hoc anno ; Utrosque porro Reges Alexandro favisse anno elapso diximus

mus, etsi decreto edito nondum Alexandrum, vel Victorem pro Romano Pontifice recepissent, at pace vicissim reconciliata, de restituenda quoque Rom. ecclesiæ tranquillitate, extinguendoque schismate exorto, communibus consiliis Reges ambo egerunt; Unde paulo post idem Robertus de Monte subdit. *Mense Julio Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Episcopos Normanniæ, & Abbates, & Barones apud novum Mercatum, & Ludovicus Rex Francorum adunavit suos Beluaci, & ibi tractatum est de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris, & consenserunt Alexandro, reprobato Victore.*

Jesu Chr. An. 1161.

7. Eamdem de Alexandro in Pontifice recipiendo sententiam Tolosana synodus hoc eodem anno celebrata, tulit. Hujus concilii mentionem habet Gerhobus Reicherpergensis in Bavaria Abbas libro primo de investigatione Antichristi, quo adnotat, quod cum hæc scriberet, & ob auctoritatem Papiensis concilii Victorem Alexandro præferendum esse opinarentur, Tolosani concilii auctoritate moti in contrariam opinionem abierunt; *Ecce alii, & novi rumores per certos internuncios advolitant, in occiduis partibus, regno videlicet Franciæ, civitate Tolosa celebratum fuisse concilium, cui centum patres inter episcopos, & abbates interfuerunt, una cum regibus Franciæ, & Angliæ quorum studio iidem patres convocati convenerunt. Ubi & Octaviani, quem Victorem dicunt, simul & Alexandri papæ, atque Imperatoris Friderici, nec non & regis Hispaniæ legati aderant. Illic sane utriusque partis defensoribus sufficienter auditis, eidem concilio tandem in Alexandrum complacuit. Octavianus vero, qui & Victor, ab universo concilio cum suis principalibus defensoribus excommunicatus est &c.* hæc de Tolosana synodo is auctor, quam post Papiense conciliabulum habitam fuisse addit.

Concilium Tolosan. Alexandrum Pontificem agnoscit. *Labb. to. 10. pag.* 1406.

8. Maturo consilio adhibito, & præsentibus utriusque partis legatis causam ibidem agitatam fuisse narrat Neubrigensis lib. 2. cap. 9. Cum enim Fridericus Imp. Franciæ, & Angliæ Reges, ut Victorem pro Pontifice agnoscerent, sollicitaret; *Illi sententia caute suspensa, celebrem & ipsi ex utroque Regno Episcoporum, & nobilium loco & tempore congruo conventum fecerunt. Aderant a parte Octaviani duo principales ejus complices, qui ejus fuerant electores schisma-*

Alexandri, & Victoris causa in Galliis agitata.

tisque auctores, Guido scilicet Cremensis, & Joannes de sancto Martino Cardinalis: nam Igmarus Tusculanus Episcopus manus illi execrationis ausus imponere jam vitaverat hominem. Aderant & a parte domini Alexandri tres Cardinales, scilicet Henricus Pisanus, tituli hic erat presbyter Cardinalis sanctorum Nerei & Achillei, Joannes Neapolitanus, Vvillelmus Papiensis pariter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Surgens ergo ille Cremensis in conspectu Regum & Præsulum, coram universa, quæ convenerat multitudine Cleri, & populi, pro parte sua & contra adversam totis ingenii atque facundiæ viribus allegavit. Qui cum perorasset, surgens Vvillelmus Papiensis vir eloquentissimus, perspicuis orationibus objecta elisit, & fere quidquid ille pro se dixerat, in ipsum ita retorsit, ut propriis irretitus captusque sermonibus videretur. Denique in illo altercationis mutuæ quasi duello totius ita negotii veritas claruit, ut neuter ulterius Princeps cunctaretur, repudiata parte Octaviani, Dominum Alexandrum recipere, & cum regnis sibi subditis ei de cætero in iis, quæ Dei sunt, tamquam Patri parere &c. & lata in schismaticos excommunicationis sententia, conventus solutus est, ait auctor.

Præcipui patrocinatores partis Alexandri.

9. In Alexandri partem utrosque Reges inclinasse anno proximo diximus, quos viri pietate, doctrinaque præstantes, ut tandem refutato Victore, Alexandro obedientiam obsequiumque publico edicto præstarent, excitarunt; Henricum quidem Anglorum Regem Arnulphus Loxoviensis Episcopus, & Philippus Bonæ spei Abbas; eaque de re utriusque extant epistolæ datæ ad Alexandrum tertium. Philippi Abbatis epistolas Dacherius in spicilegio recitat; iisque cum Alexandro ob Pontificatum adeptum gratulatus, significat se Henricum & Ludovicum Reges convenisse, eosque partibus ejus conciliasse; *De reliquo*, inquit, *litteras vestras Henrico Anglorum Regi cum reverentia præsentavi, quas ipse benigne suscipiens habita cum suis, & nobiscum deliberatione, vos in Patrem spiritualem, Summumque Pontificem cum omni alacritate susceptum obsequium & obedientiam suam per nos humiliter repræsentat. Missurus enim ad vos est in brevi nuncios suos*. Paulo post: *Continuato labore, accessi ad devotum filium S. R. E. D. Regem Francorum, cujus, sicut Catholicum Principem decet, fidelis affectus, & prompta de-*

Dacher. spicil. tom. 2.

vo-

votio personam vestram & opus vestrum certa dilectione prosequitur, & sui sententiam jam operis exhibitione firmasset, nisi gravia cum impedimenta, & causæ multiplices perturbassent etc. cito tamen id opere executoros fore his verbis addit. *Sed hoc ipsum per Dei misericordiam in januis est, quia inter ipsum, et Regem Angliæ de reformatione pacis agitur, et in brevi credimus terminari*; quam pacem, ut supra diximus, hoc eodem anno inter eos conciliata fuit.

Jesu Chr. an. 1161.

10. Quo zelo Arnulphus Lexoviensis Episcopus Alexandri partes tueretur, satis aperte ex dictis anno proximo constat; atque ex ejusdem epistola ad Alexandrum de promotione ejus scripta confirmatur, qua se totis viribus pro ejusdem causa certaturum fore testatur; *Properassem jam*, post plurima addit, *ad pedes beatitudinis vestræ amplectendos, ut ariditatem meam quasi copiosior de proximo benedictionis vestræ rigaret ubertas, nisi me zelus utilitatis vestræ maxime tenuisset. Ex quo etenim promotionis vestræ auribus nostris veritas, & oppositæ præsumptionis error innotuit, festinavi ad nostri notitiam Principis id perferre, ut vacantem animum ejus favore vestro, quibus debebam persuasionibus, occuparem, ne nos qualibet occasione malignitatis astutia præveniret &c.* aliquandiu quidem eum hæsitasse addit, at operante Spiritus S. gratia, Alexandrum se recepturum promisit. *In quo cum proxime de differenda vestra susceptione Imperatoris litteras accepisset, cui discurrentibus invicem litteris & Legatis plurima videtur charitate conjunctus, ne preces ejus sprevisse, & in præjudicium ejus festinasse videretur, generale quidem suppressit Edictum, sed nequaquam avarus, aut linguam a litterarum nominisque vestri veneratione continuit, neque quemquam nostrum voluit continere etc.* ex his autem litteris intelligimus Henricum Regem Angliæ in Alexandri quidem partem, vel ab initio propendisse, noluisse tamen publico edicto eum agnoscere, ne Imperatoris animum offenderet, antequam ab Episcopis eadem causa retractaretur; Ut tamen Alexandro Episcopi scriberent, litterasque ab eo acciperent, potestatem fecit ut ex dictis hactenus constat; Quid Alexander his acceptis Arnulpho scripserit, anno proximo diximus, cum eum in Anglia legatum suum, causæque suæ patronum delegavit.

Arnulphi epist. ad Alexandrum. *biblioth. PP. to. 2. p. 1311.*

Jesu Chr. an. 1161. RomaniCleri litteræ ad Ludovicum Franc. Regem. *Duchesne rerum Francic. to.4.p.719.*

11. Postquam a Ludovico, Galliarumque ecclesiis publico edicto, ac synodali sententia Alexander Papa tertius, summus Rom. ecclesiæ Pontifex declaratus est, Rectores Romanæ fraternitatis, seu ecclesiarum urbis rectores litteras ad Ludovicum Regem dederunt, quibus & gratias agunt, & impense laudant, quod orthodoxæ fidei religionem tueretur. *Quod licet a primordio regni vestri cum summa diligentia feceritis, hoc tamen tempestatis tempore, quæ per Octavianum, et ipsius complices filios superbiæ, vasa iræ apta in interitum, noviter exorta est, tanto clarius enituit, quanto inspirante Sancti Spiritus gratia, schismaticam pravitatem confutantes inter primos Orbis terrarum Reges et Principes, Primus audito nomine Domini Papæ Alexandri vere beati P. successoris et Vicarii, eum in Patrem summum et universalem Pontificem elegeritis, et ad tantum bonum per Gallicanas confirmandum regiones, sicut ex litteris Legatorum, qui ad eas partes transmissi fuerant, recognovimus, Regia præstita auctoritate Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, et Religiosarum personarum undique est Concilium convocatum. In quo cum diutius sub vestra præsentia a Catholicis, et Schismaticis de canonica Domini Papæ Alexandri electione, et heretici Octaviani intrusione nunciis disputatum fuisset, et schismaticæ partis nequitia, et simoniaca ambitio declarata esset ab omnibus Orthodoxis, sicut Serenitati vestræ notissimum est, Dominus Papa Alexander in Summum Pontificem, et vere Apostolicum approbatus est atque susceptus.* Idem ad Ludovicum Regem scripsere O. & C. *Frajapanes Romanorum Consules*, quorum Epistolam refert ibidem Duchesnius pag. 715.

Henricus Rex Angliæ in Alexandri partem Ludovicum trahit. *biblioth.PP. tom.24.*

12. His pro Alexandri causa dictis, hoc unum addimus, Petri Blesensis opera ab Henrico Anglorum Rege Ludovicum Regem hæsitantem, ad Alexandri obedientiam tractum fuisse ut ex epist. 144. ad Cælestinum tertium data constat. *Cum prænominatus Fridericus fautor schismaticæ dissensionis, et auctor contra Alexandrum tertium canonice, sicut scitis, electum in partem Apostatæ Octaviani conjurasset, atque sub illa schismatis concussione generaliter ubique terrarum Ecclesia laboraret, Reges Franciæ, et Angliæ variis ex utraque legationibus tentabantur: cumque sententia Regis Francorum, consiliorum varietate, cui faveret parti, fluctuans & dubia vacillaret, Rex Henricus dolens Christi tunicam diutius scin-*

scindi, primus Alexandro Papæ consensit, multaque cautela trabens Regem Francorum pariter ad consensum Apostolicum suis munivit consiliis, & firmavit auxiliis; & sic navem Petri sub certo discrimine naufragantem in secura littoris statione locavit. Hæc Blesensis: Theobaldus econtra Cantuariensis Archiepiscopus, Gallicanam ecclesiam in suscipiendo Alexandro præcessisse, stimulosque Anglicanæ dedisse in epistola ad Henricum Regem apud Salisburiensem num. 48. adnotat. *Ecclesia Gallicana, sicut nobis veridica relatione innotuit, recepit Alexandrum, ab Octaviano recessit. Quod autem ad humanum spectat examen, meliori & saniori parti videlicet adhæsisse; cum omnibus constet quod persona Alexandri honestior est, prudentior, litteratior, eloquentior. Causa ejus ab omnibus inde venientibus sincerior, justior prædicatur. Et quamvis neutrius illius adbuc nuncium, aut scriptum viderimus, scimus omnes quia omnes Nostrates, si vester consensus affuerit, proniores sunt in partem Alexandri, audivimus autem quod Imperator vos in partem Octaviani trahere conatur; sed absit, ut in tanto periculo Ecclesia pro amore & honore hominis faciatis, nisi quod credideritis Domino placiturum. Nec decet Majestatem vestram si placet ut in tota Ecclesia Regni vestri super ponatis hominem, qui sine electione, ut publice dicitur, sine gratia Domini, per favorem unius Imperatoris tantum bonorem ausus est occupare*, nam tota fere Rom. ecclesia in parte Alexandri est; hæc & alia ibidem.

JESU CHR. AN. 1161.

13. Postquam Episcoporum sententia Alexander tertius publico edicto pro Pontifice, in Galliis, & Anglia susceptus fuit, ut ubique eadem reverentia, & obsequium ei præstaretur, facile obtinuit, ut Manuel etiam Comnenus Græcorum Imperator, a Ludovico Rege excitatus ut Alexandro Pontifici se suosque submitteret ut ex datis continuo ad Ludovicum litteris, patet. Manuelis litteras a Duchesnio inter diversorum epistolas tomo 4. & a Freherio inter Germanicarum rerum scriptores editas, in appendice ad Pepanum iterum Amadutius edidit, quibus se de Græcorum Imp. amicitia, & societate cum Ludovico Rege inita gaudere ait, ac de Alexandro pro Pontifice recepto hæc subdit. *Quamobrem litteras nobilitatis vestræ suscipientes, in quibus continebatur, quoniam coadunatione Ecclesiarum, cæterarumque nobilium personarum a vobis tractatum confirma-*

Manuel Alexandrum Pontificem recipit.

Amad. in Pepanum to. 1. pag. 401.

JESU CHR. AN. 1161.

matumque est, quasi justum Papam sanctissimum Alexandrum suscipiendum esse, quem vos utique quasi Patrem, Summumque Pontificem suscepistis, & ideo nostro Imperio scripsistis, quatenus ei concedentem honorem, & amorem, ut pote tali tantoque viro exhiberet, hoc nostrum vobis Imperium rescribit. Antea quidem addiscebat Imperium nostrum de statu sapientiæ, sobrietatisque ipsius; nunc vero tale de sanctitate ejusdem testimonium suscipiens scripto tanti viri, qualis vos estis, tum præclaræ coronæ insigniti, tum fide & veritate decorati, & consanguinitatis propinquitate & amicitia Imperio nostro obligati, credibile & receptabile testimonium vestrum decernimus, & condignam reverentiam ipsius Sanctitati exhibemus, & orationum ejus participes fieri optamus &c. hasque litteras, non per nuncios suos ad id missos se mittere ait, eo quod propter itineris difficultates difficile id erat, cum iis per Siciliam transitum Gulielmus Rex non permitteret; *Quapropter Venerabili Archiepiscopo Beneventino hunc apicem, & dispensationis in eo contentorum sollicitudinem committere nostrum Imperium decrevit &c.* hoc quippe tempore Comnenus Manuel Imperator, Græcos ad Rom. ecclesiæ subjectionem, & communionem revocare cupiebat, & ut Siciliam, Apuliæ, & Calabriæ maritima oppida recuperaret, cum Pontifice, & Friderico Imp. adversus Gulielmum Siculum societatem inierat, eaque de causa Ludovici Francorum Regis amicitiam coluerat; Cumque Constantinopoli, alibique in Græco Imperio basilicæ essent variaque latinorum monasteria, in quibus Romano more, & ritu officia celebrabantur, plenam iis suos ritus exercere facultatem Græci tribuebant, quod sane non permisissent, si eorum mores, & dogmata velut hæretica improbassent.

Friderici Imperat. epist. ad Comnenum Imp.

Amadutius in Pepanum to. 1. p. 405.

14. Sicuti Comnenum Ludovicus excitaverat, ut Alexandrum pro Rom. Pontifice reciperet, ita Fridericus litteris suis eumdem hortatus est, ut ad Victoris partes transiret, cujus ipse causam tuebatur; id quippe indicant verba fragmenti epistolæ ad eum datæ. *Quapropter tuam prudentiam commonemus, quatenus nobis, & Rom. Imperio honorem debitum recognoscas, & summo Pontifici, quem nomine sanctum appellas debitam exhibeas obedientiam, & honorem &c.*. Ut cum Friderico Imp. amicitiam foveret, vel in-

instauraret, Vibaldi Stabulensis Abbatis opera usus est Manuel Imp., cujus duæ adhuc extant ad eum datæ epistolæ ex collectione Martene, & Durandi tomo 2. monument. in appendice ad Pepanum ab Amadutio recitatæ, quarum prima hæc habet. *Pretiosissime Abbas monasterii stabulensis, Imperium meum cum didicisset a multis in te florentem virtutem, quomodoque in honorem certas prænobilissimi Regis Romæ, prædilectissimique fratris, & cognati imperii mei, & in utilitatem christianorum, magnam devotionem, & affectionem erga tuam pietositatem obtinet, & orationem ejus invocat perpetue. Vult igitur imperium meum, quod rursum etiam tua pietositas laboret in honorem prænobilissimi Regis, numquam enim inveniet meliorem auditorem in servitium contra siculum, & in cetera servitia &c.* epistola vero altera, qua stabulensis litteris respondet hæc ait. *Littera reverentiæ tuæ delata est Imperio meo, quæ declarabat, quod semper pro meo oras imperio, & imperium meum ab omni lingua audiens, quod superest tuæ virtutis, tuas semper advocas orationes, vultque memorari ipsius tuam sanctitatem in orationibus suis ad Deum, & orare eum pro prosperitatibus nostri imperii. De negotio vero connubii, de quo prænobilissimus Rex Romæ, & dilectus frater imperii mei nostro declaravit imperio, remisit ei imperium meum intentionem suam diffusius cum præsentibus nuntiis imperii mei. Vult enim imperium meum magis, ac magis utrorumque regnorum unionem. Mense Novembri indict. secundæ. Missa est a Castro Pelagoniæ Mense Novembri 22. Indict. II.* hæc ad Vibaldum Comnenus, qui Fridericum Imp. Regem Romæ semper appellat, cum angue pejus abhorrerent Græci Imperatores Basilicon titulum, seu Imperatoris latinorum Imperatoribus tribuere; quem sibi tantum peculiarem, & proprium credebant, ut, cum alteram in Orientem expeditionem pro Palæstina recuperanda Occidentales circa annum 1180. pararent, Manuel de ea expeditione sollicitus, ne quod Imperio suo damnum afferrent, ad Alexandrum Pontificem litteras dedit, eumdem rogans, ut incolumitati suæ consuleret, ac ad fovendam inter utramque ecclesiam pacem, se quammaxime sollicitum fuisse testatur, de qua infra suo loco dicturi sumus.

JESU CHR. AN. 1161. Comneni epist. ad Vibaldum Abbatem. p 403. et 4.

15. Hoc eodem anno quo inter Angliæ, & Franciæ Reges pax inita est, *Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus decessit*,

Theobaldi Cantuarien.

JESU CHR. AN. 1161. Arch. obitus. pag. not. 21. an. 1162.

cessit, ait Neubrigensis, & quidem 14. Kal. Maii ut habet Gervasius in chronico, cujus obitum cum Roberto de Monte ad annum proximum differt Baronius; at ut adnotat Pagius, Robertus etsi coævus esset, parum tamen in annis accuratus fuit, libranorum forte culpa; successorem in Cantuariensi sede Thomam habuit, postquam per annum integrum & ultra ea sedes vacasset, quare ad annum proximum hæc reservamus.

Geisæ Hungariæ Regis obitus, cui Stephanus succedit. Geisa Hungariæ Rex Alexandrum Pontificem recipit. Duchesne to. 4. rer. Francic. p. 578.

16. *Geisa secundus* filius Belæ Regis ac Hungariæ Rex; *migravit ad dominum anno domini* 1161. *pridie Kal. Junii feria quarta*, ait Thyrochius in chronico Hungarorum cap. 65. per annos viginti eum regnasse adnotat, cui Stephanus tertius filius ejus successit; Paulo antequam Geisa moreretur Osbertum nuncium suum ad Ludovicum Francorum Regem cum litteris suis miserat, quibus se ejusdem exemplo, Alexandrum Pontificem in regno suo recepisse his verbis narrat. *Scitis enim quoniam Imperator Alemmannorum orto in ecclesia schismate proprium Papam sibi elegit, & contra sanctorum Patrum instituta defendit; Ego vero timens Deum, & non hominem, velut catholicæ fidei cultor, Alexandrum quem universalis ecclesia, & vestræ regiæ dignitatis auctoritas confirmavit, & confirmatum recepit, sicut per nuncios meos mandastis, confirmavi, recepi, & ab hoc nullo modo dissentire proposui &c. Notum itaque vestræ fraternitatis amicitiæ firmiter facio, quatenus si prædictus Imperator vobis, aut regno vestro aliquid mali machinari voluerit, ego regnum ejus in manu forti devastando aggrediar. Hoc idem a vobis tamquam de amico confidenter expectans &c.*

Ludovicus in Victoris obedientiam invitatus. Duchesne to. pag. 578.

17. Cum nondum Ludovicus Francorum Rex cum Gallicana ecclesia in Alexandri obedientiam transiisset, ut Victori Antipapæ reverentiam, spreto Alexandro, exhiberet, ab Friderico Imp. aliisque excitatum non semel fuisse scimus, eaque de causa, ad eumdem scribens quidam Victoris Antipapæ Senescalcus, ad ejusdem animum sollicitandum hæc litteris suis inseruit. *Sciat vestra sublimitas, quod Dominus meus Papa Victor, salva domini Imperatoris debita reverentia, nullum penitus Regum, vel Principum, qui in toto Mundi spatio sunt in tantum sicut vestram personam diligere, & honorare, & exaltare intendit; quod procul dubio ipsa rerum experientia plenissime cognoscetis, cum ejus vi-*

visione atque collucutione Domino favente perfruemini &c. frustra tamen colloquium expetiisse, frustraque adlaborasse ex supradictis constat.

Jesu Chr. an. 1161.

18. Cum Mediolanenses hostilibus armis Fridericus cum finitimis gentibus sibi sociatis hactenus vexasset, nec subiicere potuisset; *Gens Theutònica*, ut narrat Morena, *maxime fremens*, quod Mediolanum expugnare non posset; *ad ejus auxilium obnixe se præparavit; Inter quos fuit Landgravius cognatus Imperatoris, & Conradus Comes Palatinus de Reno frater Imperatoris, atque Fredericus frater Regis Conradi, qui fuit patruus Imperatoris, Dux de Rotemburgo, qui duxerat secum ultra sexcentos milites bene armatos, Rainaldus quoque Cancellarius, & tunc electus Archiepiscopus Coloniæ duxit secum ultra quingentos milites; Filius quoque Regis Bohemiæ, una cum Duce Bohemiæ patruo suo ultra trecentos equites duxit. Alii etiam multi Episcopi, Marchiones, Comites, & alii nobiles in Lombardiam ad Imperatoris auxilium venerunt &c.* atque auxiliaribus his copiis adjutus, sociatisque Papiensibus, Cremonensibus, & Laudensibus Mediolanum tandem obsedit; vastatisque undique usque ad urbis portas sacris, prophanisque ædibus, & campestribus locis, ad deditionem eosdem coegit, ut anno sequenti dicturi sumus.

Fridericus Mediolanum obsidet, terras undique vastat. *Murat. rer. Ital. tom. 6.*

19. Graves quoque in Sicilia turbæ adversus Regem Gulielmum hoc tempore excitatæ sunt, quas fusiori stylo Romualdus Salernitanus in chronico, & Hugo Falcaldus in historia Sicula narrant, his Gulielmi inertiam cum avaritia, & credulitate conjunctam, causam dedisse adnotant; Qui cum Majoni cuidam viro perditissimo totius Regni administrationem delegasset; Ammiratumque eum declarasset; res omnes susdeque everterat; ut Gulielmi auctoritate despecta, viam sibi ad Siciliæ Regnum occupandum sterneret; itaut, teste Falcaldo; Nonnulli *assererent Notarium Matthæum Majonis familiarem Alexandro Papæ, qui tunc Romanæ præsidebat Ecclesiæ multam pecuniam detulisse, idque consilio et ope Joannis Neapolitani, qui unus erat Cardinalium, impetrasse, ut, amoto Rege Siciliæ, Admiratus in ejus in locum succederet, cui deposito, eo quod inutilis videretur, Romanus Pontifex Pipinum Caroli patrem substituit. Hæc & hujusmodi plurima totus jam triviatim populus lo-*

Turbæ adversus Gulielmum Siciliæ Regem excitatæ. *Murat. to. 7.*

Murat. rer. Ital. to. 7. pag. 272.

Jesu Chr. An. 1161. *quebatur : Quidam in ipso palatio Regem gladio feriendum, multi claudendum in monasterio prædicebant. Erant & qui in aliquam insularum crederent deportandum*; Dum itaque Siculorum animi, in Gulielmum Regem, & Majonem ejusdem familiarem exasperati adeo essent; Accidit, ut Marrochii Calipha, vel Rex, Mahadiam fortissimum in Africa oppidum obsideret; ut auxilium Siculis Mahadiæ obsessis ferret Gulielmus, classem centumquinquaginta Galearum, quam in Hispania tunc miserat, cujus Gaitus ductor erat, ut in Africam transiret, præcepit, quo cum pervenisset Gaitus, vir, qui sub Christiano nomine Mahumeticam profitebatur sectam, & Majonis perfidiæ particeps erat, cum jam barbarus Rex inopinato Galearum adventu perterritus obsidionem solvere cogitaret; Gaitus *ultro mirantibus cunctis in fugam conversus, Carbasa ventis expofuit*, quem ceteræ naves secutæ sunt; sed septem Mahumetani insequentes coeperunt, ceteræ in Siciliam reversæ sunt; Ex turpi hac fuga. graviora in Majonem odia excitata sunt, atque de eodem interficiendo consilia inita; Quare *in vigilia B. Martini, dum Ammiratus*, Majo scilicet; *a visitando Archiepiscopo Panormitano, incboata jam nocte reverteretur, Mattæus Bonella positis insidiis in via, quæ est juxta portam B. Agathæ, ei obviam venit, & illum ense percutiens, interfecit*. Commota autem paulo post plebs; *in prima feria quinta quadragesimæ* hujus anni, ut persequitur Romualdus; Palatium adorta Gulielmum captivum detinuit, ac Rogerium Apuliæ Ducem Gulielmi filium Regem, die sequenti, seu veneris conclamavit. Cumque eo res adductæ essent; *Die Sabbati Romualdus Salernitanus, & Robertus Messanensis Archiepiscopi, & Ricardus Siracusanus electus, & Justinus Mazariensis Episcopus, videntes Regem injuste captum &c.* populum hortati sunt, ut eum liberaret, quod & factum est; quæ dum agerentur, idest dum pro liberatione Regis circa Palatium pugnaretur, Rogerius Apuliæ Dux Gulielmi filius; sagitta juxta oculum percussus, non multos post dies obiit, multumque a Gulielmo, ut rebelles comprimeret, adlaboratum fuisse, iidem scriptores Romualdus, & Falcaldus narrant, quæ exscribere longum esset.

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR,

Numerus primus paginam, secundus paragraphum indicat.

A

C

Da

F

G

M

N

O

ER.

ERRATA	CORRIGE.
detrectatione *6*, vers. 8.	detractione
sustinebat pro 7. 9.	subsistebat præ
quam causam 15. 1.	quam ob causam
tractatus 19. v.§12.	tactus
profectionem 22. 13.	protectionem
quem 79. *16*.	quam
unas 82. 21. in fin.	unicas
imponebat 84. 2.	imponebant
Afferunt 119. 13.	Adfuerunt
Honoravi duas 132. 15.	Honora viduas
Us 194. 11.	Ut
bis 195.	his